This vol. next in value to 2d

COMMENTARIUS
GRAMMATICUS HISTORICUS CRITICUS
IN
VETUS TESTAMENTUM

IN USUM MAXIME

GYMNASIORUM ET ACADEMIARUM

ADORNATUS.

SCRIPSIT

FRANC. JOS. VALENT. DOMINIC. MAURER

PHIL. DOCT. SOC. HISTORICO-THEOL. LIPS. SOD.

LIPSIAE

SUMPTUM FECIT FRIDERICUS VOLCKMAR.

1838.

COMMENTARIUS

GRAMMATICUS HISTORICUS CRITICUS

IN

VETUS TESTAMENTUM

IN USUM MAXIME

GYMNASIORUM ET ACADEMIARUM

ADORNATUS.

SCRIPSIT

FRANC. JOS. VALENT. DOMINIC. MAURER

PHIL. DOCT. SOC. HISTORICO-THEOL. LIPS. SOD.

VOLUMEN TERTIUM.

LIPSIAE

SUMPTUM FECIT FRIDERICUS VOLCKMAR.

1838.

Adversorum solatium literae sunt.

Quint.

VIRO SUMMO

GUILIELMO GESENIO

D. D. D.

VENERABUNDUS SCRIPTOR.

MAURERUS LECTURIS SALUTEM.

Quae me causae moverint, ut, contra quam librorum sacrorum ordo ferebat, Psalmos prius quam Prophetas minores commentariis meis illustrarem, his commemorandis facile equidem supersedeo. Quid igitur in hoc fasciculo praestare voluerim, dicendum mihi breviter, de totius libri consilio uberius disputaturo opere perfecto. Quae in Psalmorum titulis reperiuntur locutiones accuratius quam hucusque factum est explicare studui. In qua re multum me adjuvit neglecta ab aliis Redslobi *de praecepto musico* למנצח על הגתית *in inscriptionibus Psalmorum VIII, LXXXI et LXXXIV conspicuo dissertatio.* Aetatem, occasionem, scriptorem, ubicunque certiora offerebantur indicia, diligenter investigavi; ubi non offerebantur, inanes conjecturas neque excogitavi, neque excogitatas ab aliis fusius confutavi confutandas in *commentario meo ampliore* nequaquam abjecto. Utinam desinant in hujusmodi Psalmis, iis maxime, ad quos intelligendos nihil interest ad hanc an ad illam occasionem referantur, impossibilia periclitari interpretes, praestaturi se si minus fortasse

doctos, magis profecto sanos! Argumentum ubique distincte, simpliciter et quantum fieri potuit breviter descripsi. Interpretandi rationem eandem, quam in Prophetis majoribus meam feceram, secutus sum. Sed placuit insuper omnia singula in latinum convertere. Qua ratione quod in primo maxime fasciculo mihi accidit, non potuit iterum fieri, ut passim omitterem non omittenda. Saepius etiam, quam feceram in superioribus fasciculis, ut saperem ultra lexica operam dedi. In quo campo quum plura nova protuli, tum quae in libro, qui *Practischer Cursus* inscriptus est, pro exiguis ejus libri limitibus brevi praeciderам, ex parte retractavi et auxi, quae ibidem falsa docueram emendavi, velut in עלם al. De אלה radice ingeniose et verissime disputavit Stickel in *sententiis Ali Ben Abi Taleb arabice et persice* ab ipso editis p. 57 sq. Valde est dolendum, quod raro in hunc campum exspatiantur scriptorum hebraicorum interpretes; quamquam non nescii, quantum pretii statuendum sit observationibus etymologicis: alioquin a Gesenio indagatum שאול vocis etymon non sibi vindicaturus fuisset Boettcherus (*Proben* p. XIII.), post Boettcherum Hitzigio nuper Ewaldus (*Psalmen* p. 42.). Quam longe aliter in hac re versantur interpretes scriptorum graecorum et romanorum! Deprecamur quidem istam, qua non pauci ex illis delectantur, philologiam, quae ingenti etymorum exemplorumque exercitu stipata procedit, ut omnis circum campus sparsis hastis longis splendeat et horreat.

Verum ut passim, oblata occasione, vocabulorum potestatem nativam explorent, exploratam strictim describant Vet. Test. interpretes, hoc est quod postulamus. Quamquam enim praeclara plurima in hoc genere praestitit coryphaeus Halensis, praestiterunt praeter hunc alii doctissimi viri: restant tamen occulta multa multorum investiganda conjunctis studiis 1). Contra facile carebimus latis, quibus ho-

---

1) Illustratas voces, formas, locutiones in hoc fasciculo habes alias et has: אָבַר p. 144., אֱלֹהַי, אֱלֹהִים p. 81 sq., אַח p. 146., עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר instrumentorum musicorum species p. 9 sqq. 14 sq. 93. 112., אֵים p. 144., עַל, בְּ, לְ, אֶל in Psalmor. titulis p. 6. 9 sqq. 93. 225., אֵלֶם p. 152., אֻמְלַל p. 12., אָרַךְ Hi. p. 323 sq., בַּיִת p. 146., בָּכָה p. 12., בֶּגֶד p. 4., בַּרְזֶל p. 3 sq., בְּרִית, בָּרָה בְּרִית p. 111., בָּשָׂר, בָּשַׂר p. 100., גּוּר p. 149. atque ad Ps. 140, 3., גָּמַר sq. עַל et בְּעַד p. 150 sq., גַּנַּת p. 135., דָּרַח p. 105., דֶּרֶךְ, דָּרַשׁ p. 105., חָרַג sq. לְ p. 332., וְ, לְ, גַּם in Psalmis alphabeticis p. 88. 306., זָלוּת p. 23., זָקֵן p. 189., חוּל p. 86., חֵיק trop. p. 247., חָכָה p. 74., חֵלֶב p. 31 sq., חלכה p. 19., חָלַף p. 249. 267., חָלַץ p. 13., חָמָס p. 14., חָשַׁב p. 103., יָהַב p. 148., יָחַל p. 69., יָצַק p. 257., יַעַר i. q. קִרְיַת יְעָרִים p. 327., יָרֵחַ p. 15., כֹּהֵן, כָּהַן p. 222 sq., כָּחַשׁ p. 288., כֶּלֶב, כְּלוּב p. 49., כְּמוֹ p. 199., כִּנּוֹר p. 72., כִּסֵּא, כֶּסֶה, כֶּסֶת p. 228 sq., כִּסֶּה ad Ps. 143, 9., כָּתַב p. 99 sq., לֵב p. 230., לְבִיא, לְבִי p. 151., לָשׁוֹן p. 9., עַל לָשׁוֹן, תַּחַת לָשׁוֹן p. 170., מאזנים p. 162., מוּק p. 197., מוּר Hi. p. 118., מִזְמוֹר p. 63 sq., מִכְתָּם p. 26 sq., מִנִּי p. 115., מְנַצֵּחַ p. 5 sq., מַעֲלוֹת in titulis Psalmor. p. 313 sq., מַשְׂכִּיל p. 24., נָא p. 135., נְאֻם p. 82., נָאַף p. 135., נֵבֶל, נֵבֶל עָשׂוֹר p. 72., נָהַר p. 75., נַעַר p. 241., נָשָׂא לְחַטֹּאת פ׳ p. 56., נָשָׂא Hi. sq. בְּ p. 244., סָגַר p. 77., סָפַף Hithp. p. 235., עָדַר, עֵדֶר p. 220 sq., עָטַף sq. לְ p. 197., עָלַי conjunctum cum לִבִּי, נַפְשִׁי, רוּחִי al. p 106. cf. vol. p, 533 sq., עָלַם p. 143. atque ad Ps. 139, 16., עָנַג p. 85., עָנָה p. 79., עָרַב cum derivatis omnibus p. 146. 272., עָרַג p. 104., עָשָׂה ad Ps. 139, 15., עֶשְׁתֹּנוֹת ad Ps. 146, 4., פֵּן, פִּנָּה p. 303., פָּנִים p. 106., צאן p. 131., צָלַח p. 2., צָלַל, ضَلَّ, ظَلَّ p. 31.,

dieque indulgent, notissimarum rerum enarrationibus, quibus qui delectantur aut sine sapore interpretes sunt, aut reverentiam violant adhibendam adversus lectores. Aliorum in Psalmos commentarii sedulo a me sunt collati (Kraehmeri inde a Ps. XXXIX, Koesteri a Ps. LII). Benigna plurimorum judicia, quibus qui usque ad hoc tempus prodierunt fasciculi quinque (non duo, ut nuper quidam, qui animum prodidit aliorum censorum humanitati succensentem et, nescio qua, ira agitatum, in ephemeridibus Jenensibus persuadere voluit lectoribus)[2]) excepti sunt, animum addunt, ut opus perficiam.

Dabam Stuttgarti Mense Majo MDCCCXXXVIII.

צִמַּח ad Ps. 147, 8., רָאַח p. 7., ראשׁ p. 4 sq., רִבֵּץ Hi. p. 182; רָחַם p. 137., רָחַץ בְּנִקָּיוֹן כַּפַּיִם p. 57., רָפַס Hithp. p. 182., שְׁאָר שְׁאֵר p. 201., שָׁדַד Pa. p. 336., שַׁח p. 131., הֵשִׁיב מִנְחָה p. 193., שׁוּת, שִׁית p. 143., שַׁחַל p. 252., שִׁיר p. 63 sq., שָׁכַן p. 222., שָׁלַג p. 138., שָׁלַם p. 209 sq., שֵׁם p. 142., שִׁמְשׁוֹן, שֶׁמֶשׁ p. 42., שָׁפַר sq. צַל p. 29., שֹׁרֶשׁ p. 141., תַּחְבֻּלוֹת p. 335., תְּקוּפָה p. 42.

²) Prodiit *voluminis primi fasciculus primus* (continens Gen. Ex. Lev. Num. Deut. Jos. Jud. Ruth. I Sam. II Sam. cap. 1—18.) anno 1832., *secundus* (II Sam. cap. 19 seqq. I. II Reg. I. II Chron. Esr. Neh. Esth. Jes. cap. 1—39.) an. 1833., *tertius* (Jes. cap. 40 seqq. Jer. cap. 1—15.) an. 1834., *quartus* (Jer. 16 seqq. Thren.) an. 1835.; *voluminis secundi fasciculus primus* (Ezech. Dan.) an. 1836.

INDEX ERRORUM,

quos ut emendent, priusquam usum libri faciant, lectores rogatos volo.

Pag. 3. lin. 2. ab ima pro نرز legendum [illegible]

\- 4. - 3. - - leg. לשון

\- 13. - 10. - - delendum De

\- 14. - 1. pro et מְסוֹבֵבָה leg. ut מְסוֹבֵב

\- - - 3. ab ima leg. *Gittith*

\- 16. - 13. leg. *labantibus*

\- 21. linea ima scribendum [illegible]

\- 28. lin. 8. leg. eorum

\- 29. - 4. leg. desumta

\- 35. - 3. pro *In angustiis cum versarer*, leg. *In angustiis quae mihi*, in angustiis meis

\- - - 6. pro בִּהְיוֹת צַר לִי leg. בַּצַּר אֲשֶׁר לִי

\- 47. - 18. pro E. gr. min. leg. G. gr. min.

\- 50. - 7. leg. hilare

\- 53. - 12. ab ima leg. הַכָּבוֹד

\- 70. - 17. - - leg. inveniendum

\- 71. - 16. leg. appropinquat

\- 73. - 20. leg. כַּד

\- 80. - 7. ab ima leg. *ψωμοκόλακες*

\- 96. - 8. leg. *hominem:*

\- 106. - 14. leg. מִקְרָאֵי

\- 109. - 14. ab ima leg. *Temporibus*

\- 115. - 10. - - post quamquam Amosi loco addendum 3, 15.

\- 127. - 18. pro connivet leg. cohaeret

\- 128. - 5. pro acquiescere leg. acquirere

\- 133. - 14. leg. Verum tamen

Pag. 139. lin. 10. leg. necessariae
- 148. - 20. leg. *Rechokim*
- 150. - 17. ab ima leg. תַשְׁחַת
- - - 9. - - leg. נְחֵיו
- 159. - 7. - - pro num leg. nunc
- 167. - 12. - - leg. דְגָנָם
- 170. - 15. - - delendum enim
- 177. - 16. - - pro וְאָתָה leg. דְאָתָה
- 181. linea ima leg. קֵמָה
- 183. lin. 13. post קוֹל, addendum לוֹ
- 187. - 2 sq. leg. *illi persequuntur*
- 196. - 2. leg. constructo
- 203. - 11. ab ima leg. possint
- 224. - 1. leg. honoris
- - - 17. leg. *θάπτων*
- 247. - 2. ab ima pro qui leg. quia
- 254. - 15. - - leg. *tonitribus*
- 268. - 7. pro tibi leg. sibi
- - - 15. ab ima leg. sumtum
- 272. - 10. pro *tuum* leg. *suum*
- 295. - 8. ab ima leg. absoluto
- 298. - 2. leg. a Jova
- 303. - 6. leg. his
- 306. - 11. leg. propter

Ceteros errores, ultimarum maxime plagularum, quas remoto ab officina relegere non licuit, lector humanissimus ipse emendabit.

PSALMI.

PS. I. In nonnullis codd. non est numeratus, in aliis secundo junctus, fortasse quod ceteris Pss. prooemii loco praemissus videretur. Circa exsilii aetatem compositum esse, colligi posse videtur e vs. 2. collato cum Jos. 1, 8. cf. etiam vss. 1. 3. cum Jer. 17, 7. 8. Fatendum tamen, quod semel moneo, hujusmodi locis parallelis non multum tribuendum esse. Fac enim, aliquam vel vocem vel imaginem vel sententiam praeter illum Psalmum in quo reperiatur non legi nisi apud unum aliquem scriptorem: poteritne inde probabiliter confici, ab illo ipso scriptore Psalmum compositum esse? Quidni duo diversi scriptores in eandem vocem, imaginem, sententiam seorsi inciderint? Aut, si talia ex se pendeant, quid obstat, quominus, ubi per aetatem fieri potest, Psalmorum scriptores prophetas, prophetas Psalmorum scriptores in suos usus convertisse credas? Summa cautio iis maxime carminibus adhibenda est, quae ob locos qui se offerunt parallelos ad Jeremiam referenda putant interpretes. Eum enim vatem certo certius mihi est saepius aliorum scripta in rem suam convertisse. Documento est, quod haud pauca habet, quae vix inter se contineantur, quod semel atque iterum variat ejus oratio, quod dictis vulgaribus haud raro magnifica admiscet more poetarum fusa.
Strophae duae: vs. 1—3: pii beati; 4—6: impii miseri. — *O fe-* 1
licem virum, qui non ambulat in consilio improborum, Et in via peccatorum non stat, Et in sede irrisorum non sedet. Ambulare *in* consilio alicujus dicitur pro *ad* consilium; nam qui ad consilium alicujus ambulat, is intra consilium illius i. e. intra certas ab illo datas rationes et praecepta ambulandi se continet. Sensus totius commatis: O felicem illum, qui nullo cum improbo versatur ullo modo; — *Sed qui solam legem Jovae in deliciis habet* 2
vel כִּי אִם particulis accurate expressis: *Sed qui, si* quid aliud, *legem Jovae in deliciis habet, Et de lege ejus meditatur die et nocte!* כִּי syntheticum praegressa negatione: *verum, sed;*

idem conjunctum cum אַךְ particula ad eandem sententiam refe-
renda: *sed*, *si* quid est, hoc est i. e. *sed solum*, *sed nonnisi*.
Quo eodem significatu כִּי אִם gaudet vs. 4. cf. de hac particula
et reliquis tantum non omnibus Index libri nuper a me editi qui
inscribitur: *Practischer Cursus über die Formenlehre der hebr.*
3. *Sprache* (Lips. 1837.). — *Estque ut arbor plantata ad rivos*
aquarum, *Quae fructum suum dat tempore suo*, *Et cujus fo-*
lium non languescit; *Et omnia*, *quae facit*, *prospere perficit*
vel: *Et omnia*, *quae facit*, *prospere succedunt*. Nexus: Felix
est vir probus vs. 1. 2. *estque*. Quae membro quarto leguntur
וְכֹל וגו' certum est non amplius ad arborem, verum ad virum
probum referenda esse; illud autem minus certum, sitne quod
in fine habetur יַצְלִיחַ transitive an intransitive capiendum. Ce-
terum צָלַח verbi primaria significatio quaerenda est in *per-*
rumpendo, ut vicinum sit aram. פְּלַח. Perrumpendi significatus
facillime transfertur ad bene procedendi, successum habendi signi-
4. ficatum. — *Non sic improbi*; *Sed nonnisi ut palea*, *quam*
5. *dispellit ventus*. — *Propterea*, quod sunt fluxi, non diuturni
vs. 4., *non consistunt improbi in judicio*, *Et*, nec *peccatores*
in coetu justorum. Intelligenda sunt qualia in prophetarum ora-
tionibus, velut Jes. 1, 24 sqq. 2, 12 sqq. 3, 14 sqq. 4, 4 sqq. de-
scripta leguntur judicia ad exturbandos e coetu veri nominis
Israelitarum, עֲדַת צַדִּיקִים, impios a deo rege exerceri solita. —
6. *Nam novit Jova viam justorum*, quam probi ingrediuntur via
deum haudquaquam latet, *Et via improborum evanescit* i. e. in-
gredientes deserit, fallit, in perniciem ducit.

PS. II. In nonnullis codd. numero est primus, cf. ad Ps. 1.
Videtur in Philistaeos, quum anno Achasi ultimo, Hiskiae primo,
jugum ab Usia impositum (2 Chr. 26, 6.) exuere conarentur (2 Chr.
28, 18. Jes. 14, 28 sqq. cf. 2 Reg. 18, 8.) editus esse, et quidem
ab ipso Hiskia rege. Ad Philistaeos quominus referatur, quod
vs. 1. 2. 10. in Plurali populi et reges memorantur non impedit,
cf. Jos. 13, 3. 1 Sam. 6, 18. 1 Reg. 2, 39. al. Strophae tres:
vs. 1—3: regis alicujus Israelitici imperio sese subtrahere co-
nantur populi exteri; 4—9: eorum conatus nullum eventum
habebunt, quoniam a Jova rex ille est constitutus, summa ac-
cepta in populos potestate; 10—12: monentur rebelles, ut sa-
1. niora consilia capiant. — *Cur*, quid *strepuere populi*, *Et*

nationes meditantur inania, rebellionem puta nullum habitu-
ram eventum; — Cur *consurgunt reges terrae*, *Et principes* 2.
deliberarunt una Contra Jovam, rerum Israeliticarum supre-
mum moderatorem, *et contra unctum ejus* i. e. regem ejus
vs. 6. i. e. ejus in terris vicarium: — Subjiciuntur nunc ipsa 3.
verba principum ad defectionem se mutuo exhortantium. Quod
omissum dicunt לֵאמֹר latet in נוֹסְדוּ vs. 2. „*Rumpamus vincula*
eorum, Israelitarum, *Et abjiciamus a nobis funes eorum!*“? —
Vani sunt eorum conatus. *Qui sedet in coelis ridet, Dominus* 4.
illudit iis. — *Tunc*, cum in vanis conatibus persistent, nam sub 5.
ipso initio rebellionis carmen compositum esse cogitandum est,
loquetur ad eos in ira sua, Et in furore suo perterrebit eos
verbis quae sequuntur his: — „*Et ego unxi regem meum In* 6.
Zione, monte meo sancto!“ Quod incipit ab *et*, omisso ad quod
referenda est sententia membro ceteroquin e vs. 1 sqq. facile
supplendo, eo mirifice augetur verborum vis vivideque exprimitur
irati numinis affectus. Plena sententia haec esset: Quid aggre-
dimini regem meum, et ego unxi eum i. e. quum ego unxerim
eum? Praemissam adversativae sententiae copulam habes et infra
3, 4. 22, 4. 35, 13. al. cf. Ges. gr. min. §. 152, 1, b. — Quod 7.
Jova pro sua dignitate paucis dixerat, rex nunc accommodate
ad suas rationes disertius exponit. *Age, nuntiem rem secundum*
decretum i. e. ipsissimis quibus Jova me regem constituit verbis!
Id enim statim facit rex, idque ut faciat, postulat ipsius consi-
lium, quod non debebat effugere interpretes. *Jova dixit ad me*
quo die suscepi imperium: „*filius meus es tu; Ego hodie genui*
te. Quo utroque membro idem bis exprimitur, cf. Jer. 2, 27.,
et quidem illud ipsum, quod vs. 6. Jova propriis verbis dixerat
i. e. ego te constitui regem meum. Quae quam egregie in His-
kiam maxime cadant, regem pietate in Jovam conspicuum, unus-
quisque sentiet ipse. אֲחַוָּה E. Gr. ampl. p. 666. יְלִדְתִּיךָ idem
ibid. p. 397. cf. 215. — *Posce a me, et faciam populos here-* 8.
ditatem tuam, Et possessionem tuam fines terrae. — *Confrin-* 9.
ges eos baculo ferreo, Ut vas figlinum discuties eos.“ בַּרְזֶל,
aram. פַּרְזְלָא et פַּרְזֶל, non videtur referendum esse ad בָּרַז =
בְּרַז figere, transfigere, utpote quod denominativum videatur,
verum ad בְּרַז = فَرَزَ segregare, discernere, distinguere, ut propr.
sit id quod est ab aere separatum. Sic בְּדִיל stannum dictum

a בְּדֹל, *berûr* aethiop. argentum a בָּרַר, פָּז aurum purum a פָּזַז.
10. — Monentur nunc principes, ut saniora consilia capiant. *Et nunc*,
nunc igitur *reges*, *prudentes evadite*, *Disciplinam admittite*,
11. *judices terrae!* — *Servite Jovae*, subjicite vos ejus imperio *cum*
12. *timore*, *Et trepidate cum tremore!* — *Osculamini filium*, Jovae
puta i. e. regem vs. 7., in reverentiae signum 1 Sam. 10, 1. 1 Reg. 19, 18., *Ne irascatur* sc. Jova, cf. vs. 11. et duo postrema hujus commatis membra coll. vs. 5., *et pereatis quoad viam*, ne ducat vos in perniciem via, quam ingressi estis; *Nam exardescet brevi ira ejus! Felices omnes*, *qui fiduciam ponunt in eo!* נָשַׁק cum acc. E. gr. min. §. 507. Solebant barbam osculari Hebraei 2 Sam. 20, 9. אָבַד דֶּרֶךְ E. l. l. §. 512.

1. PS. III. *Carmen Davidis*, editum, *quum fugeret coram
Absalomo*, *filio suo*. Qua occasione quominus compositum putetur, nihil inest quod obstare videatur. Certe quod Absalomi in eo mentio facta non est, ratio commode potest in singulari patris erga filium amore poni, cf. 2 Sam. 18, 5. 12. 29. 33 sqq. Videtur autem conditum esse Mahanaimi, quum exercitum adversus hostes emisisset Davides, ibid. vs. 1 sqq. cf. etiam ad 4, 1. מִזְמוֹר. vid. not. ad 30, 1. מִזְמוֹר לְדָוִד G. gr. min. §. 112. E. gr. min. §. 504. Strophae tres: vs. 2—3; vates summis angustiis premitur, actum de eo esse putant; 4—7: is vero in Jova fiduciam collocat nec timet quicquam; 8—9:
2. invocat opem dei: — *Jova*, *quam multi facti sunt adver-
sarii mei*, *Quam multi surgunt contra me!* רַבּוּ ut רַבּוּ 55,
3. 22. G. gr. ampl. p. 364. E. gr. ampl. p. 468. — Quam (?) *multi
dicunt de anima mea*, me: „*Nulla salus ei in deo!*" curam ejus abjecit deus! לְ de ut 22, 31. 41, 6. יְשׁוּעָתָה G. gr. min. §. 93. E. gr. min. §. 370. Quod adjectum est סֶלָה prob. est signum musicum significans *pausa!* quo cantor cantu paullulum intermisso
4. solis fidibus canere jubetur, vid. Ges. lex. — *Et tamen tu*, *Jova*,
es *clypeus circa me*, *Dignitas mea*, dignitatis meae vindex, *et extollens caput meum!* וְאַתָּה vid. ad 2, 6. בַּעַד ex בְּ et עַד compositum videri alibi monuimus. Quidquid statueris; recte quoad primarium significatum Jarchi ad Gen. 7, 16. videtur dixisse: בַּעַד in S. S. semper sumi לשון כנגד i. e. eo significatu quem habeat כְּנֶגֶד. Quod primitivum habent ראשׁ certo certius mihi est dictum esse a *motu tremulo*; cf. vicina رعس, رعش

trepidare, tremere, maxime de capite. — *Voce mea ad Jovam* 5.
clamo, *Et exaudit me e monte suo sancto*, Zione 2, 6.
קוֹלִי אֶקְרָא E. gr. min. §. 512. — *Equidem cubitum ivi et dor-* 6.
mivi, Expergefactus sum incolumis, *nam Jova sustentat me.* —
Non timeo a myriadibus hominum, *Qui undique* castra *posuere* 7.
contra me. — *Surge, Jova! serva me, mi deus! Contudisti* 8.
enim omnium hostium meorum, qui adhuc fuerunt, *maxillam*,
Dentes improborum confregisti. Imago petita est a feris belluis, a quibus fracta maxilla et excussis dentibus nulla metuenda est noxa. De prioris membri ratione grammatica vid. G. gr. min. §. 136. E. gr. min. §. 512. — *Jovae est*, a Jova proficiscitur 9.
salus! plane ut לַיהוָה הַיְשׁוּעָתָה, Jon. 2, 10. *Super populum tuum*
sit. ־תֵּבֹא veniat i. e. populo tuo contingat, *prosperitas tua!* prospero eventu juves rem populi tui! Talia vota et preces aptissime Davides illo mane concepisse et pronuntiasse cogitatur, quo exercitum adversus cives rebelles Mahanaimo emisit.

PS. IV. *Praecentori fidibus* canendum, *carmen Davidis.* 1.
Quod 53 Psalmis praescriptum legitur לַמְנַצֵּחַ non tam concentus musici moderatorem, quam *cantorem* putamus significare, qui in exsecutione musica Psalmorum ipsi adsignatorum vel *solus cecinerit*, vel accinente choro *eximiam* saltem *egerit personam.* Ac primum quidem „si observamus, vocem למנצח in inscriptionibus Psalmorum, quos et ipsos musice actos aliis de causis putamus, modo adesse, modo abesse (cf. inscr. Pss. 81 et 83. 84 et 87.); recte putabimus, ejus fuisse tale munus, ut ei carmina possent modo adsignari modo non adsignari; quod fieri non poterat, si ejus negotium fuisset in regimine. Deinde facile intelligitur, Psalmorum maximam partem, cum singulorum tantummodo hominum cogitata et sensa contineat, item a singulis hominibus aptissime cantu reddi potuisse. Denique favet musices ipsius ratio, qualem apud veteres fuisse pro certo habendum est (cf. cantus sacer recentiorum Judaeorum), quippe qui artis harmonicae, quam dicimus, plane imperiti fuerint. Modo postquam hoc suavi plurium sonorum concentu a viris musicis uti coeptum est, ille plurium simul hominum cantus (chorum dicunt) in artificiosioribus actibus musicis provocatus esse videtur, qui antea minus suavis, cantui artificiosiori minus idoneus ideoque in illo musices genere sine dubio minus usitatus erat. Si vero quis frequentiam

carminum verbo למנצח insignitorum adhuc miretur, iis, quae ad hanc rem supra attulimus, adjici potest, libros tres Psalmorum priores, in quorum inscriptionibus haec vocula raro abest, reliquias schedularum esse videri, quales hi praecentores in suos ipsorum usus conscriptas et asservatas habuerint, magnam autem aliorum carminum copiam a pluribus una cantoribus cantatam a fatis nobis ereptam esse. Fieri enim vix potuit, quin per tot saecula, quibus musicam sacram floruisse verisimile est, paene innumera carmina canerentur.“ *Redslob de praecepto musico* למנצח על הגתית p 17 sqq. בִּנְגִינוֹת *fidibus s. cum fidibus, adhibitis fidibus* canendum. „Tres omnino sunt particulae, quibuscum nomina instrumentorum musicorum, quae cantui secundarent, in Psalmorum titulis musicis constructa habemus, אֶל, בְּ et עַל, quae latine fere sunt reddenda *ad, una cum* et *secundum*. Particulam אֶל semel legimus in titulo Ps. 5. cum נְחִילוֹת constructam; בְּ aliquoties quidem, sed solo cum verbo נְגִינוֹת Ps. 4. al.; עַל denique in reliquis titulis. Si, quae sententia est acceptissima, נְחִילוֹת *tibias* significat, נְגִינוֹת vero *fidium omne genus*, si denique in his titulis musicis, utpote formulis solennibus et technicis, quodam jure omnino accuratior de rebus musicis loquendi usus quaerendus est, diversitatem particularum אל et ב a diversitate rerum, *tibiarum* et *fidium*, libentissime derivabimus et de tibiis illam (אל), de fidibus vero hanc (ב) positam esse putabimus. Nam tibiis cantui adspirantibus fieri non poterat, ut cantor simul instrumentum musicum exerceret; fidibus vero concinentibus executor musicus et instrumento suo et voce simul canebat, ideoque aptissime discernebatur *canere ad tibias* et *canere cum fidibus*.“ Idem p. 25 sq. Attamen אֶל etiam in titulo Ps. 80. legitur, ubi idem valet quod עַל; porro praeter אֶל, בְּ et עַל semel reperitur לְ in titulo Ps. 39., et ipsum positum pro עַל, de qua particula vid. ad 6, 1. Ceterum ubi ipsius Menazeachi quidem, neque vero ullius instrumenti musici, ut Ps. 11. al., vel nonnisi *fidium* (נְגִינוֹת), ut hoc ipso qui prae manibus est Psalmo, aut *tibiarum* (נְחִילוֹת), ut Ps. 5., in universum mentio facta est, nulla adjecta vel fidium vel tibiarum singulari specie, qua de toni modo et melodia edoceatur praecentor (vid. ad 6, 1.), ibi ipse sibi ex proprio arbitrio instrumentum quodlibet assumsisse videtur, prout cantui quem habebat modulisque quos excogitarat maxime idoneum videretur; cf. id. p. 19. Videtur autem hoc

carmen fere eodem, quo editum est illud quod proxime praecessit,
tempore compositum esse, et quidem pridie vesperi, cf. 4, 9. et
3, 6. Strophae tres: vs. 2: auxilium implorat a Jova; 3—6:
monet hostes, ut cessent a scelestis molitionibus, quae nihil sint
effecturae, quum ipse causae suae vindicem habeat deum; 7—9:
firmiter sperat, fore, ut Jova ipsi opem ferat. — *Quum clamo,* 2.
exaudi me, deus juris mei, justae meae causae tutor, *Qui in
angustiis spatium fecisti mihi,* qui modo ex angustiis me libe-
rasti, 2 Sam. 15, 14 sqq.; *Miserere mei et audi preces meas!*
בַּצָּר הִרְחַבְתָּ לִּי sententia relativa. — Jam animo conversus ad 3.
cives rebelles in circuitu castra habentes (3, 7.): *Viri, quousque
dignitas mea ignominiae* erit, foedabitis regiam meam dignita-
tem, *Amabitis inania, sectabimini fallacia,* molitiones nihil ef-
fecturas? — Quod dixit: quousque dignitatem meam ignominiae 4.
habebitis? perinde est, ac si dixisset: desinite tandem ignominiae
habere cet. Hinc quod vs. 4. subsequitur *et* non caret idonea
ratione. *Et scitote, insignem fecisse Jovam pium erga ipsum,*
me in variis vitae casibus singulari et plane miro auxilio ornasse;
Jova audit, quum clamo ad eum! חָסִיד לוֹ ipsum poetam esse
intelligitur ex בְּקָרְאִי. — *Contremiscite,* deum, causae meae vin- 5.
dicem, *et* cavete *ne peccetis,* perstantes in incepto! *Meditamini
in animo vestro in cubili vestro,* expendite per hanc noctem,
quid agatis, *et quiescite,* cessate ab incepto! — *Sacrificate,* 6.
offerte *sacrificia justa,* debita, in expiationem scelestae molitio-
nis, *Et spem vestram collocate in Jova,* errati veniam daturo!
— *Multi,* comitum puta regis fugitivi, *dicunt: „utinam videre-* 7.
mus salutem, contingeret nobis salus! *Tolle super nos lucem
faciei tuae, Jova,* converte ad nos serenum tuum vultum, gra-
tiose nos respice!“ נְסָה pro נְשָׂא ut Job. 4, 2. נְסָה pro נְשָׂא
G. gr. min. §. 6, 2. §. 74. adn. 20. E. gr. min. §. 170. §. 280.
Ceterum רָאָה videndi significatum habere videtur a *tremendo,
micando;* cf. radices quae a רָע ordiuntur. — Quod socii regis 8.
vix audent sperare, ut Jova ipsis propitium se exhibeat, de eo
rex adeo jam certus est, ut animum divina laetitia affectum sen-
tiat. *Posuisti laetitiam in animo meo* majorem, *Quam cum fru-
mentum eorum,* adversariorum, *et mustum eorum multa fuere.*
Quorum verborum sensus, nisi me omnia fallunt, hic est: Tan-
tum abest, ut filii rebellio ad desperationem me adducat, ut ex
firmissima, quam in hoc casu in Jova repositam habeo, spe lae-

titiam percipiam majorem illa, qua affectus sum, quo tempore
ejusdem mei filii solemnibus messoriis interfui. Sic demum verba
מֵעֵת וגו' justum accipiunt pondus, nasciturque vera et recta
membrorum antithesis. Solitum fuisse Davidem diebus festis ab
Absalomo peracta messe institutis interesse colligimus ex 2 Sam.
13, 23 sqq. De grammatica ratione verborum מֵעֵת דְּגָנָם וגו',
utpote quae posita sint pro גִּלַת מִשִּׂמְחַת עֵת אֲשֶׁר דְּגָנָם וגו',
9. vid. not. ad Jes. 10, 10. — *Secure simul cubitum ibo et ob-*
dormiam, cubitum ibo idemque simul ut ivero obdormiam secure;
Nam tu, Jova, solus tuto manere me facis.

1. PS. V. *Praecentori* (vid. ad 4, 1.) *ad tibias* (vid. ibid.)
canendum, *carmen Davidis*. Ad Davidem quominus referatur,
praeter alia obstat templum vs. 8. memoratum. Videntur potius
preces et desideria inesse cujusdam ex prophetis recentioris aevi,
qui ob invictam in Jovam fidem insidiis factionis adversariae
esset expositus, fortasse Jeremiae, cui quam multa et gravia cum
omni vita, tum ab eo maxime tempore, quo urbs Hierosolymitana
a Chaldaeis oppugnari coepta est, ab adversariis patienda fuerint,
in ipsius orationibus proditum est. Vid. ad Jer. 32, 3., ubi quae
vati inde ab initio obsidionis acciderunt, sub unum adspectum
subjecimus. Convenit in Jeremiam verbosior Psalmi oratio. Stro-
phae tres: vs. 2—4: opem tuam, o Jova, invoco, speroque pre-
cibus te esse satisfacturum; 5—8: neque enim tu ferre potes,
quales sunt qui me vexant, homines impios, ego vero pie te colo;
9—13: defende me a pessimis istis hominibus, eosque de statu
2. suo deturba! — *Verba mea ausculta, Jova, Animadverte fer-*
3. *vorem meum*, sollicitudinem meam! — *Attende ad vocem meam*
4. *clamantem, mi rex et mi deus, Nam ad te precor!* — *Jova,*
mane audis vocem meam, Mane propono tibi rem meam *et pro-*
spicio, exspecto auxilium tuum. עֶרֶךְ haud aliter accipiendum
5. est atque infra 50, 21. — Spei causa. Neque enim tu ferre
potes impios homines (a quibus ut defendat se orat vs. 9 sqq.);
ego vero pie te colo vs. 5—8. *Neque enim deus amans impro-*
bitatem tu es, Non frequentat te malus. Cf. vs. 6. 8. et 15, 1.
6. — *Non sistunt se insolentes coram oculis tuis, Odisti omnes*
7. *maleficos.* — *Perdis loquentes mendacia, Sanguinolentum et*
8. *fraudulentum abominatur Jova.* — *Et ego*, ego vero *in magni-*
tudine, propter magnitudinem *gratiae tuae ingredior domum*

tuam, *Prosterno me ad templum tuum sanctum in timore tui*,
pio in te animo. — Pervenit nunc eo, quo vult, id est, ad ipsas 9.
preces vs. 9—12. *Jova*, *duc me in justitia tua*, in justitia,
quam tu exigis, quae tibi probatur, *propter insidiatores meos*,
ne, si faciam aliquid contrarium legi divinae, insidiatores occasionem nanciscantur me postulandi violatae legis et me perdendi, *Complana*, facilem et expeditam redde *coram me viam tuam*, a te praescriptam, adsis mihi ambulanti ad praecepta tua, ne deflectam! Verbis לְמַעַן שׁוֹרְרָי eum quem dixi quemque miror fugisse interpretes sensum inesse docent vss. 7, 10 sq. 27, 11 sq. cf. Luc. 11, 54. שׁוֹרֵר non est Part. Cal verbi שָׁרַר, sed verbale Pil. v. שׁוּר circuire, obire, circumspicere, insidiari, quemadmodum הוֹלֵל vs. 6. proh. est verbale Po. v. הָלַל, de quo E. gr. min. §. 357. Pro הוֹשַׁר K'ri et codd. haud pauci exhibent הַיְשַׁר, de quo E. gr. ampl. p. 391. 393 sq. cf. G. gr. min. §. 69. —
Quod superiore versu dixit: propter insidiatores meos, nunc plu- 10.
ribus confirmat. *Nam nihil est in ore ejus*, insidiatoris, *sinceri*, *Intimum eorum est pernicies*, animo volvunt consilia exitiosa; *Sepulcrum apertum*, eandem imaginem vid. Ier. 5, 16., est *guttur eorum*, mortiferi sunt eorum sermones, *Linguam suam laevem faciunt*, blandis utuntur verbis. Pro תְּפִירוּ liber unus habet בְּפִירָם, qua mutatione facile carebis, E. Gr. ampl. p. 642 sq. Ceterum לָשׁוֹן, ex quo לְשׁוֹן, emollitum videri possit ex לָטַם,
لَسَمَ *gustare*. — *Jube eos poenas luere*, *o deus*, *Excidant* 11.
consiliis suis, *In multitudine*, ob multitudinem *delictorum suorum detrude eos*, praecipita eos in exitium, *Quoniam rebellarunt*
in te, — *Et laetentur*, ubi viderint improbos a te deletos, mecum 12.
omnes qui fiduciam ponunt in te, *In perpetuum jubilent et tu protegas eos*, *Et exsultent de te omnes qui amant nomen tuum*,
cultores tui! — Precibus ita propositis repetit, cur speret fore, 13.
ut Jova illis satisfaciat. *Nam tu fortunas*, soles fortunare *justum*, *o Jova*, *Tanquam scuto gratiâ circumdas eum*. רָצוֹן acc. ideoque et צִנָּה G. gr. min. §. 136. E. gr. min. §. 509.

PS. VI. *Praecentori* (vid. ad 4, 1.) *fidibus* (vid. ibid.) ca- 1.
nendum *ad modum* instrumenti *Schemінith* dicti i. e. fidium gravioris soni, *carmen Davidis*. Quae praeter נְגִינוֹת et נְחִילוֹת in titulis reperiuntur tum singula nomina, ut שְׁמִינִית, גִּתִּית, tum integrae formulae, ut אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר, quum tantum non omnia sint

feminina eaque in sing. desinentia in ת, ut נְגִינַת, מַחֲלַת, גִּתִּית, שְׁמִינִית, יוֹנַת, אַיֶּלֶת, eademque constructa cum עַל exceptis duobus locis; quorum uno pro עַל positum est אֶל (Ps. 80. cf. 45. 60. 69.), altero לְ (Ps. 39. cf. 62. 77.), veri est simillimum, omnia *ejusdem generis* nomina habenda esse. Nec minus probabile videtur, adjecta esse haec nomina *ad indicandos tonorum modos ac numeros*, eademque de causa constructa esse cum עַל *secundum*; id enim colligi posse videtur ex eo, quod, quando ad indicandam normam melodicam adhibetur exordium alius carminis, non adjectum est tale nomen (Ps. 57 — 59. 75.); contra si hoc, nullum normae melodicae indicium. Quaerentibus autem, quid tandem significent illa nomina ac formulae, libentissime *fidium tibiarumque singulares formas, ad certos tonorum modos ac numeros proferendos idoneas* dicam, cum propter etyma nominum (נְגִינַת, גִּתִּית), tum eam ob causam, quod in singulari et plurali numero usurpantur (Ps. 60. 80.), tum maxime ob instrumentorum, quibus veteres Hebraei usi sunt, singularem rationem. „In libris V. T., exceptis iis, qui ultimae aetatis sunt, praeter כִּנּוֹר et נֵבֶל, quae ad fidium genus pertinebant, paucissimorum instrumentorum musicorum eorumque rarissime mentio fit, ita ut vix possit dubitari, quin haec instrumenta paene sola fuerint, quibus Hebraei libenter uterentur. Quin de his ipsis perquam dubium est, num indole adeo diversa fuerint (cf. ad 33, 1.). Haec vero Hebraeorum, ut reliquorum veterum populorum, instrumenta constat etiam paucarum chordarum fuisse, non solum prioribus, sed ipsis Josephi temporibus (Ant. 7, 12, 3.); neque est probabile, fuisse citharas ita constructas, ut digitis impositis soni nervorum mutari possent. Nihilominus cantus sacer certe tanta arte et varietate gaudebat, ut hujusmodi instrumenta musica nullo modo sufficerent. Etenim, si praecipuum usum instrumentorum musicorum eum fuisse probabile est, ut simpliciore modo vocis humanae modulos cantu suo sequerentur (artificiosi illius cantus, quem nos vocamus harmonicum, ignari erant), quis non intelligat, virum, qui ima voce (Basso) polleret, ad decantandam aliquam melodiam uti non potuisse eodem instrumento musico, quo alius, qui voce tertia (Tenore) polleret. Vox humana autem ab imo tono vocis virilis ad altissimum muliebris circiter quinquies octo tonos more nostro divisos comprehendit, et licet dubitandum sit, cantores et cantatrices Hebraeorum in extremis vocis terminis ita

versari et instrumenta musica ita vexare solitos esse, ut saepe ultra suavitatem nostri nostraeque faciunt; tamen facile intelligitur, instrumenta Hebraeorum quadam indiguisse diversitate magnitudinis et ambitus, ut, diversitati vocis humanae idonea facta, ad plures tonorum modos accinere possent. Nos ipsi hodienum naturam metallorum et lignorum non ita subegimus, ut simili apparatu cornuum et tibiarum supersedeamus ad mutandos toni modos. Porro quum Hebraeorum cantores sacri sine dubio variis melodiis studerent, singula vero instrumenta musica haud multas imitari possent, novis instrumentorum singulorum formis opus erat tonorum intervallis satis diversis, quo diversitati, quae inter melodias est, apta redderentur. Ideo Hebraei in actibus suis musicis sacris nacti sunt aliquantum fidium (puto et tibiarum) apparatum, tonorum cum ditione tum intervallis (magnitudine et chordarum ratione) varium, כְּלֵי נְבָלִים, quo vero nos, quorum instrumenta maxima arte ita composita sunt, ut commodissime singulas scalae musicae particulas et minima intervalla vel ingenti numero chordarum vel digitorum usu proferamus, haud indigemus." Redsl. l. l. p. 30 sqq. Cui sententiae favet id quoque, quod, „si plures singulorum instrumentorum formas admittimus, mirum non potest videri, quod Josephus aliique scriptores in describendis instrumentis musicis, maxime de chordarum numero, diverse judicent." Id. p. 36. Eorum opinioni, qui nomina de quibus agimus et formulas pro exordiis aliorum carminum habent coll. אַל תַּשְׁחֵת Ps. 57 sqq., praeter עַל particulam illi inscriptioni *non* praemissam hoc potissimum obstat, quod „mirum videretur, si carminum in titulis Psalmorum musicis laudatorum, quae inspecturis ad manum fuisse, ad insigniora pertinuisse et propter frequentiorem usum, eo facilius oblivioni et interitui eripi potuisse videntur, omnium omnia vestigia evanuissent." Id. p. 38. Quomodo autem inter se diversae fuerint illae fidium tibiarumque singulares species, quae fuerit cujusque ditio tonorum, quae intervalla, id definiri nullo modo potest. In duobus tantum nominibus audendum est aliquid, in שְׁמִינִית puta et עֲלָמוֹת, utpote quorum prius, proprie *octavam* significans, videatur esse fidium forma gravissimi soni (Violon), posterius, pr. *puellae*, earundem forma acutissimi soni (Violine); cf. 1 Chron. 15, 20. 21., ubi inter se opposita sunt. Sed accedendum est ad ipsum Psalmum, qui, cum preces contineat hominis aerumnosis-

simi atque adeo in mortis periculo versantis, idque ob insectationes, quas patiebatur ab improbis adversariis, ut ille, qui proxime praecessit, editus videtur a quodam recentioris aetatis Jovae cultore ab adversaria factione ad extremum malorum redacto; isque fortasse iterum fuit Jeremia, cf. vs. 2. cum Jer. 10, 24., vs. 7. cum Jer. 45, 3., qui has preces apte cogitatur effudisse, quo tempore e cisterna, in quam conjectus fuerat, semianimis eductus, tertia vice in atrio custodiae inclusus tenebatur, Jer. 38, 7—13. Strophae tres: vs. 2—4: quousque, Jova, patiera me tantis conflictari miseriis! 5—8: pereo nisi succurras. 9—11:
2. spero firmiter, preces meas futuras esse ratas. — *Jova, ne in ira tua punias me, Neque in aestu tuo castiges me* i. e. castiga me, sed servato modo et mensura, ne prorsus peream! cf. eadem locutio Jer. 10, 24: יַסְּרֵנִי יְהוָה אַךְ בְּמִשְׁפָּט אַל בְּאַפְּךָ.
3. — *Miserere mei, Jova, nam tabesco; Sana me, Jova, nam perculsa sunt ossa mea!* אֻמְלַל pro אֻמְלָּל esse videtur, quemadmodum תַּזְרֵנִי 2 Sam. 22, 40. est pro תְּאַזְּרֵנִי Ps. 18, 40., מַלְּפֵנוּ Job. 35, 11. pro מְאַלְּפֵנוּ, de quibus cf. G. gr. min. §. 67.
4. adn. 2. — *Et anima mea perculsa est vehementer; Et tu, Jova, quousque?* quousque in tantis miseriis me esse sines, de carcere in carcerem me trudi patieris? cf. not. ad Jer. 32, 3.
5. — *Revertere,* noli amplius aversus esse a me, *Jova; libera animam meam! Serva me propter gratiam tuam,* pro tua gratia!
6. — *Nam non est in morte memoria tui, In orco quis laudet*
7. *te? — Fessus sum gemitu meo,* gemendo; *Inundo omni nocte*
8. *lectum meum, Lacryma mea stratum meum dissolvo. — Marcuit prae moerore oculus meus, Senuit propter omnes adver-*
9. *sarios meos. — Recedite a me,* desistite a me insectando, *omnes vos malefici, Nam audivit Jova vocem fletus mei.* בְּכִי verbo
10. vicina videntur esse בָּכָה, בָּקַק. — *Audivit Jova supplicationem*
11. *meam, Jova precationem meam suscipiet. — Pudore afficientur et percellentur vehementer* spe interitus mei frustrati *omnes hostes mei; Revertentur,* re infecta discedent, *pudore afficientur repente.*

1. PS. VII. *Carmen querulum Davidis, quod cecinit Jovae propter Cuschum, Benjaminitam.* Videtur sane a Davide compositus esse Psalmus, et quidem inter vexationes Saulicas; cf. ad Ps. ipsum. De Cuscho nihil est proditum. שִׁגָּיוֹן prob. a שָׁגָה = شَجَى

anxius moestusque fuit. Tres strophae: vs. 2—6: defende me,
o Jova, ab adversario meo, quem nullo modo provocavi! 7—10:
in publico tribuum conventu causam meam age! 11—18: spero
fore, ut, si in consiliis suis perseveret adversarius, quod mihi
paravit malum in ipsum recidat. — *Jova, mi deus, in te fidu-* 2.
ciam pono; Serva me ab omnibus persecutoribus meis et li-
bera me! — *Ne dilaceret ut leo animam meam*, me, *Diffrin-* 3.
gens, nemine liberante! Intelligendus videtur Saul, qui ferino
plane in Davidem animo fuit. — *Jova, mi deus, si feci istud,* 4.
quod crimini mihi dant 1 Sam. 20, 31. 24, 10. 12. 21. 26, 18.
19., *Si est pravitas in manibus meis*, si pravo facinore con-
taminata est manus mea; cf. 1 Sam. 24, 12: דַּע וּרְאֵה כִּי אֵין
בְּיָדִי רָעָה וָפֶשַׁע וְלֹא חָטָאתִי לָךְ et 26, 18: לָמָּה זֶּה אֲדֹנִי רֹדֵף
אַחֲרֵי עַבְדּוֹ כִּי מֶה עָשִׂיתִי וּמַה־בְּיָדִי רָעָה. — *Si rependi amico* 5.
meo malum, Et si excitavi adversarium meum temere i. e. si
Saulo, cum amico in me esset animo, malam gratiam retuli, ejus
benefacta pravis consiliis pensavi, aut eundem, qui nunc inimico
in me est animo, ad pugnam adversus me ultro provocavi. Hic
mihi vexatissimi loci videtur esse sensus. חָלַץ *extrahere*, Cal
et Niph. removendis impedimentis *expedire se* ad pugnam, potest
in Pi. significare *excitare* ad pugnam, cf. Hiph.; רֵיקָם vero ne-
quaquam cum צוֹרְרִי verum cum וָאֲחַלְּצָה est construendum, cf.
membrum prius. — Sequitur apodosis. *Persequatur hostis ani-* 6.
mam meam, me, *et assequatur, Et proculcet ad terram vitam*
meam, Et dignitatem meam ad pulverem habitare faciat, in
pulverem prosternat! Pro יִרַדֹּף plures et scripti et editi libri
exhibent יִרְדֹּף, nonnulli usitatum יִרְדֹּף. יִרַדֹּף ad eandem legem
formatum est, ad quam תִּהֲלַךְ Exod. 9, 23.; יִרַדֹּף vero et יִרְדֹּף
non aliter inter se differre videntur, atque חַבּוּרָה et חֲבוּרָה al.
De כְבוֹדִי mihi propter 3, 4. 4, 3. dubium est, num sit h. l. pro
pron. reflexivo positum, de quo usu vid. not. ad Gen. 49, 6. —
Quare cum injuste me opprimant, *surge, Jova, in ira tua, Attolle* 7.
te in furoribus adversariorum meorum, furentibus adversariis
meis, *Et expergiscere ad me*, surge ad auxilium mihi praestan-
dum, qui *jus praecepisti*, qui quod justum est fieri vis i. q.
אֱלֹהִים צַדִּיק vs. 10., אֱלֹהִים שׁוֹפֵט צַדִּיק vs. 12. Quod ad senten-
tiam relative acceptam cf. 4, 2. — *Et coetus nationum* i. e. tri- 8.
buum Israeliticarum, cf. Deut. 32, 8. 33, 9. 19., *circumdet te*
judicium acturum, vel alia structura: *Et coetu nationum circum-*

des te, et תְּסֹבְבֶךָּ sit 2. masc. et constructum cum dupl. acc. ut
32, 7. 10.; *Et super illo*, coetu, *in altum te converte*, et in
publico illo tribuum Israeliticarum conventu judicis sedem emi-
nentem occupa! cf. 1 Sam. 24, 13. 16. Quod publicum judicium
petit Davides, ratio est, quod quam cum Saulo agebat causa non
fuit privata sed publica causa, cf. 1 Sam. 20, 31. 24, 21. —
9. *Jova judicet populos*, tribus, quarum aliae cum Saulo, aliae
cum Davide stabant, *Judica me, Jova! Secundum justitiam
meam et secundum integritatem meam super me* sc. veniat, mihi
10. contingat, rependatur! cf. 3, 9. — *Desinat tandem pravitas
improborum, Et stabilias justum, Et explorans* i. e. isque ex-
11. plorans *corda et renes, Juste deus! — Clypeus meus*, prae-
sidium meum *apud deum est, Qui servat integros animi.* —
12. *Deus* est *judex justus Et deus, qui irascatur omni die*, qui
13. nunquam non sit paratus ad puniendum. — Quare *si non re-
versus fuerit*, si in consilio suo adversarius meus perseveraverit,
gladium suum acuerit, Arcum suum calcaverit, intenderit, *et
14. aptaverit eum*, — *Sibique paraverit instrumenta mortis*, arma
mortifera, *Sagittas suas ardentes*, ardente materia praecinctas
15. incendiumque spargentes *fecerit*, cf. 11, 2. 37, 14. 15. — Apo-
dosis, in qua quum nos accommodate ad ea, quae praecesserunt,
exspectaremus חַרְבּוֹ תָּבוֹא בְלִבּוֹ cet. vel simile quid, poeta mu-
tata imagine, ut fere solent Hebraei: *En*, inquit, *enitetur inani-
tatem*, pro pernicie, quam magno conatu mihi paravit, in lucem
producet nihilum! *Et concipiet aerumnam et pariet fraudem*,
et cum machinatus esset pestem, ubi res ad eventum venerit,
16. spe excidet! — *Foveam fodit et excavat eam, Et cadit in
17. hiatum*, quem *facit.* — *Revertetur aerumna ejus*, quod mihi
paravit malum, *in caput ipsius, Et in verticem ipsius injuria
ejus descendet*, deferetur. חָמָס absque dubio cognatum est verbis
חָמֵץ, קָמַץ, קָפַז, קָפַץ, ut propr. significet comprimere, con-
trahere os, hinc acidum esse, et translate ad animum: *vehemen-
18. ter, violenter agere.* — Ob id *celebrabo Jovam secundum ju-
stitiam ejus, Et canam nomen Jovae, altissimi.*

1. **PS. VIII.** *Praecentori* (vid. ad 4, 1.) fidibus canendum *ad
modum* instrumenti *Gidditk* dicti (vid. ad 6, 1.), *carmen Davidis.*
„Vocabulum גִּתִּית neque ad גַּת urbem, neque ad גַּת cupam
earumque communem radicem נגן, sed potius ad גַּת infinitivum

ex גְּנַת contractum et illi plane congruum verbi נגן *fidibus canere* referimus, qui terminatione ־ִית indutus facile nobis vocem
גִּתִּית exhibet, ex analogia vocis צַלְמִית ab צְלֹחַ infinitivo verbi
צָלַח." Redsl. l. l. p. 24 sq. עַל־הַגִּתִּית elliptice positum pro
בִּנְגִינוֹת עַל הַגִּתִּית, quemadmodum in titulo musico Ps. 12. עַל
הַשְּׁמִינִית dictum pro בִּנְגִינוֹת עַל הַשְּׁמִינִית Ps. 6. cf. id. p. 35.
Dignus Davide est magnificus hymnus. Stropha una. — *Jova,* 2.
domine noster, Quam illustre est nomen tuum in universa terra,
Quae edit gloriam tuam ad coelos, quae laudibus te ad coelum
effert! תְּנָה defective scriptum pro נָתְנָה, ut תַּתָּה 2 Sam. 22, 41.
pro נָתַתָּה Ps. 18, 41.; נָתַן הוֹד פ' *edere gloriam,* laudes alicujus,
ut נָתַן קוֹל *edere vocem;* עַל de motu in superiorem partem loci
et hic quidem sursum ex loco inferiore, ut Exod. 9, 22. 23. —
Ex ore puerulorum et lactentium i. e. vel ex iis quas balbutiente 3.
ore parvuli edunt vocibus *Fundasti gloriam,* gloriae tuae quasi
aedificium; quae locutio lucem suam accipit ex poetis arabicis,
qui dicere amant: gloriae aedificium aedificare, gloriae aedificium
destruere, *Propter,* quod quomodo intelligendum sit statim dicitur, *adversarios tuos,* atheos et tui contemtores, *Ad compescendum hostem et vindictae cupidum,* hominem refractarium,
insolenter se gerentem. — *Quando video,* contemplor *coelos tuos,* 4.
opus digitorum tuorum, Lunam et stellas, quas formasti: יָרֵחַ
nullus dubito quin nomen habeat a יָרַח = יָרַק *subflavum esse.*
De שֶׁמֶשׁ, de quo et ipso tacent etymologi, vide quae observavi
ad 19, 5. — *Quid est mortalis, quod memor es ejus, Et homo,* 5.
quod prospicis eum, ejus curam geris! Graviter offendunt scriptorem, qui ante מָה suppleri volunt: tum cogito mecum, vel simile
quid. — Quae subjiciuntur, usque ad vs. 9. omnia pendent ex כִּי 6.
vs. 5. *Et* quod *carere facis eum paullo prae deo,* eum paullo
inferiorem deo facis, *Et honore ac dignitate coronas eum;* —
Dominari facis eum in opera manuum tuarum, Omnia posuisti 7.
sub pedibus ejus, — *Pecus* ovillum, caprinum *et boves, ea omnia,* 8.
Atque etiam bestias agri, agrestes, feras, — *Aves coelorum et* 9.
pisces maris, Quidquid transit semitas marium! — *Jova, do-* 10.
mine noster, Quam illustre est nomen tuum in universa terra!

PS. IX. *Praecentori* (vid. ad 4, 1.) canendum *ad modum* 1.
instrumenti *Muth-labben* dicti (vid. ad 6, 1.), *carmen Davidis.*
Nobis quidem ab Hiskia rege scriptum videtur, eique scribendi

occasionem praebuisse putamus ea, quae narrata legimus 2 Reg.
18, 13—20, 3. cf. Jes. 36, 1—38, 3. 2 Chron. 32, 1—24. vid.
ad Ps. ipsum. Quinque strophae: vs. 2—7: laudat Jovam, quod
hostes deleverit eorumque vastationibus finem fecerit, 8—13: is
qui populos recte judicet, in angustiis eximium adjutorem se ex-
hibeat. 14—15: sed adhuc in maximo periculo haerere se dicit,
ex eoque ut liberetur orat. 16—17: iterum exsultat de hostium
ruina. 18—21: sic fiat omnibus barbaris Jovae repugnantibus!
2.— *Celebrem Jovam toto corde meo, Enarrem omnia mirabilia*
3. *tua*, mirabiliter a te facta, de quibus dicit vs. 4 sqq., — *Laeter*
4. *et jubilem de te, Canam nomen tuum, altissime, — Converten-*
tibus se hostibus meis retrorsum, terga jam vertentibus Assy-
riis, *Labentibus et pereuntibus prae facie tua*, te conspecto
pugnante pro nobis immissa castris eorum pestilentia 2 Reg. 19,
35. 36. Jes. 37, 36. 37. 2 Chron. 32, 21. Quod ad grammaticam
structuram verborum בְּשׁוּב — יִכָּשְׁלוּ cf. Jos. 4, 18: מֵעָלוֹת — נִתְּקוּ
5. al. coll. E. gr. ampl. p. 663 sq. min. §. 621. — *Egisti enim*
judicium meum et litem meam, causam meam; quae totius populi
fuit causa, jure optimo suam dicit rex; *Sedisti in solio judex*
6. *justus*. לְכִסֵּא plane ut nostrates dicunt *zu Throne*. — *Incre-*
pasti populos, barbaros, *perdidisti improbum*, improbos, hostes
insolenter se gerentes, temerarios divini numinis contemtores
2 Reg. 18, 19—25. 27—30. 32—35. 19, 10—13. Jes. 36,
4—10. 12—15. 18—20. 37, 10—13. 2 Chron. 32, 10—19.;
Nomen eorum delevisti in perpetuum. Cf. de peste usurpatum
הִכְחִיד 2 Chron. 32, 21. nec non שַׁחַת et וְשִׁחֲתָהּ 2 Sam. 24, 16.
7.— *O hostis, finem jam habent ruinae in perpetuum Et urbes*
quas *evertisti*, jam satis est ruinarum, satis urbium a te diru-
tarum, quae verba respiciunt ea, quae narrata leguntur 2 Reg.
18, 13. 25. 19, 25. 26. Jes. 36, 1. 10. 37, 26. 27. וְעָרִים una
cum חֳרָבוֹת construendum est cum תַּמּוּ. נָתַשְׁתָּ relative acci-
piendum. Quod pro eo complures libri offerunt נָטַשְׁתָּ, quam-
quam sensum commodum praebet hunc: *et urbes dereliquisti*,
tamen sine dubio est rejiciendum. Quae subjiciuntur tertio mem-
bro, strophae finem efficientia, *Periit memoria eorum*, hostium,
periit! post interjectum aliquod temporis intervallum sunt legenda.
8. De הֵמָּה cf. G. gr. min. §. 119. E. gr. min. §. 560. — *Et Jova*,
Jova autem opp. exstinctis hostibus, *in perpetuum sedebit* rex,
9. judex, *Constituet ad judicium* faciendum *solium suum*, — *Et*

is judicabit orbem juste, Jus dicet nationibus recte. cf. ad
duo haec commata 2 Reg. 19, 15. Jes. 37, 16. — *Eritque Jova* 10.
refugium contrito, misero, *Refugium temporibus angustiarum*.
וִיהִי sine vi Jussivi ut 11, 6. 25, 9. 104, 20. cf. G. gr. min.
§. 126, 2. E. gr. ampl. p. 527. לְעִתּוֹת בַּצָּרָה propr. *zu Zeiten
in der Noth*, temporibus quibus versamur in angustiis. Eadem
locutio 10, 1. Ceterum cf. 2 Reg. 19, 3. Jes. 37, 3. — *Et fidu-* 11.
*ciam ponent in te, qui norunt nomen tuum, Quod non reli-
quisti quaerentes te*, auxilium tuum 2 Reg. 19, 15—19. Jes. 37,
15—20. — *Canite Jovae habitanti Zionem, Praedicate inter* 12.
populos facinora ejus, — *Quoniam is, ultor caedium*, quas fe- 13.
cerunt inter nos hostes, *illorum*, miserorum, puta, quos statim
memorat, *memor fuit, Non oblitus est clamoris afflictorum!*
De אוֹתָם ad עֲנִיִּים referendo vid. G. gr. ampl. p. 740. E. gr.
min. §. 562. — Quod, qui Psalmum alio atque nos referunt, 14.
vix possunt intelligere, qui fiat, ut epinicio liberati ab hostibus
admixtas legamus preces adhuc haerentis in praesentissimo mor-
tis periculo ab hostibus profecto: id in nostra interpretatione
nullam habet difficultatem. Etenim quae Assyriorum in castra
inciderat pestis, Hiskiam quoque affecit 2 Reg. 20, 1—3. ubi cf.
not. ad vs. 1., Jes. 38, 1—3. 2 Chron. 32, 24. Ex quo vitae
periculo ut liberetur, deum nunc rogat, quo possit eum in pu-
blica populi concione laudibus efferre tam mirabili ab Assyriis
liberatione dignis vs. 14. 15. *Miserere mei, Jova; vide afflictio-
nem meam ab osoribus meis*, calamitatem in quam traxere me
hostes, *Elevans me*, ita ut me eleves *a portis mortis*, ab orci
faucibus me revoces, cf. Jes. 38, 10. — *Ut enarrem omnem* 15.
laudem tuam, In portis filiae Zionis, Hierosolymorum, *exsultem
de salute tua!* De תְּהִלָּתֶיךָ vid. quae observavimus ad Jes. 47, 13.;
de בַּת צִיּוֹן vid. not. ad 2 Reg. 19, 21. Ceterum cf. Jes. 38, 18.
19. — Quod versu superiore optaverat, ut ipsi licitum esset, 16.
publicas gratias agere deo pro insigni victoria, id ei nunc oc-
casionem praebet iterum exsultandi de hostium ruina vs. 16. 17.
Demersi sunt populi in foveam, quam *fecerunt, Reti, quod
absconditerunt, captus est pes ipsorum*, quod nobis pararunt
exitium ipsis evenit. — *Notum se fecit Jova, judicium egit*, 17.
Opere manuum suarum illaqueans improbum, illaqueans im-
probum periculo ab ipso aliis parato. Suffixum voc. כַּפָּיו refe-
rendum ad רָשָׁע; נוֹקֵשׁ Part. Cal verbi נָקַשׁ *illaqueare*, cf. ejusd.

Niph., referendum ad Jovam in membro priore. Cf. similis sen-
tentia Job. 5, 13: לֹכֵד חֲכָמִים בְּעָרְמָם. Quod adjicitur הִגָּיוֹן
סֶלָה est nota musica, significans *fidium cantus, pausa!* qua, ut
simplici סֶלָה, praecentor cantum paullulum intermittere solisque
fidibus canere jubetur. הִגָּיוֹן *strepitum*, ab הָגָה, de *fidium* stre-
pitu i. e. sono, cantu intelligendum esse, elucet ex 92, 4., ubi
18. appositum est בְּכִנּוֹר. Cf. הֶמְיַת נְבָלֶיךָ Jes. 14, 11. — Pergit ad
finem. Sic fiet omnibus barbaris Jovae repugnantibus. *Verten-*
tur improbi ad orcum, Omnes populi barbari, *obliviscentes,*
19. *negligentes dei.* Cf. supra ad vs. 6. allatos locos. — *Neque enim*
in perpetuum oblivioni tradetur pauper, Nec *spes afflictorum*
20. *interibit in sempiternum.* — *Surge, Jova! ne invalescat mor-*
talis, noli permittere, ut praevaleant qui, quum sint debiles et
imbecilles, tam insolenter se gerunt hostes! cf. vs. 21. *Judi-*
21. *centur populi coram facie tua,* te! — *Para, Jova, terrorem*
eis, Sentiant populi, mortales se esse! שִׁית cum Acc. rei et
לְ pers. h. l. ut saepius שִׂים, cui per omnia respondet, significat
facere, parare alicui aliquid. מוֹרָה i. q. מוֹרָא. Quod ad rem
cf. 2 Reg. 19, 7. Jes. 37, 7. Postrema ad verbum sic sunt
struenda: sentiant populi: *homines sunt.*

PS. X. Referendus videtur ad Jojakimi tempora 2 Reg.
24, 1 sqq. cf. potissimum vs. 16. 18. Strophae duae: vs. 1—11:
queritur de vexationibus hostium insolentium, insidiosorum, sum-
mi numinis contemtorum; 12—18: orat Jovam, ut afflictos sui
cultores defendat, hostes in perniciem agat; quod illum facturum
1. esse sperat. — *Quare, Jova, stas in longinquo, Abscondis*
oculos *temporibus angustiarum,* quare aversus es a nobis, de-
negas auxilium versantibus in miseria? תַּעְלִים sc. עֵינֶיךָ Jes. 1,
2. 15. al. De לְעִתּוֹת בַּצָּרָה vid. ad 9, 10. — *In fastu improbi,*
improbis insolenter se gerentibus, *angore aestuat afflictus, Ca-*
3. *piuntur* afflicti *consiliis, quae illi excogitarunt.* — Improborum
insolentia, גַּאֲוָה, nunc pluribus describitur. *Nam gloriatur im-*
probus de libidine animae suae, de pravis suis studiis, *Et*
raptor exsecratur, spernit Jovam. Ad Chaldaeos, *raptores*
dictos cf. Hab. 2, 9. Jer. 51, 13. coll. apud Tacit. Agr. 30: Ro-
4. mani raptores orbis. — *Improbus secundum altitudinem nasus*
sui: „non vindicat! Non est deus!“ omnes cogitationes ejus,
quae, רָשָׁע absolute praemisso, posita sunt pro: omnes cogita-

tiones improbi secundum alt. nas. ejus sunt: non vindicat sc.
Secundum alt. n. = pro elato suo nasu, pro fastu suo. Non
vindicat sc. deus, cujus nomen statim exprimitur; cf. vs. 13. —
Firmae sunt viae ejus, prospere succedunt res ejus, cf. Job. 20, 5.
21., *omni tempore; Altitudo* i. e. alta (Substantivo ut saepius
posito pro Adjectivo G. gr. min. §. 104.) i. e. remota (cf. Jes.
30, 18.) sunt *judicia tua ab eo* i. e. remotum est tempus,
quo poenam ab eo sumes, quem sensum omnino postulat nexus,
cf. vs. 1. 11 sqq. *Omnes adversarii ejus*, Nom. absol., *in-
vehitur in eos*. — *Dicit in corde suo: „non nutabo Per* 6.
omnes aetates, ut qui non sim in malo" i. e. nulla unquam
patiar adversa, ut qui neque in praesenti patiar, neque olim
passus sim ulla mala, qui est sermo improborum eorum, quos
perpetua felicitas securos reddidit. — *Exsecratione os ejus ple-* 7.
*num et fraudibus et oppressione, Sub lingua ejus aerumna et
calamitas*. — *Sedet in insidiis pagorum, In latibulis interficit* 8.
insontem, Oculi ejus oppresso, misero insidiantur. חלכה quod
hic et vs. 14. habetur, Masorethae scriptum volunt pro חֵילְךָ
(vs. 14. in pausa: חֵילָךְ) *turba tua* s. *populus tuus*, et quod
vs. 10. legitur חלכאים pro חֵיל כָּאִים *turba pavidorum*, ut כָּאִים
sit ex כָּאֶה a rad. כָּאָה pavidus, pusillanimis fuit. Favet huic
sententiae, quod pro חלכה vs. 8. 14. nonnulli libri habent חילכה,
alii חילך, item pro חלכאים vs. 10. nonnulli חילכאים; quod
חַל pro חֵיל etiam alibi scriptum reperitur, ut Obad. 20., item
ְכָה pro ְךָ, ut Ps. 139, 5.; quod Suffixum secundae pers.
utroque loco commode potest ad Jovam referri. Obstat vero
quam maxime, quod qui hanc sententiam defendunt, aliter acci-
piunt כה vs. 8. et 14., aliter כא vs. 10., quum utrumque ejus-
dem originis atque indolis esse videatur. Itaque haud scio an
recte judicaverim, esse חלכה quadrilitterum, חֶלְכָה efferendum,
formatum ex inusitato לכה, לכא percussus s. humi prostratus
est, cf. arab. لكا *percussit, humi prostravit*, praemissa gutturali
ח, quae haud raro quadrilitteris formandis adhibetur, ut in
חַרְגֹּל, חֲבַצֶּלֶת, cf. gnatus al., et quod vs. 10. est חלכאים, illius
esse Pluralem, חֶלְכָּאִים pronuntiandum, coll. טְלָה, טְלָאִים al.
Ceterum cf. ad rem Hab. 3, 14. — *Insidiatur in latibulo ut leo* 9.
*in lustro suo, Insidiatur ad rapiendum afflictum, Rapit af-
flictum, trahens reti suo*. — Quam in fine versus proxime prae- 10.
gressi paullulum mutaverat imaginem a leone sumtam, nunc re-

cipit. *Et contunditur, deprimitur et labitur. In ungulas ejus*
oppressus, miser. Sic struendum esse vel hoc docet, quod abest
a יָשֹׁחַ copula. De Verbo singulari constructo cum Subjecto plu-
rali, de quo vid. ad vs. 8., cf. G. gr. min. §. 144. E. gr. min.
§. 567. Praeter necessitatem Masorethae pro וְדָכָה legi jubent
יִדְכֶּה; Perfectum consecutivum ut saepius excipitur ab Imperfecto,
Imperfectum rursus a Perfecto consec. עֲצוּמִים *ambabus validis*
significantur *ungulae* leonis, quemadmodum 55, 22. פְּתִיחוֹת *stricti*
sunt gladii. Ceterum cf. quod ad tria verba Jud. 5, 27: בֵּין
11 רַגְלֶיהָ כָּרַע נָפַל שָׁכָב. — *Dicit* improbus *in corde suo*: „*obli-*
viscitur deus, Occultat faciem suam, non videt unquam,“ deus
12 non curat res humanas. — *Surge, Jova! deus, tolle manum*
13 *tuam! Ne obliviscaris*, noli oblivisci *afflictorum*! — *Quare*
sprevit improbus deum, Dicit in corde suo, te non vindicare.
לֹא תִדְרֹשׁ oratio obliqua, omisso כִּי ut Ps. 50, 21. Gen. 12, 13.,
14 ubi vid. not. — *Vides*, imo vides, cf. vs. 11.! *Nam tu aerum-*
nam et aegritudinem spectas, spectare soles, *Ad indendum in*
manum tuam, ut illarum aerumnarum notam manui imprimas,
quae te non sinat earum non esse memorem, cf. Jes. 49, 16.
Tibi id, aerumnas suas, rem suam *committit oppressus; Or-*
15. *phanum*, inopem *tu es adjuvans*, soles adjuvare. — *Frange bra-*
chium improbi! Et malus, Nom. abs., *vindices improbitatem*
ejus, et vindica improbitatem improbi, *ne illa assequatur* aliquid,
ne pervincat! Quemadmodum רָאִתָה vs. 13. respicit בַּל רָאָה לָנֶצַח
vs. 11., sic quod hoc loco est וָרָע תִּדְרוֹשׁ רִשְׁעוֹ debet pertinere
16. ad בַּל יִדְרֹשׁ vs. 4. et לֹא תִדְרֹשׁ vs. 13. — *Jova rex* Israelitarum
est *in perpetuum; Evanescunt*, evanescent, est enim quod di-
citur Praeter. propheticum, *populi e terra ejus.* Sperat fore,
17. ut hostes patriae finibus brevi ejiciantur. — *Desiderium*, preces
afflictorum audisti, Jova; Eriges cor eorum, animum demissum
18. et oppressum; *praebebis aurem tuam*, — *Ad judicandum or-*
phanum et contritum, miserum, ad agendam causam inopum;
Ne pergat improbus hostis *proterrere hominem* debilem, Israeli-
tas oppressos *e terra* patria. Credibile est, inde ab Jojakimi
potissimum aetate plurimos Hebraeorum patria excessisse, utpote
crebris Chaldaeorum, Syrorum, Moabitarum incursionibus ad sum-
mam depulsos calamitatem.

1. PS. XI. *Praecentori* (4, 1.) canendum, *Davidis* carmen.
Scriptum a Davide putamus inter initia conjurationis Absalomi-

cae, quum amici, observato Absalomi in Davidem infesto animo, monerent hunc, ut fuga sibi consuleret; quod consilium tum non videtur probasse, quamquam, ubi exarserat seditio, ad fugam ipse excitavit amicos (2 Sam. 15, 14 sqq.). Duae strophae: vs. 1—3: amici ut fuga sibi consulat vatem hortantur, utpote cujus cum salute communis omnium proborum salus conjuncta sit; 4—7: ille nihil timendum esse respondet; sperare se fore, ut Jova, qui cogitata hominum penitus perspiciat, improborum consilia evertat. — *In Jova fiduciam posui; Quomodo dicitis*, qui potestis dicere *animae meae*, mihi: „*Fugite*, tu et qui tecum sunt, tuis rebus favent, *in montem vestrum*, in montana, ubi et olim latebras vestras habuistis, cf. 18, 34, ut *aves*, quam velocissime! Pro נוּדוּ veteres interpretes et Masorethae, quos secuti sunt plurimi libri: נוּדִי, utpote nimis anxie inhaerentes praegresso לְנַפְשִׁי. הַרְכֶם Acc. G. gr. min. §. 116, 1. E. gr. min. §. 511. De צִפּוֹר, quod cum Pronomine, quod latet in נוּדוּ, appositione cohaeret, vid. ad Jes. 21, 8. coll. Jer. 49, 20.
— *Nam ecce, improbi calcant*, intendunt *arcum*, *Aptant sa-* 2.
gittam suam ad nervum, *Ad jaciendum*, ut jaciant eam *in caligine*, ex insidiis *in integros animi*, innocuos. — *Quando* 3.
columina destruuntur, *Justus quid facit?*" i. e. quando ii, in quibus salus civitatis nititur, perierunt, quid potest pro illa facere inferior dignitate civis utut bonus? cf. Jes. 19, 10. ibique not. Monent igitur amici, ut fuga sibi consulat, quo consulat publicae saluti. — Respondet poeta, nihil timendum esse; sperare 4.
sese, Jovam, qui hominum cogitata penitus cognoscat, improborum consilia esse eversurum. *Jova in palatio suo sancto*, *Jova, cujus in coelis* est *sedes*, *Oculi ejus spectant*, *Palpebrae ejus explorant homines*. — *Jova justum explorat*, *Et improbum* 5.
et amantem injuriae Odit animus ejus. — *Pluere facit super* 6.
improbos laqueos igneos, fulmina *et sulphur*; *Et ventus ardens est portio calicis eorum*, imagine sumta a more veterum, quo paterfamilias domesticis suis suam cuique portionem in poculum infundere solebat. יַמְטֵר absque vi Jussivi, vid. ad 9, 10. פַּחִים אֵשׁ *laquei ignis*, ignei, ut יֵין תַּרְעֵלָה *vinum titubationis* 60, 5., מַיִם לַחַץ *aqua calamitatis* Jes. 30, 20. cf. E. gr. ampl. p. 627. min. §. 502. רוּחַ זִלְעָפוֹת *ventus ardorum* est ardens ille et suffocans eurus, qui a medio mense Junio usque ad medium Septembrem spirat, Arabibus vocatus سَمُوم *venenosus* nec non

quod vocibus וְאֹהֵב חָמָס accuratius respondet, [illegible] astuosus.
Suff. vocis כּוֹסָם pertinet ad מְנָת: *ihr Becher-Theil* G. gr. min.
7. §. 119. E. gr. min. §. 500. — *Nam justus est Jova, justitias*
i. e. juste, recte facta *amat; Rectum*, probum *spectat*, observat
ideoque tuetur *facies ejus*. יֶחֱזוּ פָנֵימוֹ i. q. עֵינָיו יֶחֱזוּ vs. 4.
Apposite quod vs. 4. 5. dixerat, in fine repetit. De suffixo voc.
פָּנֵימוֹ ad Jovam referendo vid. E. gr. ampl. p. 365. min. § 421.

1. PS. XII. *Praecentori* (4, 1.) fidibus canendum (vid. ad
8, 1.), *ad modum* instrumenti *Scheminith* dicti i. e. fidium gra-
vioris soni (vid. ad 6, 1.), *carmen Davidis*. Videtur tamen ad
eandem aetatem eundemque scriptorem referendum esse, ad quem
referendum putavimus carmen 5. cf. Jer. 9, 1 sqq. Strophae duae:
vs. 2 — 5: precatur Jovam, ut suis adsit, cum in dies magis
invalescat hominum improbitas. 6 — 9: ille auxilium promittit,
quod, cum Jovae promissis habenda sit fides, vates certissime
2. sperat. — *Serva, Jova, nam desiit pius; Nam cessarunt fidi*
3. *ex hominibus!* אֱמוּנִים E. g. ampl. p. 233. min. §. 323. — *Falsa
loquuntur unus cum altero; Labia blanda, duplici corde*, bi-
lingues, animo haud sincero *loquuntur*. De שְׂפַת חֲלָקוֹת vid. ad
קוֹלִי 3, 5.; de בְּלֵב וָלֵב G. gr. min. §. 106, 4. E. gr. min. §. 561.
4. — *Exscindat*, exstirpet *Jova omnia labia blanda, Linguam
loquentem magna*, omnes qui labiis blandis utuntur, magna lo-
5. quuntur. — *Qui dicunt: „lingua nostra valemus; Labia nostra
nobiscum: quis dominus nobis?*“ lingua valentes nihil non effi-
cere possumus. הִגְבִּיר *robur facere*, hinc idem quod Cal: *valere*
G. gr. min. §. 52, 2. E. gr. min. §. 239. לִלְשֹׁנֵנוּ propr. *quoad
linguam nostram, an unsrer Zunge*; cf. גָּבַר לֶאֱמוּנָה *valere fide*
6. Jer. 9, 2. — Ad quas preces Jova nunc respondet, auxilium
promittens. „*Propter oppressionem afflictorum, propter quiri-
tationem pauperum*, nisi mavis: *De oppressione afflictorum, de
quiritatione pauperum*, cujus adhuc visus sum otiosus spectator
esse, *Nunc surgam, dicit Jova; Ponam in salute eum qui
inhiat illi*,“ saluti, salutis desiderio flagrantem. הֵפִיחַ לְ inhians
alicui rei, ut Hab. 2, 3. De structura vid. G. gr. min. §. 121,
7. 3. E. gr. min. §. 593. — Quae promissa vates persuasum habet
Jovam esse praestiturum, utpote cujus dicta sint vera. *Verba
Jovae sunt verba pura*, sincera, nihil fallaciae habentia, *Velut
argentum liquatum in catino ad terram*, in terram incluso,

Purgatum septuplum, iterum iterumque. Quod *catinum* reddimus
ἅπαξ λεγόμενον עֲלִיל, in eo secuti sumus Chaldaeum, haud invito
etymo. Vicinum enim עָלַל est verbo כּוּל *capere*, *continere*,
a quo significatum suum accepit (formam a כָּלָה habet) כְּלִי *vas*.
— *Tu, Jova, custodies eos*, miseros, vs. 6., *Defendes eum*, mi- 8.
serum, *ab hoc genere* pessimo *in perpetuum*. הַדּוֹר זוּ G. gr.
min. §. 109. E. gr. min. §. 480. — *Undique improbi ambulant*, 9.
quaqua versum imminent, *Ut si exsurgit*, ingruit *tempestas*
s. *procella in homines*. זֻלֻּת i. q. syr. ܙܠ, a זָלַל *concussit*,
quassavit; cf. زَلْزَلَ *concussit* deus *terram*, زَلْزَالٌ *terrae motus*.

PS. XIII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *carmen Davidis*. 1.
Videtur potius ab eodem conditum esse, a quo est Ps. 6. Stro-
phae tres: vs. 2—3: magnis aerumnis conflictans vates, Jovam
omnem sui curam abjecisse queritur; 4—5: orat, ut ille sibi
auxilium ferat, 6: id eum facturum esse confidens. — *Quousque*, 2.
Jova, *obliviscoris mei in perpetuum* i. e. quousque a consilio
tuo, obliviscendi mei perpetuo, non desistes, vid. quae observa-
vimus ad Jer. 8, 5. p. 531., *Quousque occultabis faciem tuam*
a me, nullo me dignaberis adspectu? — *Quousque ponam*, strues 3.
volvam *consilia* liberandi me *in animo meo*, *Moererem in corde*
meo toto die? Quousque efferet se hostis meus super me? יָרֻם
Respice, exaudi me, Jova, mi deus; Collustra oculos meos, 4.
tenebris obvolutos, cf. 6, 8., *ne dormiam mortem*, soporem aeter-
num! יְשַׁן הַמָּוֶת esse pro יְשַׁן שְׁנַת הַמָּוֶת E. gr. ampl. p. 591.
docet quod Jer. 51, 39. 57. legitur יָשְׁנוּ שְׁנַת עוֹלָם. — *Ne dicat* 5.
hostis meus: „superavi eum!“ Neque *adversarii mei exsultent*,
quando nutavero, glorientur me cadente, cf. 10, 6. De יָכֹל cum
Acc. vid. E. gr. min. §. 507. — Nexus: Atque ita, ut precatus 6.
sum spero te facturum esse. *Et ego in gratia tua fiduciam*
pono; Exsultet cor meum de salute tua, quum salutem mihi
attuleris, *Canam Jovae, quod benefecit mihi!*

PS. XIV. *Praecentori* (4, 1.) canendum, *Davidis* carmen. 1.
Verum ad exsilium Babylonicum referendum esse docet vs. 7. 2.
Legitur hoc ipsum carmen et infra in PS. LIII. sic inscripto:
Praecentori canendum *ad modum* instrumenti *Machalath* dicti
(vid. ad 6, 1.), *carmen Davidis*, sed verbis et sententiis hic illic
discrepantibus. Qua in re triplex oritur quaestio, una de causa

repetitionis, altera de causa discrepantiarum, tertia, utrum horum exemplorum antiquius sit. Quod attinet ad causam repetitionis: ea sine dubio ponenda est in utriusque exempli discrepantiis; quod ad discrepantias: certe quae inter 14, 5. 6. et 53, 6. deprehenditur insignior ceteris non casu aut per incuriam sed consilio facta videtur; denique quod pertinet ad id, utrum exemplorum antiquius sit: hoc quod in Ps. 14. legitur aetate prius, illud quod in Ps. 53. exstat posterius habemus ea de causa, quod 53, 6. certiora continet de rebus Babyloniorum quam 14, 5. 6., ita ut qui prae manibus est Psalmus conditus videatur medio fere exsilio, contra qui infra exhibetur eo tempore, quum Cyrus nobiliores a Babyloniis victorias reportasset. Quod in titulo musico Ps. 53. legimus מַשְׂכִּיל *carmen* significat a שָׂכַל, quod proprie est *formare*, *figurare*, شَكَلَ, hinc *cogitatione sibi fingere aliquid*, cf. dichten, Gedicht. Strophae tres: vs. 1: summa barbarorum improbitas, nulla dei cura. 2—6: quod cum deus homines de coelo lustrans animadvertit, iram in impios effundit, ad quam increpationem illi exhorrescunt sentientes, et esse et piis adesse deum. 7: utinam de exsilio nos Jova revocet! — *Dicit stultus* i. e. impius (vid. ad Jes. 11, 2.) *in corde suo*: „*non est deus!*“ *Perditum faciunt*, *turpe faciunt facinus*, perdite, turpiter agunt; *Non est qui faciat bonum*, recte agat. De Singulari excepto a Plurali vid. E. gr. ampl. p. 642. נָבָל impius h. l. de barbaris, Jovae contemtoribus, 74, 18. 22. אֵין אֱלֹהִים cf. 10, 4. Pro הִתְעִיבוּ in 53, 2. est וְהִתְעִיבוּ minus concise. Verum quod pro עֲלִילָה ibidem habetur עָוֶל aeque est commodum; nam quum verba הִשְׁחִית, הִתְעִיב non solum ubi additum habent, verum etiam ubi omissum est עֲלִילָה, significent *perdite, turpiter agere* sequitur, ea, quando sunt absolute posita, compleri posse adjecto ejusdem quae ipsis inest notionis nomine,
2. ut si Job. 21, 7. dicitur גָּבְרוּ חָיִל — *Jova de coelis despicit in homines*, *Ut videat*, *num quis exstet intelligens*, recte sapiens, i. e. probus, pius, vid. ad Jes. 11, 2., *Qui quaerat deum*,
3. ejus curam habeat. — Subjiciuntur verba Jovae impios barbaros lustrantis. „*Numquid omnes recesserunt*, a recta via aberrarunt, *una*, ad unum *corrupti sunt? Non est qui faciat bonum*, recte agat, *non est vel unus?* Pro הַכֹּל סָר Ps. 53, 4. habet כֻּלּוֹ סָג. Quae huic commati adjecta leguntur in cod. Kenn. 649. scripto ab homine christiano exeunte sec. XIV. verba קֶבֶר פָּתוּחַ גְּרוֹנָם,

'וגו, expressa quoque in margine cod. Vat. LXX interpretationis
nec non in veteri latina et arabica translatione, manifeste adsuta
sunt ex epist. ad Rom. 3, 13—18., ne deesset, ad quod, quae
illo loco habentur conflata ex Ps. 5, 10. 140, 4. 10, 7. Jes. 59,
7. 8. Ps. 36, 2., referrentur. — *Numquid insaniunt omnes isti* 4.
malefici, *Qui vorant populum meum*, *vorant panem*, i. e. qui
vorant populum meum instar panis, *Jovam non invocant*, ejus
nullam curam habent?" לֹא יָדַע *non sapere*, *insanire* ut Jes.
44, 18. 45, 20. al. cf. מַשְׂכִּיל vs. 2. Omissum Ps. 53, 4. כָּל־
aegre desideratur. De Participii in Verbum finitum transitu G.
gr. min. §. 131. adn. 2. E. gr. min. §. 621. — Effectus increpa- 5.
tionis. *Tunc*, audita Jovae voce, *pavent pavorem*, pavore cor-
ripiuntur, *Quod deus sit in genere justo*, intelligentes, deum,
quem exsistere negassent vs. 1., et esse et piis auxilio suo ad-
esse. שָׁם de tempore, ut saepius. De Ps. 53, 6. discrepantiis
vid. ad versum proximum. — Conversus ad hostes: *Consilium* 6.
afflicti, afflictorum *irritum reddatis*, dirimite, si dirimere potue-
ritis, consilia exsulum id agentium, ut e servitute in libertatem
se vindicent: nihil efficietis, *Nam Jova est refugium ejus*, nam
Jova conatus vestros vanos reddet. Pro duobus hisce versibus is,
qui Cyri aetate carmen retractandum sibi sumsit, ex illius tem-
poris rationibus certiora substituit haec 53, 6: *Tunc*, audita Jo-
vae voce, *pavent pavorem; non est pavor: Nam deus disper-
git ossa oppressoris tui*, o Israel, q. d. tunc pavent; pavent?
imo vero illo ipso temporis momento, quo deus nefarios conspicit,
ab illo prostrati jacent, ut non tam trepident quam corruant;
Pudore afficis eos, o Israel, *nam deus rejicit*, perdit *eos!* חֹנָךְ
pro חֹנְךָ G. g. ampl. p. 209. propr. *oppugnans te*; oppugnare
vero h. l. latius patet, ut sit pro *vexare*. Quum tamen חָנָה
sensu hostili sumtum ubique constructum sit cum עַל vel בְּ, su-
spicari aliquis possit, ךָ pertinere ad radicem, ita ut efferendum
sit חֹנֵךְ i. e. *angens* = צַר, צֹרֵר. — Quod sperat fore, ut fiat 7.
optat. *Utinam veniret e Zione*, Jovae sede, *salus Israelis! Si
reduxerit Jova captivos populi sui*, *Exsultet Jacob*, *laetetur
Israel!*

PS. XV. *Carmen Davidis*. Nihil habet hic Psalmus, quod 1.
de certis quibusdam hominibus aut certis rebus gestis cogitari
jubeat. Facile tamen factus esse videri potest, quo tempore arca
ex Kirjath-Jearim in Zionem montem magna cum solennitate

translata est a Davide 2 Sam. 6, 12 sqq. 1 Chron. 15, 1 sqq. cf.
Ps. 24, 3—6. Strophae duae: vs. 1: quis est verus Jovae cul-
tor? 2—5: probitatis studiosus, verax et qui amico in homi-
nes animo est. — *O Jova, quis commorabitur, cuinam licebit
commorari in tentorio tuo, Quis habitabit in monte tuo sancto?*
Commorari, habitare nihil aliud hic significat nisi *frequentem*
2. *adesse*, cf. 5, 5. — *Qui ambulat*, vivit *integre et facit rectum*,
recte agit, *Et qui loquitur veritatem in corde suo*, qui veri-
tatem in animo gerit. תָּמִים Nom. subst. idque in Acc. positum,
3. cf. Jes. 33, 15: הֹלֵךְ צְדָקוֹת coll. E. gr. min. §. 507. — Transit
ab hoc versu relativa sententia in absolutam. *Non calumniatur*
(pro: qui non cet.) *super lingua sua*, *Non facit socio suo*
malum, *Et contumeliam non profert*, dicit super, in *proximum*
suum. Calumniari רָגַל לְשׁוֹן, ibi enim sedes sermonis; cf. Eccles.
5, 1: praeproperum esse עַל פֶּה. נָשָׂא חֶרְפָּה voce *proferre con-*
tumeliam, ut Exod. 23, 1: rumorem falsum. Possit tamen sic
quoque reddi illud comma: *et contumeliam non imponit proximo*
4. *suo*, coll. Gen. 31, 17. — *Contemtus est in oculis ejus repro-*
bus, impius, *Et timidos Jovae magni facit; Jurat socio, nec*
mutat sententiam, jusjurandum non negligit. נִבְזֶה Praedicatum;
opp. יְכַבֵּד. נִמְאָס *reprobatus* a deo, impius, Subjectum; opp.
יִרְאֵי יְהוָה. Pro לְהָרַע, quod tolerabilem sensum non fundit,
cum LXX, Vulg. Syr. efferendum לְהָרֵעַ, quod quoniam est ar-
ticulo munitum idem valet quod לְרֵעֵהוּ vs. 3. Servati post
5. Praefixum ה articuli exempla vid. in G. gr. min. §. 32. — *Pe-*
cuniam suam non collocat fenore, quod lege fuit prohibitum
Exod. 22, 24. Lev. 25, 36., *Et munus adversus innocentem non*
accipit, non sinit se munere corrumpi, si judex sedeat, ut inno-
centem damnet, cf. Deut. 16, 19. נָתַן כֶּסֶף בְּנֶשֶׁךְ plane ut apud
Latinos *ponere numos in fenore*. *Qui facit haec, non nutabit*,
is stabit, salvus erit *in perpetuum*. Redit his eo, unde erat
egressus vs. 1., sed ita, ut pro sententia ibi posita hoc loco
novam substituat, quod sane elegantius.

1. PS. XVI. *Scriptum*, carmen *Davidis*. מִכְתָּם certum tan-
dem mihi est proprie significare *punctum* aliquid stylo (חֶרֶט Jes.
8, 1.) i. e. scriptum aliquid a rad. כָּתַם *στίζειν*, *pungere* (hinc
maculas facere, *maculare*, quae significatio potissimum apud
Aramaeos invaluit), utpote vicina radicibus חָטַב, חָצַב, עָצַב,

quibus omnibus inest incidendi, insculpendi significatio. Quod
ipsa radix cum scribendi significatu nusquam reperitur (nisi for-
tasse Jer. 2, 22., ubi tamen maculandi notio aptior est ad nexum),
causa est, quod illum significatum sibi arripuit vicina forma כָּתַב,
cujus eadem est primaria notio. Quo tempore conditum sit hoc
carmen, in quo quis ab omni falsorum deorum cultu se abhorrere
profitetur, sibique gratulatur, quod sit e cultoribus Jovae, de-
finire non ausim. Videtur tamen quod vs. 3. legitur אֲשֶׁר בָּאָרֶץ
הֵמָּה (ad quod cf. not.) indicio esse, ad exsilium Babylonicum
referendum esse Psalmum. Cf. etiam שֶׁפֶר עָל vs. 6. Strophae
duae: vs. 1—6: gratulatur sibi, quod Jova ipsi deus obtigerit;
7—11: reposita in Jova fiducia securum se vivere omnium ca-
suum. — *Custodi me, o deus, nam fiduciam pono in te!* —
Tu, o Jova, es deus meus ac summum meum bonum vs. 2., et 2.
qui te colunt meae deliciae vs. 3. *Dico Jovae: dominus es tu,*
te dominum agnosco; *Bonum meum non* est *supra te,* nihil
supra te aestimo, tu es summum meum bonum. Pro אָמַרְתְּ cum
nonnullis libris legendum אָמַרְתִּי coll. יָדַעְתְּ 140, 13. al. G. gr.
ampl. p. 266. E. gr. ampl. p. 267., nisi mavis statuere, recen-
tiores interdum *t* pro *ti* enuntiasse, more Aramaeorum, E. gr.
min. §. 281. extr. Quidquid statueris, אמרת primam personam
habebis, coll. 31, 15: אָמַרְתִּי אֱלֹהַי אָתָּה, 140, 7: אָמַרְתִּי לַיהוָֹה
אֵלִי אָתָּה. — *Sancti,* Jovae cultores, *qui in terra sunt, Sunt* 3.
illustres quibus unice delector, eos tantum magni facio, in pretio
habeo iisque delector, qui Jovam colunt in hac terra. לִקְדוֹשִׁים
propr. quod *ad sanctos* attinet, Nomin. absol. praemissa לְ, ut
Jes. 32, 1. al. E. gr. ampl. p. 603 sq. *Sancti,* Jovae cultores, ut
34, 10. cf. Exod. 19, 6. Quod subjicitur *qui in hac terra sunt,*
indicare videtur, vixisse scriptorem in terra, in qua qui Jovam
colerent numero pauciores essent, peregrina, inquam, prob. Ba-
bylonica. De Babylonia vero si intelligitur הָאָרֶץ, *sancti* qui
dicuntur aut sunt exsules universi, oppositi barbaris Jovae con-
temtoribus, aut ex Judaeis illi, qui Jovae in exsilio fidem ser-
varant, oppositi iis, qui fidem mutaverant barbarorum illiciti
exemplo. De הֵמָּה ad אֲשֶׁר referendo vid. G. gr. min. §. 141.
E. gr. min. §. 589. Quod voci אַדִּירֵי praemissum est וְ est con-
secutivum, apodosin incipiens, germanice transferendum *so,* ut
2 Sam. 15, 34. Job. 4, 6. cf. E. gr. min. §. 619. De grammatica
ratione verborum אַדִּירֵי כָּל־חֶפְצִי בָם vid. id. ibid. §. 487. —

4. Alii alios deos colunt, quos ego detestor vs. 4. Mihi enim ob-
tigit Jova, deorum longe praestantissimus vs. 5. 6. *Multa sunt
idola eorum*, Chaldaeorum puta, aut Judaeorum, qui a sacris suis
defecerant, cf. ad vs. 3.; *Ad alios* deos *festinant*. *Non libabo
libationes eorum*, istorum deorum i. e. quae illis libari solent,
cruentas, *Nec sumam nomina eorum super labia mea*, neque
unquam a me impetrabo ut nomina istorum deorum proferam,
laudibus efferam in solemnibus earum sacris. עַצְּבוֹת ab עָצַב
formare, fingere, laborare, vicino radicibus חָצַב, חָטַב, et *simu-
lacra* idolorum et *dolores* potest significare, quemadmodum alia
ejusdem thematis nomina utrumque significant. Priore significatu
ut accipiatur, suadet nexus, cf. inprimis membrum quartum.
Nomen plur. fem. constructum cum Verbo pl. masc. plane nullam
difficultatem habet; aut enim quod verbum nomini praecedit ratio
est G. gr. min. §. 144. E. gr. min. §. 567., aut quod עַצְּבוֹת
significat simulacra *deorum* G. gr. min. §. 143. E. gr. min. 569.
Quod autem dicit *idola eorum*, non accuratius significans, quo-
rumnam idola intellecta velit, id aut per contemtum facit, aut
quia ipse medius hominum deos falsos colentium vivebat. אַחֵר acc.
post verbum motus. Singularis indefinite est positus pro Plurali
indefinito E. gr. min. §. 569. Intelligi alios *deos*, docet nexus,
cf. Jes. 42, 8. 48, 11. מָהַר *festinare*, cf. Ni. Pi. Quum Suffi-
xum vocis שְׁמוֹתָם non possit non referri ad deos falsos, sequitur,
Suffixum voc. נִסְכֵּיהֶם ad eosdem referendum esse. Denique ad
libationes cruentas quod attinet, constat, veteres sanguinem pro
vino aut etiam sanguinem vino mixtum in quibusdam sacrificiis
5. libasse. — *Jova* est *portio agri et calicis mea* (non: portio
agri mei et calicis mei, cf. ad 11, 6.) i. e. pro deo quem cole-
rem obtigit mihi Jova, quod idem et altero membro exprimitur
hoc: *Tu es possessio sortis mea,* sorte mihi assignata. Imago
partim ab agris terrae Cananaeae desumta est, qui, postquam
dimensi erant, sorte distribuebantur, partim a poculo, in quo
paterfamilias domesticis suum cuique potum propinabat 11, 6.
תּוֹמִיךְ nomen abstractum tertiae formae יוֹתֵר, ultima dilatata,
possessio a תָּמַךְ prehendere, prehensum tenere, cf. secundae for-
mae nomen יְרֻשָּׁה = יְרֵשָּׁה a יָרַשׁ rapere, capere. Si prioris
membri sensus hic esset: Jovae omnia mea debeo, תּוֹמִיךְ posset
esse 2. Hi. a מוּךְ forma petita a יָמַךְ (cf. טוֹב et יָטַב, מגר et
יָמַר al.) in hanc sententiam: *Tu jacis sortem meam,* Sed du-

bito equidem, an nexus alium sensum admittat, quam is est,
quem inesse diximus supra; cf. ad vs. 4. — Dei, qui ipsi obti- 6.
gerit, praestantiam nunc praedicat, ita quidem, ut in imagine
ab agro sorte sibi tributa desumto persistat. *Funiculi* i. e. pars
dimensa, olim enim ad dimetiendos agros funibus utebantur, *ce-
ciderunt mihi*, sorte, puta, *amoene; Imo hereditas placet mihi.*
בַּנְּעִימִים accipiendum ut Job. 36, 11. שְׁפַר עַל i, q. chald. שְׁפַר
עַל, quod propr. significare *pulchrum esse apud* aliquem i. e.
coram aliquo, in oculis alicujus, elucet ex eo, quod etiam con-
structum reperitur cum קֳדָם Dan. 3, 32. 6, 2. al. et cum בְּעֵינֵי
Gen. 40, 18. Jon., Lev. 10, 19. 20. Onkel. cf. טַב עַל Esr. 5, 17.
— *Laudem Jovam, qui consuluit mihi*, ut ipsum prae ceteris 7.
deum eligerem; *Imo noctu monent me renes mei*, ut deum lau-
dibus efferam. — *Pono Jovam coram me continuo*, adhaeresco 8.
Jovae, deo, cujus tutelae sum; *Quando a dextra mea* est: *non
nuto*, nulla patior mala. Cf. vs. 11. extr. — *Propterea*, quod 9.
Jova est deus salutis meae, *laetatur cor meum atque exsultat
animus meus; Imo caro mea habitat secure*, securus vivo
omnium casuum. De כְּבוֹדִי vid. not. ad Gen. 49, 6. *Caro mea*
= ego. — *Neque enim relinquis*, committis *animam meam*, me 10.
orco, tu enim liberas me, si quae vitae meae minantur pericula;
Non permittis, pios tuos cultores *videre foveam*, perire, ad ver-
bum: *non das* s. *tradis pios tuos ad videndum* cet. Pro חֲסִידֶיךָ
Masorethae legi volunt חֲסִידְךָ, quod idem exhibent libri et scripti
et editi quam plurimi, exprimuntque veteres omnes (ex quo ta-
men non certo sequitur, eos Singularem scriptum legisse). Sed
vere Rosenmüllerus: „dicit vates (altero membro) universali pro-
positione, non permittere deum, ut pii sui cultores, quibus ipse
se accenset, malis succumbant, sed eripere eos periculis, quae
ipsorum saluti et vitae minantur.“ — *Monstras mihi viam vitae*, 11.
viam qua ex periculis emergam; *Satietas laetitiarum apud fa-
ciem tuam* est, summa felicitate fruuntur, qui te colunt, nam
deum qui colunt, coram deo ambulare dicuntur, *Gaudia* sunt
ad dextram tuam perpetuo, a te qui se duci sinunt, gaudiis
complentur perpetuis. Ad בִּימִינְךָ cf. מִימִינִי vs. 8.

PS. XVII. *Preces Davidis.* Sed qui vs. 10. et 14. com- 1.
memorantur homines omnibus rebus circumfluentes, voluptatibus
dediti, duri, superbi, in hostes Davidis non conveniunt. Videntur

preces inesse prophetae aut alius pii hominis oppressi a factione adversaria. Cf. Ps. 5. 6. 12. 13. coll. Jer. 12, 1—3., ubi similia leguntur. Strophae tres: vs. 1—5: succurre, o Jova, sincero tuo cultori! 6—12: defende me ab inimicis infestissimis, implacabilibus, fastuosis, insidiosis, 13—15: ab hominibus ad voluptatem omnia referentibus, bonisque omnibus affluentibus, quum ipse ego divinis rebus studeam tuaque fruar gratia! — *Audi, Jova, justitiam* i. e. me justum, integrum, *Attende clamorem meum, ausculta preces meas In*, super *non fraudulentis labiis*, labiis sinceris. בְּ *in* de loco, sede sermonis, ut alias עַל, nisi mavis: preces fusas *non fraudulentis labiis*, coll. 1 Chron. 12, 33: בְּלֹא
2. לֵב וָלֵב *non duplici corde* al. — *Abs te*, judice, *jus meum exit*, a te exspecto jus meum, *Oculi tui spectant*, judicant *recte*.
3. מֵישָׁרִים Acc. adv. ut 58, 2. — *Explorasti cor meum, inspexisti noctu*, quo tempore iis quisque maxime indulget, ad quae fertur ejus animus, *Probasti me: non invenis* sc. quod vestigas, quicquam maculae, cf. 1 Sam. 29, 3., *Meditari meum non praeterit os meum* i. e. cogitata mea non recedunt, discrepant ab ore meo, verbis meis, non aliter sentio atque loquor, cf. בְּלֹא שִׂפְתֵי מִרְמָה vs. 1. Possunt tamen sic quoque strui et explicari verba: *Explorasti . . . non invenis meditari meum mala*, mala me meditantem, cf. 18, 24., *Non transscendit* prohibita, non delinquit contra aliquid *os meum*. Quam interpretationem haud scio an praeferam. Incertior enim is עָבַר verbi significatus, quem superiore loco sumsimus; contra vix dubium mihi videtur, quin עָבַר, quod conjunctum cum תּוֹרָה, מִצְוָה constat esse migrare legem, possit, si faveat nexus, etiam solum positum significare *transscendere prohibita*, quemadmodum idem alibi absolute positum significat transire flumen. Accedit, quod ex hac interpretatione commoda nascitur proportio verborum. זַמּוֹת et חַנּוֹת 77, 10. esse Infinitivos (forma petita a verbo לה E. gr. min. §. 354. p. 221.), intelligitur ex שַׁמּוֹת וְשָׁאֹף Ezech. 36, 3. —
4. *Ad opera hominum*, vulgi, quod attinet, *in verbo labiorum tuorum*, lege tua occupatus *Ego observavi vias hominis ferocis*, ferociter contemnentis praecepta tua divina; quibus hoc sibi vult: inter meditationes de lege tua observavi hominum agendi rationem, vidique, quam proterve negligerent praecepta tua; quod cum animadvertissem, ego mihi diligenter cavi, ne illorum vestigia sequerer, quod ipsum exprimitur versu proximo. לִפְעֻלּוֹת

אָדָם absolute praemissum ut לִקְדוֹשִׁים 16, 3. אָדָם nomen generis
ad deteriorem partem, cf. מְתִים מֵחֶלֶד vs. 14. בִּדְבַר שְׂפָתֶיךָ de
verbo l. t. defixus, eo occupatus, illi intentus. Ad פָּרִיץ cf. vs. 10.
— *Inhaeserunt gressus mei orbitis*, viis *tuis*, *Non vacillarunt* 5.
passus mei. תָּמַךְ prehendere, prehensum tenere, firmiter tenere
Prov. 4, 4., cum בְּ *adhaerere*, *inhaerere* alicui rei, ut alia
hujus generis verba. תָּמֹךְ cum vi positum pro תָּמְכוּ G. gr.
min. §. 128, 4. E. gr. min. §. 583. cf. נָמוֹטוּ in altero membro.
— *Ego invoco te*, *nam exaudis me*, *o deus; Inclina aurem* 6.
tuam mihi, ad me, *audi sermonem meum!* — *Insignia redde* 7.
gratiosa tua beneficia i. e. praesta beneficia insignite gratiosa,
utpote versanti maximis in periculis vs. 9 sqq., tu *qui liberas*
confidentes tibi Ab adversariis dextra tua! מִמִּתְקוֹמְמִים et
בִּימִינֶךָ construenda cum מוֹשִׁיעַ. מִתְקוֹמֵם absol. *adversarius* ut
59, 2. — *Custodi me tanquam homunculum*, *filiam oculi*, instar 8.
pupillae i. e. quam diligentissime me custodi, cf. ad Deut. 32, 10.,
In umbra alarum tuarum occultes me, imagine petita ab avibus
pullos alis abscondentibus et protegentibus. De צָלַל radicis (tres
vulgo faciunt) vi vera nuper elegantissime exposuit *Stickel* in
Sententiis Ali Ben Abi Taleb arabice et persice ab ipso editis
(Jen. 1834.) p. 57 sq. his verbis: „ضَلَّ radicis et cognatarum
primigenia significatio quaerenda est in *vibrante* et *incerto motu*,
ut sonorum ex tintinnabulo, unde صَلَّ, צָלַל *tinnivit*; ut um-
brarum e. c. ex arboribus vento motitatis, unde ظَلَّ, צָלַל *obum-
bratus est;* ut rerum citato cursu volutarum, unde צָלַל *ruit*,
volvit se, vel etiam personarum incerto tramite vagantium, unde
ضَلَّ *erravit*, dein *abditus fuit*, *disparuit*, *periit*.“ Una sola
qualis haec est observatio plus pretii habet, quam libri quales
hodie ab illuminatis quos vocant in lucem emittuntur, inanium
verborum strepitu resonantes integri. — *Ab improbis*, *qui con-* 9.
fecerunt me, *Hostibus* qui *cum impetu circumdant me*, נֶפֶשׁ
h. l. ut 27, 12. 41, 3. est is animi impetus, quo hostis in hostem
fertur, — *Qui cor suum torpens* i. e. durum suum animum *clau-
serunt*, *Ore suo loquuntur cum fastu*, insolenter. חֵלֶב hic et
infra 73, 7. *cor* (خِلْب pericardium) a pinguedine dictum, pariter
atque לֵב, a quo tamen ita differt, ut adjunctam habeat notio-
nem torporis i. e. transl. ad animum: duritiei et obstinationis,

cf. 119, 70. Jes. 6, 10. Cujus discriminis causam posuerim in
eo, quod quae in לֵב evanuit primaria significatio in חֵלֶב viget
adhuc et ita viget, ut alterâ sit frequentior. De פִּימוֹ vid. ad
11. קוֹלִי 3, 5. — *Quoad gressus nostros*, quo me cunque verto cum
amicis, *nunc circumdederunt me*, ab iis me video circumdatum,
Oculos suos dirigunt, intendunt, intentos habent, *inclinando in
terram*, corpore ad terram inclinato, ut solent qui insidias quam
occultissime struunt, cf. vs. 12. אַשֻּׁרֵנוּ Acc. E. gr. min. §. 512.
Pro סְבָבוּנִי Chald. K'ri et plurimi libri סְבָבוּנוּ quod rejiciendum.
Suo et suorum nomine in eadem sententia loquitur vates. Si-
milia vid. Num. 22, 6. Ad עֵינֵיהֶם יָשִׁיתוּ cf. 10, 8: עֵינָיו לְחֵלְכָה
12. יְצַפְּנוּ. — *Imago ejus*, improbi, est *sicut leo*, imago leonis, qui
appetit discerpere, *Et sicut leo juvenis sedens in latibulis.*
13. Cf. 10, 9. — *Surge, Jova, anteverte faciem ejus*, anteverte im-
petus ejus te coram ipso sistens, *prosterne eum*, *Libera animam
meam*, me, *ab improbo* homine *gladio tuo*, de חַרְבֶּךָ et quod vs.
14. proximo sequitur יָדְךָ vid. ad קוֹלִי 3, 5.; — *Ab hominibus manu
tua*, *o Jova*, *ab hominibus ex mundo*, mundanis, rerum terre-
narum, vanarum amantibus; *Portio eorum* est *in vita*, felicitas
eorum in vitae deliciis sita est, *et thesauro tuo imples ventrem
eorum*, sinis eos in omnium rerum abundantia vivere, quae ab-
undantia uberius describitur membro quod sequitur, *Satiantur
filii* eorum, non esuriunt, ut pauperum filii, *et relinquunt* (filii)
abundantiam suam liberis suis, habent isti Fortunae alumni,
quod sibi, quod liberis liberorumque liberis sufficiat. חֶלֶד labi,
praeterlabi, vicinum radici חָלַף aliisque ordientibus a syllaba חל,
in qua lubrici et glabri notio inest. Hinc חֶלֶד est *vita* cito
praeterlabens, fluxa et caduca 39, 6. 89, 49., et *mundus*, in quo
vivimus, cujus res fluxae et caducae sunt 49, 2. et hoc loco.
Pro וּצְפִינְךָ K'ri et nonnulli libri וּצְפוּנְךָ (Job. 20, 26.), quo
15. facile carebis, G. gr. min. §. 83, 5. E. gr. min. §. 323. — *Ego
vero in justitia*, propter rectam quam ago vitam, *specto faciem
tuam*, te deum propitium habeo, *Satior*, *cum expergiscor*, quo-
tiescunque expergiscor, *imagine tua*, diem de die plena felicitate
perfruor ex sensu gratiae tuae. חָזָה פְּנֵי יי *spectare faciem
Jovae* est Jovam propitium habere, imagine sumta a regibus, qui
iis tantum, quibus favent, sui copiam dant. Id si est, quod se-
quitur שָׂבַע תְּמוּנַת יי *satiari imagine Jovae*, i. e. plena gaudia
percipere ex intuitu imaginis Jovae, nihil aliud potest esse nisi;

plena gaudia percipere ex sensu divinae gratiae. Debet enim utraque locutio eodem modo accipi, ita postulante lege parallelismi. בְּהָקִיץ *cum expergiscor* distributive capiendum pro quotiescunque expergiscor, ut si scriptum esset לַבְּקָרִים *quovis mane*. Alii תְּמוּנַת יְיָ et חָזוֹת פְּנֵי יְיָ שֹׂבַע proprie intelligunt coll. Num. 12, 8., atque הָקִיץ de expergiscendo e sopore mortis dictum volunt, ut 2 Reg. 4, 31. Jes. 26, 19. Jer. 51, 39. Dan. 12, 2. Job. 14, 12. Quorum tamen locorum longe alia ratio est, quippe in quibus ut *spectare faciem dei* proprie dictum putemus, *expergisci* de expergiscendo e somno mortis intelligamus postulet nexus, id quod in hunc qui prae manibus est locum neutiquam cadit, quandoquidem felicitati eorum, qui humana tantum curant, ad voluptatem omnia referunt bonisque omnibus affluunt (vs. 14.), neque recte opponitur status eorum, qui in hac vita rebus divinis student deique fruuntur gratia, atque illorum, qui in altera vita ex intuitu praesentissimi numinis gaudia percipiunt; nec quicquam praeterea in carmine reperitur, quod ut de vita post mortem futura cogitemus faciat.

PS. XVIII. *Praecentori* (vid. ad 4, 1.) canendum, carmen 1. 2.
servi Jovae, *Davidis*, *qui locutus est ad Jovam verba cantici hujus*, *quo tempore eripuerat Jova eum e manu omnium hostium ejus et* speciatim *e manu Sauli*, — *Et dixit*. בְּיוֹם הִצִּיל E. gr. min. §. 494. וּמִיַּד שָׁאוּל *et* speciatim, praesertim *e manu Sauli*, prorsus ut Jes. 1, 1: עַל יְהוּדָה וִירוּשָׁלִָם *super Juda et* speciatim *Hierosolymis*, Jos. 2, 1: spectate אֶת־הָאָרֶץ וְאֶת־יְרִיחוֹ *terram et* speciatim *Hierichuntem*. Quod dicit inscriptio, confirmatur argumento, quippe ex quo intelligatur, carmen compositum esse a Davide longius aetate provecto, quum hostes omnes superasset, et regno constituto in altissima pace degeret, vss. 42. 44 sqq. 51. Aliud carminis exemplar legitur 2 Sam. 22. verbis et sententiis discrepantibus haud paucis. Neutrum per omnia ad veritatem descriptum est. Habet potius utrumque veris admixta falsa, scribarum tribuenda incuriae atque arbitrio. Sitne vero, ubi inter se differunt, hic an istic erratum, quamquam sunt quibus videatur posse dici, tamen rarius dici potest, quum saepissime utraque scriptura commodum sensum fundat. Videtur tamen quod prae manibus est exemplum rarius quam alterum a vero aberrare. Ceterum verbosior est Psalmus, quam ut magni-

dicus recte dicatur. Strophae quinque: vs. 2—4: laudibus effert
Jovam, cui salutem debeat. 5—19: in maximis periculis consti-
tutum Jovam se invocasse, ab eoque ex illis liberatum esse.
20—27: liberationis ratio ab ipsius pietate ducta. 28—46:
repetita praedicatio lati sibi auxilii. 47—51: repetitae laudes
Jovae. — Orditur a celebratione numinis, cui salutem debeat
vs. 2—4. *Amo te, o Jova, robur meum!* In altero exemplo
integra haec sententia abest. Sed haud rari sunt Psalmi, qui ab
uno tantum hemistichio incipiunt, neque id quidem sine vi, cf.
3. 16, 1. 23, 1. 25, 1. 87, 1. 90, 1. 100, 1. al. — *Jova est rupes
mea et cacumen meum*, refugium meum, *et liberator meus,
Deus meus, petra mea, in quam confugio, Clypeus meus et
cornu salutis meum, altitudo mea*, fastigium meum. קֶרֶן יִשְׁעִי
cornu salutis meum vel: arma quibus me defendo, imagine pe-
tita a bestiis corniferis, vel: vertex montis in quem confugio,
verticem enim, ut قَرْن, קֶרֶן significat Jes. 5, 1. Priori signi-
ficatui favet quod proxime praecedit מָגִנִּי, posteriori quod sub-
jicitur מִשְׂגַּבִּי. In altero exemplari oratio ad Jovam conversa
est, vid. infra. In eodem pro וּמְפַלְטִי est וּמְפַלְטִי לִי, ut 144, 2.
Ibidem post מִשְׂגַּבִּי adjecta leguntur וּמְנוּסִי מֹשִׁעִי מֵחָמָס תֹּשִׁעֵנִי,
quae conjuncta cum מִשְׂגַּבִּי duo nova membra efficiunt sic distin-
guenda: *Altitudo mea et refugium meum, Servator meus*, qui
4. *ab injuria servas me.* — *Celebratum invocavi, Jovam, Et ab
hostibus meis servatus sum.* Qui versus totius carminis argu-
mentum in se continet. מְהֻלָּל Substantivi vim habet, et quod
sequitur יְהוָה cum eo cohaeret appositione. Articulus eo facilius
potuit omitti, quo usitatius est מְהֻלָּל de deo dictum, 48, 2.
96, 4. 113, 3. 145, 3. 1 Chron. 16, 25. אֶקְרָא E. gr. ampl. p. 529.
5. min. §. 264, a. — Exponit nunc, in quantis periculis versatus
sit, et quomodo a Jova, cujus opem implorasset, ex illis sit ereptus
vs. 5—19. *Cinxerunt me funes mortis, Et torrentes exitii
terruerunt me.* *Laquei* et *fluctus* periculorum imagines Hebraeo-
rum scriptoribus maxime familiares vs. 17., 32, 6. 40, 3. 69, 2.
3. Job. 18, 9. 10. al. Videtur tamen pro חֶבְלֵי מָוֶת, quod ex
vicino vs. 6. huc translatum putaveris, reponendum esse quod
in altero exemplo habetur מִשְׁבְּרֵי מָוֶת *fluctus mortis*. Probabile
est enim, eadem utroque membro imagine usum esse vatem, quem-
6. admodum eadem utroque usus est versu proximo. — *Funes orci
circumdederunt me, Occupaverunt me laquei mortis.* סְבָבוּנִי

rarior atque ad pausam accommodatior forma quam quae 2 Sam. legitur סַבּוּנִי, cf. זָמְמוּ 31, 14., et quod maxime huc facit סַבּוּנִי גַם סְבָבוּנִי 118, 11. — *In angustiis cum versarer, invocavi* 7.
Jovam, Atque ad deum meum vociferatus sum; Audivit e palatio suo, coelo 11, 4., *vocem meam, Et vociferatio mea coram eo pervenit in aures ejus.* בְּיוֹם צַר לִי = בַּצַּר לִי. Pro אֲשַׁוֵּעַ alterum exemplar repetitum exhibet אֶקְרָא, quod languet. Pro יִשְׁמַע idem distinctius habet וַיִּשְׁמַע. Atque sic etiam vs. 12. Ps. יָשֶׁת, 2 Sam. וַיָּשֶׁת; vs. 39. Ps. אֶמְחָצֵם, 2 Sam. וָאֲכַלֵּם וָאֶמְחָצֵם ibid. Ps. יִפְּלוּ, 2 Sam. וַיִּפְּלוּ; vs. 44. Ps. תְּפַלְּטֵנִי, 2 Sam. וַתְּפַלְּטֵנִי. Verum et vice versa vs. 14. Ps. וַיַּרְעֵם, 2 Sam. יַרְעֵם; vs. 16. Ps. וַיִּגָּלוּ, 2 Sam. יִגָּלוּ. Quod post וְשַׁוְעָתִי legitur לְפָנָיו satis otiosum est; contra in altero exemplari aegrius desideratur תָּבוֹא.
Quae nunc sequitur εἰδωλοποίησις deum dicens ad preces Davi- 8.
dis apparuisse inter fulgura ac tonitrua conjuncta cum terrae motu rel., nihil aliud sibi vult, quam deum Davidi subvenisse. Similia vid. Hab. 3, 3 sqq. al. *Et commota est et contremuit terra, Et fundamenta montium quassa sunt, Et concussa, nam exarserat ei* Jovae ira. Pro וַתִּגְעַשׁ, quod cum vicino וַתִּרְעַשׁ paronomasiam facit, Masorethae ad 2 Sam. conformandi studio ducti (cf. וַיִּתְגָּעֲשׁוּ membri tertii) legi volunt וַיִּתְגָּעַשׁ, hujusque in loco ad evitandam discrepantiam generis in nonnullis libris positum וַתִּתְגָּעַשׁ. Pro הָרִים in eodem illo exemplo haud minus commodum reperitur הַשָּׁמַיִם; nam cum Hebraei coelum solidum putarint, eidem recte tribuerunt fundamenta. — *Adscendit fumus* 9.
in nasu ejus, Et ignis ex ore ejus consumsit i. e. et ignis consumens obvia quaeque ex ore ejus exiit, *Prunae exarserunt ex eo.* Fumus nasi alias semper est imago irae divinae, petita, ut videtur, ab equis leonibusve, qui furore concitati naribus dilatatis solent anhelare ex iisque spiritum concitato motu propellere; cf. vs. 16. extr. Sed quae altero ac tertio membro habentur, vix aliter quam de fulminibus intelligi possunt, cf. vs. 13. 14. et 50, 3. Imprudens scriptor ab irae descriptione ad descriptionem tempestatis delapsus videtur. — *Et inclinavit coe-* 10.
los et descendit, ingruente tempestate coelum videtur demittere sese, *Et caligo nubium sub pedibus ejus*, ante se demissis nubibus, E. gr. min. §. 607. — *Et vectus est super Cherubo*, 11.
i. e. solio gestato a Cherubis, ministris suis Ezech. 1, 22. 26. 10, 1., *et volavit*, cum summo impetu et celeritate volant Che-

rubi instructi alis rotisque maxime volubilibus Ezech. 1, 6 sqq.
10, 2 sqq., *Et volavit super alis venti.* Pro וַיֵּדֶא, quod paral-
lelismo optime est consentaneum, in altero exemplo est וַיֵּרָא *et*
12. *apparuit.* — *Posuit*, fecit *tenebras velamen suum*, *Circum se*
tugurium suum, *Tenebras aquarum*, nubes aquosas, *caligines*
nubium. יָשֵׁת = וַיָּשֶׁת, vid. ad 9, 10. Pro יָשֶׁת חֹשֶׁךְ סִתְרוֹ
וַיָּשֶׁת חֹשֶׁךְ סְבִיבוֹתָיו סֻכָּתוֹ alterum exemplum habet סְבִיבֹתָיו סֻכּוֹת
et fecit tenebras circum se tuguria, quod quam inepte dictum
sit nemo non videt. Verum quod in eodem pro חֶשְׁכַת מַיִם ex-
stat חַשְׁרַת מַיִם nequaquam temere est rejiciendum. In Talmude
enim חָשַׁר est *cribrare* (cf. etiam حَشَرَ), de nubibus: *guttatim*
13. *stillare.* — *Ex fulgore coram eo* i. e. quo circumfusus est
Jova, *nubes ejus* fulmina parturientes *processerunt*, proruperunt,
Grando et prunae ignis, fulgura. Hunc sensum esse verborum,
docet quod 2 Sam. habetur illorum interpretamentum: מִנֹּגַהּ נֶגְדּוֹ
בָּעֲרוּ גַּחֲלֵי אֵשׁ *ex fulgore coram eo exarserunt prunae ignis.*
14. Cf. vs. 9: גֶּחָלִים בָּעֲרוּ מִמֶּנּוּ. — *Et tonuit in coelis Jova*, *Et*
Altissimus edidit vocem suam, *Grandinem et prunas ignis.* Pro
בַּשָּׁמַיִם in 2 Sam. reperitur מִן שָׁמַיִם. Ibidem omissa בָּרָד וגו׳.
15. — *Et emisit sagittas suas*, fulmina, *et dispersit eos*, *Et ful-*
gura multa, et conturbavit eos, hostes puta vs. 18 sq. cf. 144,
6. 1 Sam. 7, 10. Alii fluctus intelligunt coll. vs. 16. et 17. Sed
vs. 16. nonnisi ad expingendam imaginem tempestatis facere vi-
detur, et quod versu 17. aquarum imagine utitur (vs. 5.), causa
videtur casu oblata esse, utpote posita in vs. 17: רַב Adv. tan-
quam Adjectivum appositione cohaerens cum Substantivo G. gr.
ampl. p. 827. E. gr. min. §. 486. Pro וַיְהֻמֵּם 2 Sam. omisso
16. Suffixo וַיָּהֹם. — *Et apparuerunt fundi aquarum* = יָם 2 Sam.,
Et retecta sunt fundamenta orbis terrarum, *Ob increpationem*
tuam, *o Jova*, *Ob anhelitum spiritus nasi tui* i. e. vi horridae
17. tempestatis excitatae ab irato numine. — *Extendit* manum, cf.
144, 7., *ex alto*, *et prehendit me* jamjam occubiturum, *Extraxit*
18. *me ex aquis magnis.* Cf. ad vs. 5. — *Liberavit me ab hoste meo*
valido, *Et ab osoribus meis*, *quoniam validiores erant me.*
19. אֹיְבִי עָז E. gr. ampl. p. 626. min. §. 480. — *Irruerunt in me*
tempore calamitatis meae, *Et exstitit Jova fulcrum mihi.* —
20. Affert jam liberationis rationem a sua pietate ductam vs. 20—27.
Similia Davidis eloquia vid. 2 Sam. 23, 1 sqq. *Eduxit me in*
amplum spatium, eripuit me ex angustiis, cf. 4, 2., *Extraxit*

me, *quoniam delectabatur me*, me amabat. — *Rependit mihi* 21.
Jova secundum justitiam meam, *Secundum puritatem manuum*
mearum, secundum innocentiam meam *retribuit mihi*. — *Nam* 22.
servavi vias Jovae, quas Jova jussit me ingredi, *Neque impie*
defeci a deo meo. — *Etenim omnes leges ejus coram me* fue- 23.
runt, eas semper ob oculos habui, *Et statuta ejus non removi*
a me. Pro וְחֻקֹּתָיו לֹא אָסִיר מֶנִּי in altero exemplo est וְחֻקֹּתָיו
לֹא אָסוּר מִמֶּנָּה *et statuta ejus* quod attinet, *non recessi inde*,
חֻקֹּתָיו absolute praemisso, מִמֶּנָּה neutraliter posito ut in illo
בְּחַטֹּאות יָרָבְעָם דָּבַק לֹא סָר מִמֶּנָּה 2 Reg. 3, 3. — *Et fui in-* 24.
teger cum eo, integro, sincero animo egi cum eo, fui erga eum,
Et cavi mihi a pravitate mea i. e. ne quid ego mali agerem,
cf. זַמֹּתִי 17, 3. — *Et retribuit Jova mihi secundum justitiam* 25.
meam, *Secundum puritatem manuum mearum* quae *coram oculis*
ejus, ipsi probe notam. — *Cum pio pium te exhibes*, pie agis, 26.
Cum homine integro integre, cum sincero sincere *agis*; — *Cum* 27.
puro pure, cum candido candide *agis*, *Et cum fallaci dolose*
agis. Pro תִּתְבָּרָר in altero exemplo est תִּתָּבָר, quod defendi
possit E. gr. ampl. p. 477. min. §. 234. Verum quod pro תִּתְפַּתָּל
ibidem habetur תִּתַּפָּל, manifesta depravatio est. Hinc rejicien-
dum et תִּתָּבָר. Sensus: Qualis quisque est, talem illi se exhibet
deus, gerit se deus erga homines pro eorum agendi ratione. —
Denuo praedicat opem sibi divinitus latam vs. 28 — 46. *Sane tu* 28.
populum afflictum, populum meum multis calamitatibus oppres-
sum *servasti*, *Oculos elatos*, superbos, i. e. hostes insolenter se
gerentes *depressisti*. Quod 2 Sam. exstat וְעֵינֶיךָ עַל רָמִים תַּשְׁפִּיל
sensum idoneum non fundit. — *Sane tu jussisti lucere lucer-* 29.
nam meam, res meas prosperari, *Jova*, *deus meus*, *collustravit*
tenebras meas. — *Nam per te*, tuo adjutus auxilio *adortus sum* 30.
turmas, hostiles puta, *Et per deum meum* transsilii *muros*,
בְּ est subsidii G. gr. min. §. 151, 3. 2. E. gr. min. §. 528, 3.
cf. 44, 6: בְּךָ צָרֵינוּ נְנַגֵּחַ בְּשִׁמְךָ נָבוּס קָמֵינוּ coll. vs. 7: כִּי לֹא
בְקַשְׁתִּי אֶבְטָח וְחַרְבִּי לֹא תוֹשִׁיעֵנִי. רוּץ et דִּלֵּג cum Acc. E. gr.
ampl. p. 585. min. §. 507. — *Deus*, Nom. absol., *integra*, recta 31.
est via ejus, ejus agendi ratio, recte cum suis agere solet,
Verbum Jovae est liquatum, sincerum, nihil habens fallaciae, cf.
12, 7., *Clypeus est ille omnibus fiduciam collocantibus in eo*.
— *Etenim quisnam est deus praeter Jovam*, *Et quis est petra* 32.
praeter deum nostrum? cf. vs. 3. — *Illum*, inquam, *deum*, *qui* 33.

cinxit me robore, mihi robur conciliavit, imagine petita a cin-
gulo, sive quo quis cinctus ad laborem expeditior redditur, sive
a quo gladius pendet, quod h. l. ad nexum est accommodatius,
Et fecit incolumem i. e. tutam *viam meam*, inter media agmina
hostium; cf. vs. 34 sq. הָאֵל appositione cohaeret cum אֱלֹהֵינוּ,
et quod sequitur הַמְאַזְּרֵנִי est Participium proprie sic dictum,
appositione conjunctum cum Nomine substantivo, ut הַנּוֹתֵן vs. 48.,
non relativum, quod vim habeat Praedicati, alioquin abesset ar-
ticulus. In altero exemplo habes הָאֵל מָעוּזִּי חָיִל וַיַּתֵּר תָּמִים
דַּרְכִּי *deus est munimentum meum firmum* E. gr. min. §. 500.,
Et reliquit incolumem, periculo vacuam *viam meam*, וַיַּתֵּר a rad.
34. נָתַר significatione sumta a יָתַר. — *Reddidit pedes meos ut cer-
vas* i. e. ut cervarum pedes, quam velocissimos, tum ad perse-
quendos hostes, tum quod hic potissimum respicitur ad fugien-
dos, *Et in locis meis excelsis*, in rupibus in quas me recipere
solebam (11, 1.), *stare me fecit*, in eas evadere me sivit. כָּאַיָּלוֹת
omisso quod comparatur Substantivo, ut 48, 7. 55, 7. E. gr.
ampl. p. 614. Cervae tanta pernicitas, ut Aegyptii in hierogly-
phicis non aliter velocitatem significaverint quam picta cerva
35. currente. — *Instituit manus meas ad bellum*, *Ut tenderent
arcum aeneum brachia mea.* נִחֲתָה Pi. a rad. נָחַת, *descendere
fecit*, *depressit*, ut 65, 11., hinc *tetendit* arcum, quia qui arcum
tendit, cornua ejus deprimit, ad se facit descendere. De Nomine
plurali feminino constructo cum Verbo singulari fem. vid. G. gr.
min. §. 143, 3. E. gr. min. §. 568. Possit et quod 2 Sam. le-
gitur ferri Verbum singulare masculinum, de quo G. §. 144.
E. §. 567. Ceterum constat arma apud veteres *aere* facta esse,
nam „prior aeris erat quam ferri cognitus usus.“ Lucret. de Rer.
36. Nat. 5, 1282. — *Et dedisti mihi clypeum salutis tuum*, *Et
dextra tua suffulsit me*, *Et clementia tua magnum me fecit.*
עַנְוָתְךָ *clementia*, ut עַנְוָה 45, 5. In altero exemplo est וַעֲנֹתְךָ
et exaudire tuum, quod languidum. In eodem omissa וִימִינְךָ
37. תִּסְעָדֵנִי. — *Latum fecisti gressum meum sub me*, fecisti ut,
quocunque irem, lato et amplo gressu i. e. libere, nullo objecto
impedimento, ingrederer; oppositum est *coarctare gressum* ali-
cujus i. e. impedire, morari Prov. 4, 12. Job. 18, 7., *Nec va-
cillarunt tali mei.* Pro תַּחְתַּי alterum exemplum hic et infra
vs. 40. 48. formam rariorem habet תַּחְתֵּנִי, de qua vid. G. gr.
38. min. §. 30. adn. E. gr. min. §. 466. — *Persecutus sum hostes*

meos atque assecutus sum eos, Nec reversus sum, donec consumsissem, perdidissem eos. Pro אֶרְדּוֹף וְאַשִּׂיגֵם, ad quod cf. 7, 6. atque Exod. 15, 9., alterum exemplar minus convenienter
ad nexum exhibet אֶרְדְּפָה וָאַשְׁמִידֵם. — *Percussi eos, nec po-* 39.
tuerunt surgere, Ceciderunt sub pedes meos. Pro אֶמְחָצֵם
2Sam. habet וָאֲכַלֵּם וָאֶמְחָצֵם eum vi repetito ex superiore versu
כַּלּוֹתָם. — *Et cinxisti me robore ad bellum, Prostravisti adver-* 40.
sarios meos sub me. Pro וַתְּאַזְּרֵנִי in altero exemplo scriptum est וַתַּזְרֵנִי, de quo vid. ad 6, 3. קָם Substantivi vim habet E. gr. ampl. p. 620. G. gr. min. §. 132. cf. vs. 49. 44, 6. 59, 2.
Job. 27, 7. — *Et hostes meos fecisti mihi tergum* i. e. tergum 41.
praebentes, ut hostes mei mihi terga obverterent fecisti, eos fugasti; eadem locutio Exod. 23, 27: וְנָתַתִּי אֶת־כָּל־אֹיְבֶיךָ אֵלֶיךָ עֹרֶף et infra Ps. 21, 13: תְּשִׁיתֵמוֹ שֶׁכֶם, ubi bene Symmachus: *τάξεις αὐτοὺς ἀποστρόφους, Et osores mei,* Nomin. absol., *perdidi eos.* Pro נָתַתָּה in 2 Sam. est תַּתָּה, ut תְּנָה pro נָתְנָה 8, 2., רַד pro יָרַד Jud. 19, 11. G. gr. ampl. p. 139. E. gr. ampl. p. 460. min. §. 287. extr. p. 151. In eodem pro וּמְשַׂנְאַי אַצְמִיתֵם transposita copula מְשַׂנְאַי וָאַצְמִיתֵם eadem sententia; est enim hic quoque מְשַׂנְאַי Nomin. absol., et quod sequitur וְ germanice transferendum *so.* — *Vociferati sunt, neque adfuit servator; Ad* 42.
Jovam, neque exaudivit eos. Dicit עַל, quia qui Jovam vocant sursum spectant. In altero exemplari pro יְשַׁוְּעוּ habetur יִשְׁעוּ *circumspectarunt* auxilium quaerentes, optantes, cf. Jes. 17, 7. 8. 31, 1. et supra Ps. 5, 4., quam scripturam equidem non damnaverim ob id, quod עָנָה ostendat, praecedere debuisse verbum, quod significet *clamare* aut *invocare.* Etenim illud unum postulare videtur exaudiendi verbum, ut antegressa sint vota aut preces, quae vel oculis possunt exprimi. — *Et comminui eos* 43.
instar pulveris coram vento i. e. delevi eos ita, ut nullum eorum vestigium superesset, nam qui coram vento comminuitur pulvis non potest non dissipari, *Instar coeni platearum effudi eos.* Pro כְּעָפָר עַל פְּנֵי רוּחַ 2Sam. habet כַּעֲפַר אֶרֶץ omisso עַל פְּנֵי רוּחַ. Ibidem pro אֲרִיקֵם scriptum אֲדִקֵּם *contudi eos,* conculcando, puta, quod alteri videtur praeferendum, quoniam est ad parallelismum accommodatius. Verum quod ibidem insuper subjectum est אֶרְקָעֵם nihil est nisi antegressi interpretamentum, ceteroquin
bonum. — *Eripuisti me ex litibus hominum,* e bellis civilibus, 44.
Constituisti me caput populorum, Homines, quos non novi,

quorum antehac vix ullam consecutus sum scientiam, *serviunt mihi*, imperio meo subjecti sunt. Ad intestinos motus a deo compositos primum membrum referendum esse praeter ipsum בְּרִיב verbum ostendunt locus parallelus vs. 48. et quae in altero exemplo habentur haec: *Et eripuisti me ex litibus populi mei, Conservasti me in caput*, ut fierem caput *populorum* cet. עַם לֹא
45. יְכַחֲשׁוּ G. gr. min. §. 121, 3. E. gr. min. §. 591. — *Ad auditum auris*, simulatque de me audierunt, ad solam famam de armis meis victricibus, cf. Job. 42, 5., *audientes*, obedientes *se praestant mihi* G. gr. ampl. p. 239. E. gr. ampl. p. 203. min.
46. §. 243., *Peregrini adulantur mihi.* — *Peregrini concidunt* exhausti bellis quae cum iis gessi, cf. Exod. 18, 18., *Et trepidant*, trepidi exeunt *ex claustris*, munimentis *suis*, se suaque omnia permittentes libero arbitrio victoris, cf. Mich. 7, 17. חָרַג quod praeter hunc locum non reperitur, lucem suam accipit ex arab. حَرِجَ *angustus fuit, angustia pressum fuit* pectus, atque chald. חַרְגָּא *trepidatio, horror* Deut. 32, 25. cf. etiam Ges. Lex. Pro וְיַחְרְגוּ in altero exemplari habetur וַיַּחְגְּרוּ, qui manifestus
47. error est scribentis. — Eo jam redit, unde est egressus, ad laudes, inquam, Jovae, qui ipsum tot ac tantis cumulaverit beneficiis vs. 47—51. *Vivat Jova, et laudetur petra mea, Et*
48. *exaltetur deus salutis meus!* — *Is deus, qui dedit*, concessit *ultionem mihi*, quae verba commode referuntur ad spiritus civium rebellantium a deo fractos, quemadmodum quae subjiciuntur pertinent ad victorias deo juvante ab exteris populis reportatas, cf. vs. 44., *Et subjecit populos sub me*, mihi. הָאֵל הַנּוֹתֵן vid. supra ad vs. 33. הִדְבִּיר h. l. ut 47, 4. esse *in ordinem cogere, coërcere, subigere*, praeter תַּחַת, quocum est constructum, duo docent interpretamenta תּוֹרִיד 2 Sam. et הָרֹדֵד Ps. 144, 2. —
49. *Eripuit me hostibus meis*, ab iis me liberavit; *Imo prae adversariis meis exaltasti me*, imo etiam super illos me extulisti,
50. *Ab homine violento liberasti me.* — *Propterea celebrabo te inter*
51. *populos, o Jova, Et nomini tuo canam*, — *Qui magnam facit salutem regis sui* (sic quidem ad verbum; latine enim dicendum erat: qui — facis — tuis cet.), qui amplissimis beneficiis exornat, quem ipse regem constituit, *Et facit gratiam*, benevolentiam praestat *uncto suo*, cf. 2, 2. 6., *Davidi et semini*, posteris *ejus in perpetuum!* Offensioni est nonnullis, tum quod

Davides nomen suum profitetur, tum quod pro conferendis in posteros beneficiis gratias agit. Reperiuntur tamen praeter hunc tres loci, in quibus nomen suum edidit Davides, 2 Sam. 7, 20. 26. 23, 1.; posteris autem qui offenduntur, legant quae ibidem 7, 20. 26. dicta inveniuntur.

PS. XIX. *Praecentori* (4, 1.) canendum, *carmen Davidis.* 1.
Est duarum stropharum Psalmus, quarum una canit admirandam
dei qualis in coelorum opificio sese exserit magnitudinem vs.
2—7., altera legis divinae laudat praestantiam vs. 8—15. Sunt,
qui hunc Psalmum ex duobus diversis carminibus conflatum existi-
ment, tum ob subitum ab una ad alteram partem transitum,
tum quod prioris partis oratio sublimior est oratione posterioris
partis, atque ad vividiores alligata rhythmos. Sed haud rari sunt
apud lyricos vates subitanei ab uno ad alterum argumentum
transitus; ad orationem autem quod attinet, ea in utraque parte
apta est ad argumentum. Nam coeli contemplationem granditas
decet verborum numerorumque vigor, de lege meditationem oratio
pacata atque placida. Ceterum, quum quae vs. 12. 13. habentur
vix aliter quam de lege *scripta* intelligi possint, probabile est,
Psalmum circa exsilii Babylonici aetatem compositum esse. —
Coeli enarrant gloriam dei, Et opus manuum ejus praedicat 2.
firmamentum. Sic dicimus: opus laudat artificem. — *Dies diei* 3.
nuntiat dictum, divinae laudis, puta, *Et nox nocti indicat
scientiam* divinae gloriae. Fingit vates, quemvis diem peracto
cursu divinam gloriam, cujus testis fuerit, nunciare diei sequenti;
item quamvis noctem nocti sequenti. Haud tamen scio an ac-
commodatior ad nexum haec sit interpretatio: *Dies de die* (propr.
Tag an Tag) *nunciat* sc. nobis, ut vs. 2. cf. vs. 4., *dictum*
divinae laudis, *Et nox de nocte (Nacht an Nacht) indicat* cet.
— *Non est dictum, neque sunt verba, Quorum non sit audita,* 4.
non audiatur *vox*, et quae dies noctesque sine intermissione
nunciant vs. 3., tam clara sunt, ut ab omnibus percipi possint
atque intelligi. Cf. illud Ciceronis: „Quis est tam vecors, qui
cum suspexerit in coelum deos esse non sentiat; et ea quae tanta
mente fiant, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicis-
situdinem persequi posset, casu fieri putet?" בְּלִי נִשְׁמָע קוֹלָם
sententia relativa omisso אֲשֶׁר. בְּלִי נִשְׁמָע *non auditus* s. *au-
diendus*, ut בְּלִי מָשִׁיחַ *non unctus* E. gr. ampl. p. 656. min. §. 575.
— *In universam terram exit sonus eorum, Et in fines orbis* 5.

verba eorum, *In quibus* (finibus) *soli posuit* deus *tentorium.* קַוָּם recte sine dubio LXX reddiderunt φθόγγος, Symm. ἦχος, Vulg. *sonus.* קָוָה stringere, tendere; hinc קַו *funis*, *funiculus*, et transl. ad vocem: *sonus*, prorsus ut graecum τόνος et *funem* et *sonum* significat a τείνω, cf. arab. قَوَّهَ *clamavit.* לַשֶּׁמֶשׁ et quae sequuntur sunt relative accipienda. בָּהֶם referendum est ad קְצֵה תֵבֵל, cujus ante oculos vatis obversabatur Pluralis, quasi scripsisset קְצֵי תֵבֵל; sic vs. 7. membro primo קְצֵה הַשָּׁמַיִם dicit, secundo in Plurali קְצוֹתָם. In *finibus orbis terrarum* (s. *coeli* vs. 7.) i. e. in iis regionibus, ubi coelum circulo prospectum definienti, ὁρίζοντα dicunt, incumbere videtur, sol *tentorium* (*domicilium* Hab. 3, 11.) habere fingitur, quod vespere *ingrediatur* (בֹּא), ibi pernoctaturus, mane *egrediatur* (יֹצֵא vs. 7.). Apposite autem vates oblatam de sole speciatim dicendi occasionem amplectitur, quia nullum aeque sidus, ut solis jubar, dei majesta-
6. tem testatur. — *Estque instar sponsi*, *qui procedit e toro nuptiali*, integris viribus, nam tertium comparationis in vigore est positum, cf. quod sequitur hemistichium, *Gaudet instar herois currere viam*, diurnum cursum. שֶׁמֶשׁ sol dictus est a *feriendo*, ut qui in orientis maxime regionibus vehementissime feriat atque urat. שֶׁמֶשׁ enim idem est quod שָׁמַץ, שָׁמַט, شَمَصَ punxit, percussit, feriit. Ab eadem hac radice est שִׁמְשׁוֹן N. pr. Herculis Hebraeorum, propr. significans *hominem pugnacem* (Stös-
7. ser, Schläger), „ἰσχυρόν“ Jos. Arch. 5, 10. — *A fine coelorum*, ab extremis coelis est *egressus*, ortus *ejus*, *Et decursus ejus ad* s. *apud fines eorum*, illis oppositos, *Neque est quod lateat aestum ejus.* תְּקוּפָה nequaquam est circuitus, sed ut reliquis locis *decursus* i. e. hoc loco obitus, occasus = מָבוֹא opp. מוֹצָא.
8. — A celebrata dei, qualis in coelorum mirifica structura conspicitur, majestate nunc subito, lyricorum more, transit ad laudes legis divinae, scriptae puta s. Mosaicae (cf. vs. 12. 13.), cujus naturam atque in hominum animos vim describit vs. 8—15. *Lex Jovae est perfecta*, omnibus numeris absoluta, cui nihil addi nec demi possit, eademque erroris vacua, *reducens animam* calamitatibus e corpore quasi depulsam i. e. recreans hominem animo afflictum, *Effatum Jovae est fidum*, *sapientem faciens*
9. *imperitum*, — *Praecepta Jovae* sunt *recta*, justa, *laetificantia cor*, *Mandatum Jovae* est *purum*, verax, *collustrans oculos*,

dispellens caliginem oculos tristium subeuntem, exhilarans tristes; cf. 13, 4. — *Timor Jovae* i. e. doctrina rerum Jovanarum est 10.
sincera, labis expers, *perstans in perpetuum*, *Statuta Jovae sunt veritas*, vera E. gr. ampl. p. 624. gr. min. §. 104., *justa sunt ad unum omnia*, — *Pretiosiora illa auro atque auro puro* 11.
multo, *Et dulciora melle ac destillatione favorum*, melle de favis stillante, quod purius et sapidius est exemto illis. De הַנֶּחֱמָדִים *ea*, inquam, *quae sunt pretiosa* vid. ad 18, 33. —
Etiam servus tuus illuminatus, eruditus *est iis*, etiam ego iis 12.
edoctus sum ut plurimi alii, *In observatione eorum* est *merces magna*, amplissimum fructum afferunt iis, qui ea studiose observant. — Nexus: Si vero, quamquam pro virili id egi, ut 13.
mentem meam accuratiori legis tuae cognitione imbuerem, tamen contra illam imprudens deliqui aliquid, tu dabis errori veniam, quandoquidem qui errat, errare se nescit. *Errores*, delicta per imprudentiam commissa, *quis intelligit?* nemo intelligit; *De occultis* delictis, de iis, quae inscius deliqui, *absolve me!* —
Etiam ab insolentibus, contemtoribus doctrinae tuae ejusque 14.
sectatorum, *serva servum tuum*, me! *Ne dominentur in me*, ne in me vim habeant ullam, ne ad delinquendum contra legem tuam me inducant suo exemplo, aut gratia, metu! *Tunc integer ero et vacuus a delicto magno*, tunc, si me servaveris ab istiusmodi hominibus, spero fore, ut tua adjutus gratia vitam agam legibus tuis convenientem ac vacuam a culpa graviore. אֵיתָם pro אֵתַּם a תָּמַם G. gr. ampl. p. 366. cf. 52. E. gr. ampl. p. 466 sq. —
Sint tibi *grata verba oris mei*, *Et meditatio cordis mei coram* 15.
te sit, tibi accepta, contemplationem intelligit naturae et legis divinae vs. 2—12., *O Jova, petra mea et mi vindex!* cf. vs. 13. 14.

PS. XX. *Praecentori* (4, 1.) canendum; *carmen Davidis*. 1.
Davidi ad bellum contra Syros proficiscenti 2 Sam. 10, 15 sqq. 1 Chron. 20, 16 sqq. inter sacrificia populus exoptatum eventum apprecatur vs. 2 — 5., speratque firmiter, futurum, ut deus expeditionem fortunet vs. 6 sqq. Ad hoc bellum ut Psalmum referamus, duae nos movent causae, quarum una est vs. 8., quo omne hostium robur in curribus et equis esse dicitur, coll. cum 2 Sam. 10, 18. 1 Chron. 20, 6. 7., altera vs. 7., ubi vid. not. Sunt, qui alternis choris Psalmum decantatum esse existiment, sine idoneis rationibus. Ubique vates populi nomine loquitur,

nunc Singularem nunc Pluralem adhibens. Strophae duae: vs.
2—5: faciat deus, ut quae suscepisti felicem habeant exitum!
6—10: agite, signa moveamus duce Jova, quem certo scimus
2. victoriam translaturum esse ad regem! — *Exaudiat te Jova die*
angustiarum, quando in angustiis versaberis, in proelio, *Ex-*
altet te, in loco alto constituat i. e. tutum te praestet, tueatur
te *nomen* i. e. potentia et benignitas *dei Jacobi* i. e. Jovae! שֵׁם
יְיָ pro potentia ad juvandum parata, quae in deo esse creditur,
vs. 8. 52, 11. ubi subjicitur כִּי טוֹב, 54, 3. quo loco respondent
inter se בְּשִׁמְךָ et בִּגְבוּרָתְךָ, 89, 25. 124, 8., quorum locorum
3. eadem ratio est. Cf. etiam 23, 3. ibique not. — *Mittat auxilium*
tuum i. e. tibi necessarium *e sacrario*, tabernaculo sacro, sede
4. sua, *Et ex Sione suffulciat te!* cf. 14, 7. — *Memor sit*, ra-
tionem habeat *omnium sacrificiorum tuorum*, *Et holocaustum*
tuum pingue i. e. acceptum *habeat!* Solebant, ut alii populi,
graviora negotia, ac praecipue bella, sacrificiis auspicari Hebraei.
In quibus quo pinguiores hostiae erant, eo putabantur esse me-
liores; poscebatur enim hostia *integra*, תָּמִים Lev. 22. De דַּשְׁנֶה
5. vid. G. gr. min. §. 48, 3. adn. E. gr. min. §. 294. extr. — *Det*,
largiatur *tibi secundum cor tuum*, animi tui desiderium, *Et*
omne consilium tuum impleat, optatum eventum habere jubeat!
Sensus: faciat, ut expeditio quam suscipis felicem habeat exitum!
6. — Spes victoriae. *Jubilemus de auxilio tuo* i. e. de Jova, auxi-
liatore tuo, *Et in nomine* i. e. ductu et auspicio, ut 44, 6.,
dei nostri vexilla tollamus, ad bellum proficiscamur! *Implebit*
Jova omnia desideria tua, respondebit optatis tuis. יְשׁוּעָה *au-*
xilium pro concreto, *auxiliatore*, est positum, et quod sequitur
נִדְגֹּל, denom. a דֶּגֶל (cf. Ni. Cant. 6, 4. 10.), *vexilla tollere*, est
7. signa moventium, non, ut alii volunt, ovantium. — *Jam scio*,
re ipsa expertus, victoria, puta, quam brevi ante ab iisdem Syris
reportaverat Davides 2 Sam. 10, 6—14. 1 Chron. 20, 6—15.,
servare, servaturum esse *Jovam unctum suum*, regem, *Exaudi-*
turum esse eum de coelis suis sanctis, *Potentia*, ope *salutifera*
8. *dexterae suae*. — *Isti*, hostes, *curribus*, bellicis, puta, qualibus
Hebraei a Salomonis demum aetate videntur usi esse, cf. Jos.
17, 16. Jud. 1, 19. 4, 3., *isti equis*, *Et nos*, nos vero *nomine*,
potentia ad juvandum parata quam saepe experti sumus (vs. 2.)
9. *Jovae*, *dei nostri*, *gloriamur*. — *Illi procumbunt et cadunt*,
10. *Et nos surgimus et stamus erecti*. — Redit ad preces, a quibus

est exorsus. *O Jova, serva regem*; sic enim distinguenda sunt
verba; *Exaudiat nos quo tempore invocabimus eum!*

PS. XXI. *Praecentori* (4, 1.) canendum, *carmen Davidis*. 1.
Argumentum idem fere, quod praecedentis Psalmi. Davidi po-
pulus reportatam a Rabba Ammonitarum urbe victoriam (2 Sam.
12, 26 sqq.) ita gratulatur, ut simul ob alia, quibus Jova eum
ad illud usque tempus ornaverit et adhuc ornet, beneficia eum
felicem praedicet vs. 2—8., speratque fore, ut in bello cum re-
liquis Ammonitis pari felicitate utatur vs. 9 sqq. Cf. inter se
vs. 4. et 2 Sam. 12, 30.; vs. 10. et 2 Sam. 12, 31. Strophae
duae: vs. 2—8; regi victoriam ab hostibus nuper reportatam
aliaque quibus Jova eum cumulaverit beneficia gratulatur populus,
9—14: confiditque fore, ut vincat hostes universos. — *O Jova*, 2.
de potentia tua, qua ipsi succurristi, *laetatur rex*, *Et de au-
xilio tuo quam exsultat vehementer*, impense! Pro יָגִיל Maso-
rethae legi volunt יָגֶל. Sed cf. E. gr. ampl. p. 161. — *Desi-* 3.
derium cordis ejus, optatam de hostibus victoriam, *dedisti ei*,
Et petitionem labiorum ejus non negasti, preces ejus non re-
pudiasti. תַּאֲוָה *desiderium* pro re desiderata. אֲרֶשֶׁת *cupiditas*,
hinc *petitio*, *preces*, ab inus. אָרַשׁ, arab. وَرِشَ concupivit, avi-
dus fuit. LXX δέησις, Vulg. *voluntas*, Syr. *preces*. Praeter
hunc locum non legitur. — *Nam offers ei bona optima*, cf. 4.
2 Sam. 12, 30., ubi Davidem ex Rabba urbe ingentem praedae
copiam abstulisse legimus, *Imponis capiti ejus coronam auream*,
regis Ammonitarum, puta, quam imposuisse sibi Davides dicitur
ibidem. — *Vitam petiit abs te: dedisti ei eam*; *Longitudinem* 5.
dierum, vitam longam, *maxime diuturnam*. Ut vivus et inco-
lumis evaderet e periculis abs te petiit; tu dedisti quod petiit,
et plus etiam: dedisti enim vitam longissimam. — *Magna est* 6.
gloria ejus auxilio tuo, tua ope, *Splendorem et dignitatem
imponis ei*, praestas ei. — *Nam facis eum fortunatissimum in* 7.
perpetuum, בְּרָכָה concr. de homine eximie fortunato ut Gen.
12, 2., *Exhilarans eum laetitia apud faciem tuam*, sinis eum
gaudia percipere ex intuitu faciei tuae i. e. ex sensu gratiae
tuae, vid. not. ad 17, 15. coll. vs. qui proxime sequitur. —
Nam rex fiduciam collocat in Jova, Neque eum haec sua fiducia 8.
destituit: *Et gratia Altissimi non nutat*, stat, manet in digni-
tatis suae gradu. — Spes novarum victoriarum; vid. supra. 9.

Assequetur manus tua omnes hostes tuos, Dextera tua asse-
10. *quetur osores tuos.* — *Facies eos instar fornacis ignis* i. e.
ardere facies eos instar fornacis ardentis, eadem eorum sors erit,
quae fuit Rabbaeorum 2 Sam. 12, 31., *tempore faciei tuae* quod
breviter dictum pro simulatque apparuerit facies tua, simulatque
praesto fueris; *Jova in ira sua vorabit*, perdet eos, *Et absu-*
11. *met eos ignis*, — *Fructum* i. e. posteros *eorum de terra perdes*,
exstirpabis, *Et semen eorum ex hominibus*, ex hominum socie-
12. tate. — *Nam tetenderunt contra te malum*, mala tibi machinati
sunt, metaphora petita a retibus, *Excogitarunt consilia perni-*
ciosa. Non pervincent, nihil efficient. De עָלֶיךָ posito inter
13. רָעָה et מְזִמָּה cf. E. gr. ampl. p. 635. min. §. 555. — *Nam facies*
eos dorsum, tergum praebentes, ut terga dent facies, cf. ad
18, 41., *In nervis tuis*, in nervis arcus tui *diriges* telum *ad*
facies eorum, כּוֹנֵן absolute posito omisso Accusativo חִצִּים (G.
gr. ampl. p. 851.) cum עַל scopi, prorsus ut nostrates dicunt
14. *auf einen richten, anlegen.* — *Surge, o Jova, cum robore tuo*,
exserens potentem, in auxilium nostrum! *Cantu et fidibus ce-*
lebremus potentiam tuam, qua pro salute nostra pugnabis.

1. PS. XXII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* in-
strumenti *Ajjeleth-Haschschachar (cerva aurorae)* dicti (6, 1.),
carmen Davidis. Quo tempore et a quo fusae sint hae arden-
tissimae preces, haec sanctissima vota hominis ab adversariis,
qui utrum fuerint interni an externi non liquet, ad extremum
malorum redacti, definiri vix poterit. Illud unum equidem pro
certo habeo, fuisse vatem hominem opibus praeditum atque illu-
strem, qui magna auctoritate valeret non solum apud suos, ve-
rum etiam apud barbaros. Hoc enim ex iis intelligitur, quae
vs. 26. et seqq. dicit vates. Strophae tres: vs. 2—12: Jovam,
cujus tutelae sit, omnem sui curam abjecisse queritur. 13—22:
periculi in quo versetur accuratior descriptio; velit deus ex eo
2. ipsum eripere. 23—32: gratiarum promissio. — Queritur, a
deo, cujus tutelae sit, prorsus neglectum se esse vs. 2—12.
Deus mi, deus mi, cur deseruisti me, Remotus ab auxilio meo,
verbis rugitus, clamoris *mei!* רָחוֹק appositione cohaeret cum
3. Pronomine 2. pers. quod inest in עֲזַבְתָּנִי. — *Deus mi, voce*
interdiu, neque exaudis, *Et noctu, nec quies*, levatio aegritu-
4. dinum contingit *mihi.* — *Et tamen tu es ille sanctus, Habi-*

tans hymnos, sedem hymnis resonantem Israelis i. e. et tamen
tu es deus noster, qui in templo in dies circumsonaris cantatis
a nobis pro lato auxilio hymnis! וְאַתָּה 2, 6. קָדוֹשׁ κατ' ἐξοχὴν
i. q. alias קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל. יֹשֵׁב cum Acc. ut 107, 10. et saepius.
— *Tibi confisi sunt patres nostri; Confisi sunt, et liberasti* 5.
eos. — *Ad te clamarunt, et erepti sunt; Tibi confisi sunt,* 6.
nec spe exciderunt. — *Ego vero vermis sum,* tam debilis, ab- 7.
jectus, exosus, *nec vir; Contumelia hominum,* contumeliose ha-
bitus ab hominibus, *et contemtus populi,* a populo G. gr. ampl.
p. 790. E. gr. ampl. p. 574. min. §. 490. — *Omnes, qui vident* 8.
me, irrident mihi; Findunt, fissuram, hiatum faciunt *labio* (cf.
פָּעַר בְּפֶה Job. 16, 10.), diducunt os, quod est irridentium, *moti-*
tant caput, de quo gestu vid. quae notavimus ad 2 Reg. 19, 21.
— Loquentes jam facit irrisores (cf. 2, 3.). „*Devolvat* res suas 9.
in Jovam, res suas Jovae permittat, *liberet eum; Eripiat eum,*
quia delectatur (Jova) *eo,* eum amat!“ גֹּל Infinitivus absol. a
גָּלַל formae שֹׁל Ruth. 2, 16. E. gr. ampl. p. 476., positus pro
Jussivo id. ibid. p. 559. gr. min. §. 583. E. gr. min. §. 128, 4.
Devolvat sc. דַּרְכֶּךָ 37, 5. vel מַעֲשֶׂיךָ Prov. 16, 3. G. gr. ampl.
p. 851. — Haec irridentium verba Jovae fiduciam in animum 10.
vatis revocant. *Sane tu fuisti prorumpere,* prodire *meum* i. e.
auctor proditus mei, per metonymiam, qua effectus ponitur pro
eo, qui est ejus auctor, *ex utero, Securum me reddens ad*
ubera matris meae. Sunt qui אַתָּה גֹחִי *tu* fuisti *prorumpere*
me faciens reddant, גֹּחַ habentes pro Participio formae קוֹם G.
gr. ampl. p. 402. min. §. 71. adn. 1. E. gr. ampl. p. 406., quae
sententia propterea rejicienda est, quod קוּם forma est intransi-
tiva. — *In te rejectus sum,* te nitebatur salus mea inde *ab* 11.
utero, Ab utero matris meae deus meus es tu. — *Ne sis re-* 12.
motus, ne sis procul *a me, Nam propinquae sunt angustiae,*
nam nemo est adjutor, neque est qui adjuvet. — Sequitur nunc 13.
periculi in quo versetur accuratior descriptio vs. 13 — 22. *Cir-*
cumdant me tauri magni, Validi Basanitidis cingunt me. אַבִּיר
epitheton poeticum tauri pro ipso tauro positum G. gr. ampl.
p. 150 sq. min. §. 104 extr. Tauri Basanitidis tauri praepingues,
maxime robusti, quales alebant laeta Basanitidis pascua Deut.
32, 14. Ezech. 39, 18. Am. 4, 1. Taurus imago hostis potentis
et ferocis. — *Distendunt contra me os suum,* Ut *leo discer-* 14.
pens et rugiens. אַרְיֵה וגו' appositio loco comparationis, ut

15. 11, 1. al. — *Ut aqua effusus sum*, dissolutae sunt vires meae, *Et sejunxerunt se omnia ossa mea*, ab invicem divisa sunt, vix sibi cohaerent; *Factum est cor meum ut cera, liquefactum in visceribus meis*, cor meum dolore et aegritudine prorsus confectum est. Cf. Ovid. ex Ponto 1, 2, 57: „Sic mea perpetuis liquescunt pectora curis, Ignibus admotis ut nova cera solet."
16. נָמֵס G. gr. min. §. 66. adn. 5. E. gr. ampl. p. 467. — *Exaruit ut testa vis mea vitalis*, *Et lingua mea adhaeret faucibus meis*, מַלְקוֹחָי Acc. E. gr. min. §. 507., *Et pulverem mortis facis me*, ut in pulverem mortis dissolvar, ut morte solvar, facis, שָׁפַת i. q. vicinum שׁוּת in quo פ emollitum est in ו, cum ל facere
17. s. reddere aliquem talem vel talem. — *Nam circumdant me canes*, adversarii canum instar rabiosi, *Turba maleficorum cingunt me*, *Sicut leo, manus meas et pedes meos* i. e. maleficorum turba omni ex parte impetum in me faciunt, imminentes manibus pedibusque meis, lacerare minantes manus pedesque meos, sicut leo praedam dilaniaturus, vs. 14. Quod subjicit יָדַי וְרַגְלָי (Acc. partis, vid. ad 3, 8.), ratio est, quod humi prostratus est aut prostratum se fingit vates; nam ad terram supini qui jacent, manibus pedibusque se defendunt, ideoque in terram conjectos qui petunt, eorum ante omnia manus pedesque petunt. כָּאֲרִי ὡς ὁ λέων ut Jes. 38, 13. compositum ex אֲרִי, articulo et כְּ similitudinis, a quo etymo eo minus recedendum videtur, quum vates hostes suos bis praeter hunc locum cum bestiis rapacibus comparet, et speciatim cum leonibus, ut qui vs. 13. 14: „circumdant me *tauri magni, validi Basanitidis* cingunt me; distendunt contra me os suum, ut *leo discerpens et rugiens*," vs. 21. 22: „libera *a cane* vitam meam, serva me *ex ore leonis*," et in ipso quem tractamus loco: „circumdant me *canes*." Mirum tamen, veteres interpretes omnes כארי pro Verbo habuisse; nec potest negari, habere יָדַי וְרַגְלָי cum הִקִּיפוּנִי constructum aliquid impediti. Itaque suspicetur aliquis, pro כָּאֲרִי efferendum esse כָּאֲרוּ, כָּאַר vero idem hic significare quod arab. كار (כּוּר) id est *colligare, convolvere, glomerare*, coll. בָּאַר, בּוּר; דָּאַב, דּוּב, לָאַם, לוּם; פָּאַר, פּוּר al. Ita enim haud incommodus hic nasceretur sensus: turba maleficorum cingunt me, *constringentes manus meas et pedes meos (mich knebelnd)*. Generaliorem vinciendi significatum verbo tribuerunt Aqu. et Symm. in Hexaplis nec non Hieron. in 5 codd. Qui a LXX, Syr. et Vulg. expressus est

fodiendi, confodiendi significatus, sensum aptum non fundit. Sic
enim aut cruci affixum, aut in manibus pedibusque confossum
telis in ipsum conjectis se esse diceret vates. Sed de cruce
quominus cogites, argumentum obstat totius carminis; telis autem
jaculisque qui petunt aliquem, totum hominem petunt, non manus
et pedes. Magis quam *confodere* accommodatum ad loci natu-
ram esset quod Aqu. כָּאֲרוּ idem quod chald. כְּפַר significare ju-
dicans in prima ed. dedit *αἰσχύνειν, foedare* i. e. contumeliose,
indignis modis tractare, constringendo, puta. Quae in aliis et
scriptis et editis libris reperiuntur lectiones כָּאֲרוּ et כָּרוּ ma-
xime probabile est ortas esse ex verss. antiquis. Ceterum כְּלָבִים
recte etymologi dictum docent a כָּלַב (cf. vic. כָּלַף) *klappen*,
ut propr. sit *Kläffer*. Verum ab eodem illo sono *(zuklappen)*,
non a كلب plexuit, quod secundarium videtur, dictum quoque
est כְּלוּב 1) *cavea*, eaque propr. aucupatoria, januis pendulis ac
recidentibus instructa, *κλωβός*, 2) *corbis* operculo instructus. —
Numero, numerare possum prae macie *omnia ossa mea*, *Illi*, 18.
mei adversarii *intuentur, vident me cum voluptate*, misera mea
specie oculos pascunt. — *Distribuunt vestes meas inter se, Et* 19.
de vestimento meo jaciunt sortem, interitus mei adeo certi sibi
videntur, ut spolia mea, tanquam jam exstincti, inter se dividant.
— *Et tu*, tu vero, *o Jova, ne sis remotus*, ne sis procul! 20.
Robur, praesidium *meum, ad auxilium meum*, ad auxilium mihi
ferendum *festina!* — *Eripe e gladio animam meam, E manu*, 21.
potestate *canis*, canum, adversariorum *unicum meum* i. e. quod
mihi est carissimum atque irreparabile bonum i. e. vitam meam,
ut 35, 17. cf. כְּבוֹדִי 7, 6. al. coll. not. ad Gen. 49, 6. — *Serva* 22.
me ex ore leonis, Atque ex cornibus bubalorum me eripiens
exaudias me! עֲנִתָנִי G. gr. min. §. 138. E. gr. ampl. p. 619
sq. min. §. 525. וּ est consecutivum, quamquam a verbo se-
junctum. — Dignas Jovae grates persolvere nunc promittit vs. 23.
23 — 32. *Celebrabo nomen tuum fratribus meis*, qui mecum
te colunt Judaeis, *In media concione laudabo te*. — Subjungit 24.
statim verba gratiarum actionis, cf. vs. 9. 2, 3. „*Timidi Jovae*,
Jovam qui colitis, *laudate eum, Omne semen Jacobi*, e posteris
Jacobi quicunque estis, *honorate eum, Et pavete*, reveremini
eum omne semen Israelis! — *Neque enim contemsit nec dete-* 25.
status, aversatus *est miseriam miseri*, illius rationem habuit,
Neque occultavit faciem suam ab illo, Quumque vociferaretur

solemni pompa ingreditur vs. 7 sqq. Aut igitur in dedicatione templi Salomonici 1 Reg. 8. 2 Chron. 5, 2—7, 10., aut quum e bello feliciter gesto arca sacra in templum referretur (cf. Ps. 47. et 68.), cecinerunt hunc Psalmum. Nos in dedicatione templi decantatum esse carmen persuasum habemus. Nam quae vs. 3—6. habentur, ut in templi inaugurationem optime conveniunt (cf. ad vs. 3.), sic ab epinicio aliena sunt; contra qui templum dedicabant, recte iidem bellicam laudabant Jovae virtutem, eoque rectius, quod illo tempore omnes populi sui hostes Jova confecerat; cf. 1 Reg. 8, 56. Sed ut magis illucescat veritas, conferantur quae Ps. vs. 7. 9. dicuntur פִּתְחֵי עוֹלָם cum 1 Reg. 8, 13. 2 Chron. 6, 2., ubi Salomo בָּנֹה בָנִיתִי, inquit, בֵּית זְבֻל לָךְ מָכוֹן לְשִׁבְתְּךָ עוֹלָמִים; item ibidem evocatio ad portas, ut, quum sint contractiores atque humiliores, quam ut augustissimum numen capere possint, extendant sese atque attollant, cum Salomonis, quae 1 Reg. 8, 27. 2 Chron. 6, 18. leguntur, egregie concinentibus verbis his: *en coeli et coeli coelorum te non capiunt, quanto minus haec domus, quam aedificavi!* Strophae duae: vs. 1—6: supremi dei sedem adire non licet nisi pio; 7—10: adventantem recipite, o portae, modo tanta majestate digno. — *Jovae est terra et quod implet eam, Orbis et qui habitant in eo.* —
2. *Nam is super maria fundavit eam,* terram, *Et super flumina firmavit eam.* Quum terra supra aquas emineat, his tanquam
3. fundamento superstructa videtur; cf. 136, 6. — Post has divini numinis laudes, a quibus, quia Jovae Optimi Maximi celebratio est caput argumenti, exordiri debuit carmen, qui pompam ducunt Levitae inter appropinquandum ad templum et priusquam illud ingrediantur, maxime convenienter ad rem, quisnam dignus sit, qui ingrediatur tantique dei verus cultor habeatur, interrogant vs. 3—6. cf. Ps. 15. *Quis ascendet in montem Jovae,*
4. *Et quis stabit in loco ejus sancto? — Qui est insontibus manibus et puro corde, Qui non effert ad malum animum suum,* qui non appetit quod malum est, *Nec jurat ad fraudem,* cum fraude. Sunt qui secundum membrum suadente, ut putant, tertio ad modum verborum quae Exod. 20, 7. leguntur לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא sic interpretentur: *qui non effert,* ore praesentem *ad vanum animam ejus,* Jovae, i. e. eum i. e. numen ejus, monentes, נַפְשִׁי saepius dici pro אֹתִי, נַפְשׁוֹ vero dici hic potuisse pro שְׁמוֹ. Quo eodem sensu verba capere debet is, qui pro נַפְשׁוֹ

cum K'ri legit נַפְשִׁי. Temere vero נָשָׂא נֶפֶשׁ לְ alio sensu accipitur, atque is est, quem habet נָשָׂא נֶפֶשׁ אֶל, hoc vero omnibus quibus invenitur locis est *animum intendere, cogitationes dirigere ad aliquid, intentum esse alicui rei, cupere, appetere aliquid*, Ps. 25, 1. Deut. 24, 15. Hos. 4, 8. Prov. 19, 18. al. Quod autem a Masorethis legi jubetur נַפְשִׁי praeter hanc difficultatem hoc habet incommodi, quod Jovam facit loquentem invito nexu. — *Is auferet beneficia a Jova*, *Et justitiam* i. e. mercedem debitam pie viventibus, cf. ad Jes. 41, 2. 46, 12 sq., *a deo salutis suo.* — *Hoc*, hujusmodi est *genus eorum qui curant*, colunt *eum*; Hujusmodi sunt *qui quaerunt faciem tuam*, te venerantur, *Jacobus*, veri nominis Jacobitae. Sensus: Tales se praestare debent, qui Jovae veri cultores haberi, eorum coetui adjungi volunt. Pro דֹּרְשׁוֹ, sic enim legendum est, K'ri pro more legit דֹּרְשָׁיו. יַעֲקֹב appositione cohaeret cum מְבַקְשֵׁי פָנֶיךָ significatque veri nominis Jacobitas, virtute et pietate hoc nomine dignos, plane ut יִשְׂרָאֵל alibi veri nominis Israelitas indicat. — Interea ad portas templi ventum est. Quas ubi tangunt qui arcam, Jovae sedem, portant Levitae, compellant eas, hortantes, ut, quum pro tanti regis introituri majestate sint nimis angustae et humiles, se amplificent et attollant. *Attollite, portae, capita vestra, Et attollite vos, fores sempiternae, Ut introeat rex gloriae*, gloriosus! Ad quae cf. quae supra in prooemio allata sunt loca parallela 1 Reg. 8, 13. 27. 2 Chron. 6, 2. 18. — Admirantes introituri majestatem quis ille sit interrogant portae „*Quis est iste rex gloriae?*" Ad quae respondent qui ingrediuntur: *Jova, potens et heros, Jova, heros in bello*. De quibus iterum vide quae notavimus supra. מֶלֶךְ הַכָּבוֹד cum emphasi pro מֶלֶךְ הַכָּבוֹד הַזֶּה, cf. E. gr. min. §. 489. — Repetitur dialogus, ad incutiendam majorem reverentiam animis coram tanto rege advenientes. *Attollite, portae, capita vestra, Et attollite ea, fores sempiternae, Ut introeat rex gloriae!* שְׂאוּ ae. פִּתְחֵי עוֹלָם — „*Quis est ille, iste rex gloriae?*" *Jova Zebaoth, ille est rex gloriae.* De יְהוָה צְבָאוֹת vid. ad Jes. 1, 9. coll. not. ad Ps. 35, 23.

PS. XXV. *Davidis* carmen. Recentiorem aetatem prodit, quod acrostichidis artificium ostendit Psalmus. Praeter hoc temporis indicium reperitur nullum; cf. ad vs. 12. et 22. Strophae tres: vs. 1—3: noli committere, o deus, ut excidam spe mea,

fore, ut ab hostibus me reliquosque tui cultores defendas;
4—14. hanc causam malorum probe scio esse delicta mea; itaque
ut rectam agendi rationem me doceas, delicta mea mihi ignoscas,
rogo; vs. 15—22. libera me cum toto tuo populo ab omnibus
malis. — *Ad te, o Jova, animum meum effero*, ad te me con-
2. verto, cf. 86, 4. 143, 8. — *Mi deus, in te fiduciam colloco;*
Ne pudore afficiar, ne committas, quaeso, ut hac spe mea ex-
3. cidam! *Ne insultent hostes mei mihi!* — *Etiam omnes ex-*
spectantes te non debent pudore affici, etiam quicunque praeter
me exspectant auxilium tuum noli permittere ut spe sua exci-
dant. *Pudore afficiantur oppressores*, hostes qui nos violenter
tractant *sine causa*. בּוֹגֵד *oppressor* ut Jes. 21, 2. 24, 16. al.
Vulgo הַבּוֹגְדִים רֵיקָם reddunt *deficientes* (a te, Jova) *temere*.
Sed hostes esse הַבּוֹגְדִים vatis eorumque qui cum ipso stabant,
facile intelligitur ex versus antecedentis membro postremo; cf. etiam
vs. 19, ubi eosdem illos hostes *odio iniquo* persequi se dicit. —
4. Felices esse non possunt nisi pii, cf. vs. 12 sqq. Hinc orat,
velit deus docere se eam agendi rationem, quae ipsi probetur,
atque ignoscere sibi delicta vs. 4 sqq. *Vias tuas, o Jova*, quae
tibi probatur agendi rationem, *monstra mihi*, *Semitas tuas*
5. *doce me!* — *Fac ut incedam in veritate tua*, ut vivam secun-
dum praecepta tua, nam veritas Jovae ejus est vera doctrina ut
26, 3. al., *et doce me*; *Nam tu es deus salutis meae*, salutem
mihi afferens, qui salutem mihi potes afferre. *Te*, auxilium
6. tuum *exspecto omni die*. — *Memor sis misericordiae tuae,*
o Jova, et gratiae tuae hucusque praestitae, *Nam a tempori-*
bus inde antiquissimis illae s. e. memento, quam misericors inde
ab antiquissimis temporibus fueris! Quibus hoc vult, putato erga
me eadem illa clementia, qua olim erga tuos nunquam non usus
7. es. — *Peccatorum juventutis meae et delictorum meorum ne*
sis memor; *Secundum gratiam tuam memor mei tu sis*, *Pro-*
8. *pter benignitatem tuam, o Jova!* — *Benignus et rectus*, non
fallax (cf. vs. 10.) *est Jova*, *Propterea instituit peccatores in*
via, monstrat iis viam, qua ipsis ambulandum sit, rectam agendi
rationem. הַדֶּרֶךְ via recta, ipsis eligenda, cf. יִבְחָר בְּדֶרֶךְ vs. 12.
9. — *Facit ut incedant afflicti* i. e. miseriis oppressi ob delicta
sua, cf. vs. 8, *juste*, ut recte vivant facit, *Et docet afflictos*
viam suam, ipsi probatam agendi rationem. De [illegible] cf. ad
10. 9, 10. — *Omnes semitae Jovae sunt gratia et fides Iis qui*

servant foedus ejus et praecepta ejus: iis ergo gratiose et fideliter Jova agere solet cum iis qui servant eius עֵדֹתָיו Jovae significando. חֶסֶד וֶאֱמֶת G. gr. min. § 104. — Propter nomen 11.
tuum, o Jova, i. e. non mea causa, sed ut, qualis haberis, talem te exhibeas clementem, misericordem et benignum, s. q. לְמַעַן טוּבְךָ vs. 7. cf. ad 23, 3. — Condonabis culpam meam, nam magna illa; ita illa, si pro merito me castigare velles, ego non ferre possem castigationem. Ad quae verba conferenda sunt quae 2 Sam. 24, 10. leguntur simillima haec: peccavi graviter in eo quod feci; jam vero, o Jova, remitte quaeso culpam meam, כִּי נִסְכַּלְתִּי nam perverse admodum egi, ita ut plane opus mihi sit tua clementia. וְסָלַחְתָּ E. gr. ampl. p. 551. min. § 613. — Quis est 12.
iste vir, timidus Jovae? h. e. quicunque timet Jovam, instituet eum in via, et monstrat viam, quam eligat. בְּדֶרֶךְ ut 34, 13. 14. 107, 43. E. gr. ampl. p. 650. 44, 8. יִבְחָר ut 7, 16. — Anima ejus, in felicitate habitat, 13.
manet, perpetua felicitate fruitur. — Et semen ejus possidet terram, et posteri ejus delectantur terrae promissae nullis unquam hostium irruptionibus aut aliis quibuscunque calamitatibus turbata possessione; respiciuntur enim promissiones piis Israelitis datae Lev. 26. al. Possint quidem postrema haec verba etiam de occupanda universa terra sancta intelligi coll. Jes. 57, 13. Ezech. 33, 25 sq. Quum vero in reliquo Psalmo exsilii nota nulla inveniatur, praestat adquiescere eo quem supra fecimus sensu, praesertim cum et etiam nexus favere videatur. אֶרֶץ, quanquam sine Articulo, de terra *Cananaea*, utpote in oratione poetica. Sic נָהָר, sine munitum Articulo, de *Euphrate* 72, 8. al. — *Familiaris consue-* 14.
tudo Jovae est cum *timidis ejus*, ejus cultoribus. *Et foedus ejus est cum iis, ad edocendum eos.* — Redit jam eo, quo potissimum 15.
voluit et a quo est exorsus, ad precandi, pro liberatione a sua et omnium piorum miseria. *Oculi mei continuo ad Jovam directi sunt*, eadem elliptica loquendi formula vid. 141, 8. *Nam is educet*, extrahet *e reti pedes meos*, cf. 9, 16. — *Convertere* 16.
te ad me et miserere mei; Nam solitarius, derelictus *et afflictus ego sum.* — *Angustiae*, miseriae, *cor*, animum meum 17.
aperuerunt, institutioni, doctrinae Jovanae, puta. Sic prioris hemistichii verba, si sana sunt, reddi et possunt et debent coll. הִרְחִיב לֵב *aperire* alicujus *animum* institutioni, eum intelligentem reddere 119, 32, de quo non cogitasse videntur interpretes.

in loco sacro; simul ut velit [illegible]
[illegible] ipsum defendere [illegible]
felicitatis mihi auctor, [illegible] felicitatis [illegible]
[illegible] A quo [illegible]
2. [illegible]
contra me [illegible] carnem meam, i. [illegible]
[illegible] Illi
3. [illegible] et cadunt. [illegible] Si castra
ponant contra me exercitus, Non timebit cor meum; Si in-
surgat contra me bellum, In hoc [illegible]
[illegible] Job. [illegible] 20. Jes. 47, [illegible]
4. [illegible] Unam precem [illegible]
a Jova, illud affecto, Ut habitem, [illegible]
domo Jovae, in loco cultus sacri publici, [illegible]
Quo oculos pascam splendore Jovae, i. e. [illegible]
spectu delubri templi [illegible] alii aliter [illegible]
Alii cogitatione suppleri volunt [illegible] coll. [illegible] Reg.
2, 20. Tum vero [illegible] in [illegible], quod ductum.
5. Nam abscondit me in tugurio suo die calamitatis, tempore ca-
lamitoso; Latere me facit in latibulo tentorii sui; In petra
efferet me. Sensus: tum Jova tuebitur me [illegible]
nem; non tabernaculum [illegible]
6. [illegible] membri tertii. — Fiduciam in deo collocatam his [illegible]
status, orat, velit ille quam ab ipso exspectet salutem sibi afferre
vs. 6 sqq. — Jam igitur efferat se caput meum super hostes meos
circum me; Et offeram in gratiarum actionem in tentorio ejus
sacrificia clangoris i. e. cum tubae clangore offerenda Num. 10,
10. Voce et fidibus canam Jovae. — Interpretes quos paenitere
[illegible] omnes [illegible] non optantis sed sperantis esse credunt red-
duntque efferet. Cui interpretationi quae vs. 7 sqq. fundantur
7. ardentissimae preces haudquaquam conveniunt. — Audi, o Jova,
Voce mea i. e. intente clamo; Et miserere mei et exaudi me.
קוֹלִי אֶקְרָא 3, 5. Alii, invito accentu (quod tamen nullius aut
certe exigui momenti est, cf. ad 29, 9.): Audi, o Jova, vocem
8. meam, clamo, cum clamo. — Tibi dicit cor meum: „quaerite
faciem meam," dixisti! Faciem tuam, o Jova, quaero i. e. com-
monefacio te illius, quod nobis dedisti, praecepti; nos debere te
precibus adire: quod praeceptum ego observo. In verbis [illegible]
פָּנָי, quae Jovae esse illud ipsum quod exterunt ostendit, [illegible]

sine elegantia omissum est *dicendi* verbum. בִּקְשׁוּ פָנָי hic ita
postulante nexu (vs. 7. 9.) manifeste significat *precibus adire*
Jovam, ut מְבַקְשֵׁי פָנֶיךָ 24, 6. eodem sensu. — *Ne occultes fa-* 9.
ciem tuam a me, Ne repellas in ira servum tuum! Auxilium
meum tu hucusque fuisti. Ne deseras me, neque derelinquas
me, Mi deus salutis! אַל־תַּט *ne repellas*, cf. Job. 24, 4 יַטּוּ
אֶבְיוֹנִים מִדָּרֶךְ *detrudunt pauperes de via.* — *Nam pater meus* 10.
et mater mea, etiam ii, qui mihi proximi erant, cf. 31, 12.
69, 9. 88, 9. 19., *dereliquerunt me, Sed Jova accipiet me in*
suam tutelam. — *Doce me, o Jova, viam tuam*, agendi ratio- 11.
nem tibi probatam, *Et duc me in semita recta*, fac ne deflectam
de pietatis tramite, 26, 12., *Propter adversarios meos*, de qui-
bus verbis vide quae notavimus ad 5, 9. coll. qui proxime se-
quitur versu, nec non Jer. 20, 10., ubi Jeremiae adversarii: „*de-*
ferte, inquiunt, *deferamus eum!* forsitan pellicietur,
ut committat aliquid, quod crimini dari non sine specie possit,
ut praevaleamus ei, ejus compotes fiamus, *et vindictam nostram*
de eo sumamus!“ — *Ne tradas*, permittas *me furori*, 17, 9., 12.
adversariorum meorum, Nam surrexerunt in me testes falsi,
quae verba non est dubium quin proprie accipienda sint, cf.
vs. 11. *Et qui anhelat violentiam* (surrexit in me). Eundem
a Plurali ad Singularem subitaneum transitum vidimus 22, 30.
— *Nisi credidissem*, sperassem, *me visurum*, i. e. experturum, 13.
fruiturum, ut 34, 13., *benignitatem*, i. e. beneficia *Jovae in*
terra viventium i. e. in hac ubi vivitur terra, ut 52, 7. [illegible]
Omissum est: אָז אָבַדְתִּי בְעָנְיִי *tunc periissem in afflictione mea*
(119, 92.) vel simile quid. Quo abrupto sermone quam fuerint
afflictae ac plane perditae res vatis vivide exprimitur. Omissae
apodoseos exemplum vide Gen. 50, 15. coll. Ew. gr. ampl. p. 668,
min. §. 627. Sunt qui, quamquam locum ita explicatum optimum
hunc sensum fundere non negantes, tamen deleri jubeant לוּלֵא,
quod *punctis extraordinariis* sit notatum, quod desit in pluribus
libris et antiquis, Chaldaica excepta, versionibus omnibus; quod
sensus, quem praebeat, ad ea, quae subjiciuntur, non sit aptus.
Sed nulla alia de causa voculam a Masorethis punctis notatam,
a LXX, Ar. Vulg. Symm. Syr., atque horum ad exemplum etiam
in nonnullis codd., omissam esse, quam quod quid sibi vellet
non intellexissent, tum hoc ostendit, quod Chaldaeus illam ex-
pressit, tum ex eo intelligitur, quod, qui fieri potuerit, ut tale

vocabulum hic locum nancisceretur, perspici non potest. Quod autem eum quem fecimus sensum abhorrere dicunt a vs. 14, in eo plane falsi sunt. Nam ob id ipsum, quod persuasum habet vates, soli fiduciae in deo repositae tribuendum esse, quod tristissimos suos casus hucusque sustentaverit, propter hoc ipsum, inquam, verbo proximo ad fidendum fortiter deo semet ipsum
14 excitat atque hortatur his verbis: — *Exspecta Jovam*, auxilium ejus! *Fortis esto et alacritatem exserat cor tuum*, imperterritus sit animus tuus! *Et exspecta Jovam!* יַאֲמֵץ Hiph. G. gr. min. §. 152, 2.

1\. PS. XXVIII. *Davidis carmen.* Qua aetate et a quo fusae sint hae preces, dici nequit. Videntur ut illae, quae Ps. 26. continentur, instante publica calamitate fusae esse, cf. vs. 3. et 26; 9. Sitne quae inde a vs. 6. persolvuntur gratiae in antecessum persolutae, cf. 22, 23 sqq. Jer. 20, 13. an post liberationem actae precibusque tum demum a vate adjectae, definire non ausim. Strophae duae: vs. 1—5: noli committere, o Jova, ut quae instat calamitas una cum improbis me percellat; 6—9: gratiarum actio cum precibus pro communi omnium salute. — *Ad te, o Jova, clamo, Petra mea, ne sis surdus a me*, noli surdus ad preces meas avertere te a me, *Ne sileas*, silens avertas te *a me*. *Et ego similis reddar* i. e. ne, si silens avertas te a me, ego similis reddar, cf. Jes. 5, 4. ibique not., *descendentibus in foveam*, sepulcrum, i. e. mortuis, quorum non est spes amplius. Quum פֶּן particula non modo, ubi praecessit actio, quam quod amotum volumus prohibetur, sed etiam, ut אַל, ab initio sententiae ponatur: tertium cum quarto membro sic quoque strui potest: *Ne* (פֶּן = אַל in secundo membro) *sileas a me*, noli silens avertere te a me, *ita ut similis reddar* cet. Coll. 143, 7: אַל תַּסְתֵּר פָּנֶיךָ מִמֶּנִּי וְנִמְשַׁלְתִּי עִם יוֹרְדֵי בוֹר. חָרַשׁ מִן
2\. חָשָׁה מִן G. gr. min. §. 138. E. gr. min. §. 525. — *Audi vocem precum mearum, quum vociferor ad te, Quum elevo manus*
3\. *meas ad adytum sacrarii tui!* vid. not. ad Dan. 6, 11. — *Ne abstrahas*, abripias *me cum improbis et cum maleficis, Qui loquuntur pacem*, verba pacata, amica *cum proximis suis, Et tamen malum est in corde eorum*, quum tamen in animo medi-
4\. tentur mala, vid. not. ad 2, 6. — *Da*, rependo *eis secundum factum eorum et secundum malitiam facinorum eorum, Secundum opus manuum eorum da eis, Redde*, rependo *actionem*

eorum, eis! — *Nam non attendunt ad facta Jovae atque ad* 5.
opus manuum ejus i. e. non curant judicia divina, non emendari
se sinunt calamitatibus, quas deus nobis inflixit, sed praefracte
in sceleribus pergunt, cf. not. ad 1, 5. *Destruat eos, neque*
aedificet eos i. e. deturbet eos de statu suo, nec sinat res eorum
florere! Quo sensu haud raro inter se opponuntur verba בָּנָה
et הָרַס, item נָטַע et נָתַשׁ, velut Jer. 24, 6. 42, 10. 45, 4. —
Jam supra monuimus, difficile intellectu esse, num quae nunc 6.
sequitur gratiarum actio ob spei certitudinem precibus statim sit
subjuncta, an averso periculo adjecta. Prius tamen probabilius
videtur ob וְנֶעֱזָרְתִּי. *Laudatus sit Jova! Nam audit vocem*
precum mearum! — *Jova est robur meum et clypeus meus*, 7.
In eo fiduciam collocat cor meum, et juvabor, subvenietur mihi,
Et exsultabit cor meum, et e cantico meo i. e. e cantico meo
gratiae testandae facto laudes Jovae decantans *celebrabo eum.*
Nihil difficultatis habebit מִשִּׁירִי, simulatque vatem in templo
praesentem, carmen in Jovam scriptum in manu tenentem ex
eoque illius laudes decantantem cogitaveris. Alii: *cantico meo*
coll. Job. 7, 14., quem locum nihil probare videbimus ad ipsum.
אֲהוֹדֶנּוּ ut יְהוֹדֻךָ 45, 18. al. G. gr. min. §. 52. adn. 7. — Cum 8.
sua salute publicam totius populi et regis salutem conjunctam
esse vult. *Jova est robur eis* i. e. לְעַמּוֹ, populo suo vs. 9.,
quod ipsum dederunt LXX, Vulg. Ar. Syr. (et cum iis nonnulli
libri), rem magis quam vocem spectantes, et, quod saepe faciunt,
perspicuitati studentes, *et munimentum salutis uncti sui* i. e.
regis, 2, 2. 6., *ipse est.* De לָמוֹ ad עַמְּךָ vs. 9. referendo cf.
not. ad 9, 13. In Plurali est positum, quod עַם nomen est col-
lectivum. Hinc etiam וּרְעֵם וְנַשְּׂאֵם dicitur vs. 9. — *Serva po-* 9.
pulum tuum et fortuna possessionem tuam, Israelitas quos vo-
luisti tibi proprios esse, quosque curas atque tueris, *Et pasce*
eos et gesta eos, pastoris instar, ut Jes. 63, 9., *in perpetuum!*

PS. XXIX. *Carmen Davidis.* Davidis non esse, ex eo, 1.
quod vs. 1. memorantur angeli, equidem non collegerim. Inest
hymnus in Jovam tonantem. Strophae tres: vs. 1—2: celebrate,
superi, Jovae laudes; 3—9: ejus potentiam et majestatem osten-
dunt tonitrua; 10—11: qui tam potens est Jova suos tuebitur.
— *Date*, exhibete *Jovae, o filii deorum*, angeli, *Date Jovae*
honorem et laudem! cf. Jes. 6, 3. Quominus בְּנֵי אֵלִים dictum

שִׁיר susceptit, quod tamen et ipsum recentioribus temporibus laxiorem sensum induit, ut in inscriptione Cantici Rodaloo de praecepto musico (לַמְנַצֵּחַ עַל הַגִּתִּית) p. 5 sq. In templi dedicationem non scriptum esse hunc Psalmum, docet argumentum. Loquitur enim gratiarum actio liberati periculo mortis vs. 4. 10., ejusque violentae, vs. 10. Nihilo secius inscriptioni ex parte fides haberi potest. Nam quum Judaeorum de exsilio reductorum eadem fere conditio fuerit, quae fuit, quo tempore carmen composuit vates, fieri potuit, ut in patriam reduces Psalmum ad suam rem accommodatum in dedicatione templi secundi decantarent. Sed purae putae conjecturae hae sunt, a quibus satius est abstinere. Strophae duae: vs. 2—6: deo sit laus, quod me liberavit praesentissimo mortis periculo; 7—13: securum suisque fidentem viribus ille perculit, sed idem meas preces audivit. —
2. *Efferam te laudibus, o Jova, quod extraxisti me* sc. e fovea i. e. sepulcro, in quod paene eram immersus vs. 4. 10. cf. הֶעֱלִיתָ מִן שְׁאוֹל נַפְשִׁי vs. 4. *Nec laetari fecisti hostes meos de me*, non concessisti, ut laetitiam perciperent ex interitu meo. Quod דִּלִּיתָנִי absolute est positum omisso מִן הַבּוֹר, id affectui vatis, qui oculis adhuc videt, ex quo proxime evasit, apertum sepulcrum, egregie convenit. Quum *extrahendi* et *evellendi* verba saepissime transferantur ad *liberandi* significatum, veluti הִצִּיל plurimis in locis, חִלֵּץ Ps. 6, 5. 18, 20. 50, 15. 81, 8. (Niph. 60, 7. al.), פָּצָה 144, 10. 11. cf. vs. 7., פָּרַק 136, 24. Thren. 5, 7., possit etiam, quamquam דָּלָה, quod omnino rarius est verbum, hoc significatu alias non gaudet, *liberasti me* reddi. Sed prior ratio ob vs. 4. et 10. absque ullo dubio est praeferenda.
3. — *O Jova, deus mi! Vociferatus sum ad te, et sanasti me*; res adversas meas in melius mutasti. *Sanare* improprie accipiendum esse, ut Jer. 17, 14. (cf. ibid. 14, 19. 15, 18.) al., ostendit, quod vs. 10. vates מַה־בֶּצַע בְּדָמִי dicit, ut quod non
4. possit non de morte violenta intelligi. — *O Jova, adscendere fecisti, eduxisti ex orco animam meam. Conservasti me vivum* revocans me *ab iis qui descendunt in foveam*, non permittens, ut essem inter illos, qui in sepulcrum detruduntur. Est praegnans quae dicitur constructio, ut 22, 22. 28, 1. Masorethae pro מִיּוֹרְדֵי legi volunt מִיָּרְדִי (Infinitivum formae יְשׁוֹן Eccl. 5, 11. cum Suffixo; de ŏ cum Metheg vid. E. gr. ampl. p. 142. min. §. 162.) i. e. *ne descenderem ego*, cf. Gen. 27, 1. al. E. gr. min. §. 526.

Quae scriptura non tam ob id, quod יְרֹד Infinitivus alias non
legitur (cf. sup.), sed propterea est damnanda, quod manifeste
accommodata est ad רִדְתִּי vs. 10. — *Canite Jovae*, *pii erga* 5.
eum, pii ejus cultores, *Et celebrate nomen ejus sanctum!* —
Nam momentum est, abit *in ira ejus*, *Vita in gratia ejus* i. e. 6.
per momentum tenet ira ejus, per totam vitam ejus gratia, i. e.
brevis est ira ejus, longa, diuturna ejus gratia; *Vespere devertit fletus*, *Et mane jubilum* i. e. si quid triste etiam in hac vita intercidit, instar viatoris pernoctantis per unam noctem tenet, et mane statim locum laetitiae relinquit, quod eodem redit, quo id, quod ante dictum. Simillimas sententias vidimus
Jes. 54, 7 sq. — *Et ego*, ego vero, 2, 6., *dixeram*, cogitaveram 7.
in securitate mea, cum fortuna uterer secunda: *Non nutabo in*
perpetuum, nulla unquam patiar adversa. — Verum *o Jova!* 8.
gratia tua, non propter merita mea, *stabiliveras monti meo robur*, firmum reddideras montem meum, id est, quum mons, ut petra 27, 5., sit imago securitatis: jussisti res meas prosperas esse; *Occultasti faciem tuam: fui perculsus* i. e. quare, quum gratiam tuam et opem mihi subtraxisses, obstupui ego, nihil
reliquum habens solatii. — *Ad te*, *o Jova*, *clamabam*, *Atque* 9.
ad Jovam supplex orabam his verbis: — „*Quid lucri in san-* 10.
guine meo, *in descendendo me in foveam*, quid tibi profuerit, si violentam mortem patiar, in sepulcrum deferar? *Num celebrabit te pulvis*, *num is praedicabit fidem tuam?* Simillima vide
6, 6. — *Audi*, *o Jova*, *et miserere mei! Jova*, *sis adjutor* 11.
mihi!" — Precum effectus, laeta catastrophe. Tum *convertisti* 12.
planctum meum in choream mihi, in gaudium exsultans, cf. Jer. 31, 4. 13. Thren. 5, 16., *Solvisti saccum meum*, vestem, qua
qui in luctu erant induebantur, *et cinxisti me laetitia*, — *Ut* 13.
canat te gloria, quam efficiendis praeclaris hujusmodi facinoribus adipisceris, *nec sileat* i. e. ut sine intermissione te canat gloria tua; *Jova, mi deus, in perpetuum celebrabo te!* לְמַעַן *eo consilio ut:* eo enim consilio deus magna facinora facere putatur, ut laudem assequatur. כָּבוֹד plerique statuunt idem esse quod לְבָבִי, in qua opinione olim fui et ego, Gen. 49, 6. Est tamen כָּבוֹד locis, in quibus hoc significatu gaudet, omnibus instructum *Suffixo*. Aut igitur putabis, excidisse Suffixum, quod sane facile fieri potuit ob vicinum י, legendumque esse כְּבוֹדִי, quod expressit Alexandrinus, qui ἡ δόξα μου habet, aut, quod melius,

eam quam supra inivimus interpretandi rationem eliges. Quid est gloria? Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Cic. Inv. 2, 5. Quidni igitur *canere aliquem gloria* dicatur?

1. PS. XXXI. *Praecentori* (vid. ad 4, 1.) canendum, *carmen*
Davidis. Jeremiae esse hunc Psalmum, colligi posse videtur e
vss. 12—14. coll. cum Jer. 11, 19. 15, 10. 20, 7. 8. 11., e verbis
מָגוֹר מִסָּבִיב vs. 14., quae praeter hunc locum non leguntur nisi
apud Jer. 6, 25. 20, 3. 10. 46, 5. 49, 29. Thren. 2, 22., ex eo,
quod versus decimi quarti hemistichium prius iisdem verbis ha-
betur Jer. 20, 10.; cf. quae notavimus ad Ps. 5. coll. tamen etiam
iis, quae notata sunt ad Ps. 1. Qua occasione editus sit, ex
vs. 22. intelligi nequit; vid. ibi not. Strophae tres: vs. 2—9:
auxilii imploratio, fiducia firma, gratiarum promissio; 10—19:
descriptio malorum quae vati perferenda sint, repetitae preces;
2. 20—25: grates averso periculo adjectae. — *In te, o Jova,*
fiduciam colloco, Ne pudore afficiar in perpetuum, noli com-
mittere, ut spe mea excidam perpetuo, ut nunquam e malis qui-
bus conflictor emergam! *Justitiâ tua*, pro tua justitia *libera*
me! Verba אַל אֵבוֹשָׁה לְעוֹלָם nequaquam eo sensu, quem inter-
pretes illis subjiciunt, hoc puta: ne pudore afficiar *unquam*, sed
modo supra dicto accipienda esse, hoc docet, quod vs. 10 sqq.
vates perpetuis cum calamitatibus sibi conflictandum esse queri-
3. tur; cf. 13, 2 sqq. — *Inclina ad me aurem tuam, festinanter*
eripe me, ex periculis! *Esto mihi petra refugii, Domus ca-*
4. *cuminum*, arx, *ad servandum me!* — *Nam rupes mea et cacu-*
men meum tu es, Et propter nomen tuum, ob famam potentiae
et misericordiae tuae, vid. ad 23, 3., *duces me et reges me*, —
5. *Educes me e reti, quod absconderunt mihi*, adversarii; *Nam*
6. *tu es refugium meum.* — *In manum tuam commendo spiritum*
meum, tuae curae committo vitam et salutem meam, *Liberas*,
liberabis *me, Jova, deus fidelis!* Praeterito utitur ob spei cer-
titudinem. Male reddi *liberasti me* sc. jam saepe alias, intelli-
7. gitur e vs. proximo, ubi spei causa exprimitur. — *Odi eos qui*
observant i. e. colunt *idola vana, Atque ego* non ut illi in diis
falsis, sed *in Jova spem colloco.* Pro שָׂנֵאתִי veteres interpretes,
si a Chaldaeo discesseris, omnes שָׂנֵאתָ expresserunt, quod idem
exhibet cod. K. 170. Quam scripturam sunt, qui alteri praefe-
rant, sine idonea ratione. Est enim et vulgata, ut vidimus, ad

nexum apta, licet paulo difficilior sit altera. הַבְלֵי שָׁוְא verbis
non possunt res quaecunque vanae et fluxae, calumniae quoque
et malae fraudes intelligi, ut nonnulli volunt. Parallelismus enim
ut *dii falsi* intelligantur postulat, quo sensu הֶבֶל vocem inprimis
frequentat Jeremia, 2, 5. 10, 15. 16, 19. — *Exsultabo et lae-* 8.
tabor gratia tua, Quod respexeris miseriam meam, Attende-
ris, curae tibi esse passus fueris *angustias animae meae.* יָדַע בְּ
attendere, curare aliquid, ut in illo לֹא יָדַע בְּשִׁכְבָהּ וּבְקוּמָהּ Gen.
19, 33. 35., Job. 35, 15., — *Nec tradideris me in manum ho-* 9.
stis, Statueris me in spatio amplo, cf. 18, 20. — *Miserere* 10.
mei, Jova, nam angustiae mihi, in angustiis versor, *Marcescit*
aegritudine oculus meus, 6, 8., *Anima mea et venter meus*,
corpus meum. — *Nam absumitur*, tabescit *moerore vita mea*, 11.
cf. Jer. 20, 18., *Et anni mei gemitu; Labat calamitate mea*
vis mea, Et ossa mea concidunt. — *Ob omnes adversarios* 12.
meos ego sum contumelia, Idque vicinis meis valde, et terror
notis meis, Ob multitudinem adversariorum meorum contumeliose
habeor, Idque ab ipsis vicinis meis summopere, et terrorem incutio notis meis; *Qui vident me foris, aufugiunt a me.* Primo in membro generatim contumelia se affici dicit, secundo speciatim et augens rem etiam a vicinis id fieri queritur, tertio iterum generatim loquitur. וְלִשְׁכֵנַי *idque, et quidem vicinis meis*, ut Am. 4, 10: adscendere feci foetorem castrorum vestrorum, וּבְאַפְּכֶם *idque in nasum vestrum.* Secundi membri facilior idemque elegantior sensus esset, si מְאֹד haberet significatum, qui responderet illi, quo gaudet quod proxime sequitur פַּחַד. Quare quum آدَ, אוד *incurvare, inflectere*, etiam *gravandi, gravitate premendi* significatum habeat, ex eoque profectum sit أَوْدٌ *onus*, אֵיד id. trop., facile aliquis induci se patiatur, ut מְאֹד voci *oneris* significationem tribuat in hanc sententiam: *Ob omnes adversarios meos ego sum contumelia, Et vicinis meis onus, et terror notis meis* cet. Periculosum tamen est, recedere in frequentissima voce ab usitata significatione, idque in hac voce eo magis, quod oneris significatum jam in אֵיד forma deprehendimus quamquam translatum ad calamitatem. Poterit vero, qui in ea quam supra dedimus interpretatione adquiescere noluerit, ac fateor memet ipsum aegrius in ea adquiescere, sic quoque juvare parallelismum, ut וְלִשְׁכֵנַי מְאֹד ad primum membrum trahat.

Tum vero, ne illud justo amplius fiat, מִכָּל־צוֹרְרַי cum Syro ad versum proxime praegressum referes, coll. 6, 8., ut haec prodeat sententia: *Ego sum contumelia, etiam vicinis meis*
13. *summopere, Et terror notis meis; Qui vident* cet. — *Oblivioni traditus sum, instar mortui,* exstinctus *ex corde, Sum instar vasis, quod periit,* fractum est. נִשְׁכַּחְתִּי כְּמֵת מִלֵּב, ut נִשְׁכַּח מִפֶּה
14. *oblivioni tradi* exstinctum *ex ore* Deut. 31, 21. — *Nam audio obtrectationem multorum,* quem Genitivum vim activam habere ostendit nexus; *Formido undique, deliberantibus illis una con-*
15. *tra me; De auferenda vita mea cogitant.* — *Ego vero in te fiduciam pono, o Jova; Dico: deus meus es tu!* cf. 16, 2. —
16. *In manu tua* sunt *fata mea; Eripe me e manu hostium meo-*
17. *rum et e persecutoribus meis!* — *Illustra faciem tuam super servum tuum*, sereno, propitio vultu, gratiose me respice, cf.
18. 4, 7., *Serva me gratia tua!* — *O Jova, ne pudore afficiar,* cf. vs. 2., *nam invoco te, Pudore afficiantur improbi, Sileant,* ad silentium redacti ruant *in orcum!* constructio praegnans.
19. יִדְּמוּ ut יִתַּמּוּ 102, 28. al. E. gr. ampl. p. 474. — *Obmutescant labia mendacia, Quae loquuntur contra justum proterve, Cum*
20. *fastu et contemtu!* — *Quam magna* est *benignitas tua, Quam recondidisti,* asservasti *timidis tuis,* tuis cultoribus, *Parasti iis, qui spem ponunt in te, In conspectu hominum,* palam, in oculis omnium, ut omnibus innotescat piorum innocentia! —
21. *Latere facis eos in latibulo faciei tuae* i. e. tuo, id est: tueris eos, cf. 27, 5. 32, 7. 91, 1. 119, 14. *a conspirationibus s. machinis hominum, Abscondis eos in tugurio,* defendis eos *a rixa linguarum*, a criminationibus hominum lingua valentium. רֹכֶס, *conspiratio* ut קֶשֶׁר a קָשַׁר, vel *machina, dolus* ut אֹרֶב, אָרַב
22. ab אָרַב al. — *Laudatus sit Jova, Quod insignem fecit gratiam suam mihi,* insignem benevolentiam mihi praestitit, insigni modo me defendit, *Tanquam urbs munita,* vel: tanquam *in urbe munita!* עִיר מָצוֹר *urbs munita*, ut 2 Chron. 8, 5. al. בְּ essentiae est quod dicitur, ut Exod. 6, 3; apparui Abrahamo בְּאֵל שַׁדָּי *tanquam deus omnipotens*, sin minus: omissa est comparandi particula, ut 11, 1. 32, 4. al., quemadmodum jam Symmacho visum est, qui: *ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ.* Improprie capienda esse verba בְּעִיר מָצוֹר, plane perlucet ex vs. 3., qui non debebat negligi ab interpretibus. Nam quum eo loco in maximo periculo constitutus dei opem his verbis imploraverit vates: *esto mihi*

petra refugii, domus eacuminum, arx, *ad servandum me!* quid
potest liberatus periculo aptius dicere hoc loco, quam sane tu-
telam sibi praestitisse deum *tanquam urbem munitam*, vel si
mavis, *tanquam in urbe munita?* Conferendus est etiam qui
Jer. 1, 18. habetur haud exigui momenti locus et ipse neglectus
ab interpretibus, ubi Jova ad vatem: ecce, inquit, facio te hodie
לְעִיר מִבְצָר *urbem munitam*, coll. ibid. vs. 19. et 15, 20. —
Ego quidem dixeram, cogitaveram *in trepidando me*, in trepi- 23.
datione, consternatione animi mei tot tantisque malis obruti:
Excisus, exclusus *sum e conspectu oculorum tuorum*, tuo i. e.
rejectus sum a te! *Verum audisti vocem precum mearum, Quum
vociferarer ad te.* נִגְרַז i. q. נִגְזַר 88, 6. eadem structura; quod
verbum quum magis frequentent Hebraei, nonnulli libri habent
נִגְזַרְתִּי. — *Diligite Jovam, omnes pii*, cultores *ejus! Fidos*, 24.
vid. ad 12, 2., *custodit*, tuetur *Jova, Et rependit abunde*, satis
superque *ei qui facit fastum*, fastuose agit. De עַל יֶתֶר vide
quae observavimus ad Jer. 6, 14. — *Fortes estote, et alacre*, 25.
imperterritum *sit cor vestrum*, vid. ad 27, 14., *Omnes qui ex-
spectatis Jovam*, ejus auxilium, qui spem vestram in eo reposi-
tam habetis! Verbi יָחַל, quod propinquum est חול verbo, pri-
maria significatio non cernitur in *manendo, praestolando*, verum
in *torquendo*, quod ad animi intentionem relatum *exspectandi*
significatum praebet; cf. חִכָּה 33, 20. ibique not.

PS. XXXII. *Davidis carmen.* De מַשְׂכִּיל vocis vi vera 1.
vid. quae observavimus ad 14, 1. Referendum esse carmen ad
ea, quae 2 Sam. 12. narrata leguntur, plurimorum haud impro-
babilis sententia est. Leve est, quod alii opponunt, ex ea nar-
ratione Davidem delictum suum non professum, sed a Nathane
ob illud accusatum esse. Nam coram *deo* delicta sua confiteri
(Ps. vs. 5.), quid est aliud, quam confiteri coram *se ipso, agno-
scere* delicta? Davidem vero, priusquam a Nathane reprehen-
deretur, culpam animo poenitentia commoto agnovisse, documento
est apertum illud atque ingenuum חָטָאתִי לַיהוָה 2 Sam. 12, 13.
Duae strophae: vs. 1 — 5: beatum se esse, quod delicti veniam
a deo impetraverit, idque ingenua confessione; 6 — 11: hinc ut
sincero et fidenti animo deum adeant pios se admonere. — *Fe-
licem illum, cujus remissum est delictum, condonatum peccatum!*
E. gr. min. §. 490. נְשׂוּי pro נְשׂוּא formatum ad formam כְּסוּי,

2. cf. ad נָסַח 4, 7. — *Felicem hominem*, *cui*, est enim sententia
relativa omisso אֲשֶׁר, *non imputat Jova culpam*, *Et in cujus*
animo non est fraus, qui delicta sua aperte et ingenue confite-
tur, conditionem, qua illorum veniam impetrat, non omittit!
3. לֹא יַחְשֹׁב עָוֹן i. q. נְשֻׂא פֶשַׁע, כְּסוּת חֲטָאָה vs. 1. — *Quum sile-*
rem, peccatum non confiterer, conscientiam meam placare stu-
derem, *marcescebant ossa mea*, extabescebat corpus meum, *Su-*
spiritu meo per totum diem, ex moerore meo continuo; cf. ad
4. vs. seq. — *Nam diu noctuque graviter incumbebat mihi manus*
tua, graviter tu me affligebas, cf. 1 Sam. 5, 6. 11., *Et muta-*
batur i. e. corrumpebatur, cf. Jer. 2, 21. Dan. 10, 8., exsiccabatur
succus meus vitalis, vigor meus, tanquam *in siccitatibus aesta-*
tis, non aliter, atque aestivo tempore diuturnis caloribus ex-
siccari solet terrae succus. Ante בְּחַרְבֹנֵי omissa comparandi
particula, ut 11, 1. al. Sensus hujus et proxime praegressi ver-
sus: quamdiu delictum meum confiteri, animo poenitente agno-
scere nolui, tamdiu in poenam peccati tanta aegritudo me affecit,
5. ut ea paene sim confectus. — *Peccatum meum notum tibi fa-*
ciebam, *et culpam meam non texi*, celavi; *Dixi: profitear*
delicta mea, propr. *de delictis meis*, *Jovae! Et tu condonasti*
6. *culpam peccati mei*. — *Propterea preces fundat omnis pius*
ad te Tempore inveniendi i. e. cum te invenit, cum tu temet
nveniendum, exorandum praebes; *Ad eum tantum in inunda-*
tione aquarum magnarum i. e. quum irrumpent calamitates (pec-
catorum poenae), *Non attingent*. מְצֹא pro מְצֹאֶךָ est positum,
quod praegresso אֵלֶיךָ nullam habet difficultatem; cf. Jes. 55, 6:
דִּרְשׁוּ יְהוָה בְּהִמָּצְאוֹ *quaerite Jovam*, *cum invenitur*, inveniri,
exorari se patitur. רַק particula construenda est cum אֵלָיו:
tantum ad eum, ad eum unum; cf. Jes. 28, 19. ibique not.
Alii: *profecto* reddunt coll. Gen. 20, 11., quo loco tamen et
ipso *tantum* significat רַק. Ibi enim Abimelecho interroganti,
quid tandem peccaverit in Abrahamum aut quid ille viderit,
Abrahamus facete, nihil, inquit; *tantum* nullum dei timorem
esse in isto loco, cogitasse sese. לְ praepositum שֶׁטֶף voci est
temporis particula, ut plurimis in locis. *Inundatio aquarum*
calamitatum imago, cf. 18, 17. coll. not. ad vs. 5. ejusdem cap.
7. — Quod ita esse propria edoctum experientia se scire nunc
dicit. *Tu es latibulum mihi*, *ab angustiis defendis me*; *Jubilis*
liberationis i. e. de liberatione *circumdas me* i. e. copiosam mihi

materiam praebes laetitia exsultandi de lata mihi ope. רָנֵּי sunt
qui ejectum velint, vocem alias non repertam ortam putantes
ex tribus ultimis literis verbi proxime praegressi. Quasi vero
nomen linguae legibus convenienter formatum, ob id quod alibi
non legatur, sine mora necari debeat! — Redit ad vs. 6., pec- 8.
catori, qui in pari secum haereat impoenitentiae periculo, sana
consilia tribuens. *Edoceam te et instituam te in via, quam
ineas; Consulam* tibi, *in te* directo *oculo meo.* Verba עָלֶיךָ
עֵינִי, quae non fuit quod vexarent interpretes, *statum* describunt
agentis, ut si Exod. 12, 11. dicitur: sic comedetis illum (agnum
paschalem): מָתְנֵיכֶם חֲגֻרִים נַעֲלֵיכֶם בְּרַגְלֵיכֶם וּמַקֶּלְכֶם בְּיֶדְכֶם
lumbis vestris cinctis cet. cf. 35, 15. — *Ne sitis instar equi,* 9.
instar muli, cui *non est intellectus*, *Cum freno et capistro*
sunt, iis instructae sunt *phalerae ejus ad constringendum*, qui-
bus constringatur; *Non* est, nullum est *appropinquare ad te*,
non appropinquant ad te, i. e. ut qui non constrictus freno et
capistro non appropinquet ad te, tibi renitatur. Hoc dicit: No-
lite esse instar brutorum animalium, quae non nisi freni et ca-
pistri ope, ut appropinquent ad nos, moveri possunt, id est:
nolite esse pavidi, sed animo fidenti appropinquate ad deum!
עֲדִי *ornatus*, h. l. equi ornatus: *phalerae.* בָּלַם (cf. vicinum אָלַם)
constringere, claudere, spec. os capistro, i. q. syr. ܟܠܳܐ, a quo
est ܟܠܳܡܳܐ *capistrum*; chald. בְּלַם Jes. 32, 4. 35, 6. Targ., a quo
בְּלָמָא *obstructio*, *sepimentum*. Nonnulli לִבְלוֹם *constringendum
est* reddunt coll. G. gr. ampl. p. 787. min. §. 129. adn. 1. E. gr.
ampl. p. 621 sq. min. §. 544., et quod praecedit עֶדְיוֹ cum בְּמֶתֶג
וָרֶסֶן appositione cohaerere putant. Sed ita sensus nascitur ma-
xime languidus. קְרוֹב Infinitivus Substantivi vices sustinet, id
quod interpretes eo minus effugere debebat, quod in breviore
hoc carmine ter praeter hunc locum sic sumitur Infinitivus, vs.
6. 7. et in hoc ipso quod tractamus commate. אֵלֶיךָ imperso-
naliter capiendum est, vel, quod eodem redit, referendum ad eos,
quos supra nunc in Singulari nunc in Plurali allocutus erat
vates. — *Multi dolores* sunt *improbo; Et*, sed *qui fiduciam* 10.
collocat in Jova, Jovam adit animo poenitentia commoto et fidenti,
eum gratia ille circumdat. סוֹבֵב cum duplici Accus. ut supra
vs. 7. — *Laetamini de Jova et exsultate, o justi; Et laetas* 11.
voces edite, omnes integri animi!

PS. XXXIII. Hymnus in Jovam, cujus potissimum ca-
nitur potentia ac providentia. Strophae tres: vs. 1—3: prooe-
mium: laudate Jovam! 4—12: Jova est benignus et justus,
creator ac dominus totius mundi; felicem populum, cui is deus
praesidet! 13—22: Jova vigilat pro omnibus hominibus, prae-
cipue vero pro suo populo. Observa, quam accurate sibi invi-
cem respondeant vs. 6—9. et 13—15., 10. 11. et 16. 17.,
1. 12 et 18 sqq. — *Jubilate, o justi, de Jova! Probos decent*
2. *laudes!* Justi, probi κατ' ἐξοχήν dicuntur Israelitae. — *Cele-
brate Jovam cum harpa, Cum lyra decachorda canite ei!* Jam
supra ad 6, 1. tribus verbis monitum est, instrumenta כִּנּוֹר et
נֵבֶל dicta perquam dubium esse num indole adeo diversa fuerint.
„Certe veterum de hac re testimonia ita inter se discrepant et
perspicuitate carent, ut de discrimine et propria indole utriusque
instrumenti haud multum ex iis colligere possis. Ad veritatem
proxime videtur accedere, כִּנּוֹר fuisse illud etiam Aegyptiis sa-
crum instrumentum *harpam,* נֵבֶל vero *lyrae* aliquid simile, quae
eadem Aegyptiis jam antiquissimis temporibus nota erat. Harpa
enim et lyra, quippe in qua utraque chordae undique conspicuae
exstent, sine omni dubio vetustissimae et originariae fidium for-
mae fuerunt et primis temporibus praesertim magnitudine diver-
sae fuisse videntur. Inprimis lyra videtur cithararum mater et
archetypum fuisse, et illud instrumentum musicum Arabum *Kus-
sir,* quod depinxit Niebuhrius, ita medium tenet inter lyras et
citharas, ut utris rectius accenseatur, plane dubium sit. Quum
vero נֵבֶל *utrem* significet, concedendum est, lyrae lineas extremas
cum basi sua utris vel lagenae formam commodissime reddere.
Insuper brachiis lyrarum minus flexis, hoc instrumentum etiam
ad formam Δ inversi propius accedere potuit, quod vult Hiero-
nymus. Certo, si secundum Josephum (Ant. 7, 12, 3.) נבל in-
terdum chordas duodecim habuit, in citharae formam vix cogi
potuit.“ Haec *Redslob de praecepto musico* למנצח על הגתית
p. 30 sq. כִּנּוֹר Josephus l. l. decem chordarum fuisse tradit.
Quod idem ibid. נֶבֶל duodecim chordis munitum fuisse dicit,
quum h. l. decachordum dicatur, de eo vid. not. ad 6, 1. Utrum-
que instrumentum *digitis* carptum esse videtur, cf. 1 Sam. 16,
23. 18, 10. 19, 9. Jos. l. l. נֵבֶל עָשׂוֹר ad verbum esse videtur
νάβλα δεκάδος. Sic enim facillime intelligitur, cur pro נֵבֶל עָשׂוֹר
3. infra 92, 4. etiam dici potuerit עָשׂוֹר omisso נֵבֶל. — *Canite ei*

canticum (cf. ad 30, 1.) *novum*, non adhuc auditum, *Dextere*
fides pulsate (ut 1 Sam. 16, 17.) *cum tubae clangore!* — *Nam* 4.
rectum, nihil fallaciae habens, est *verbum Jovae*, *Et omne opus*
ejus est *fidum* (vid. ad 29, 4.). Sensus: carent dicta et facta
Jovae omni fraude et dolo. — *Diligit justitiam et jus*, *Gratia* 5.
Jovae plena est terra. — *Verbo Jovae coeli facti sunt*, *Et* 6.
spiritu oris ejus, vi divina, qua omnis rerum universitas anima-
tur Gen. 1, 2., *omnis exercitus eorum*, astra, 24, 10. — *Col-* 7.
ligit, ut acervum, aquas maris, *Reponit in receptaculis fluctus.*
Quod dicit, colligere Jovam *ut acervum* aquas maris, id non
propterea sic dicit, quod mare eminus prospicientibus altum vi-
detur et tumidum, ac tanquam aliquis tumulus aut fluctuans
collis aquae, ut nonnullis videtur, sed quod ante oculos vati
obversatur locus Gen. 1, 9., quo deus immensam diffusamque
aquarum multitudinem in unum locum redegisse dicitur; nam
quae colliguntur in locum unum, ea coacervantur. Pro נֵד veteres
interpretes, *utram* reddentes, כֹּד (i. q. כְּנֹאד) legerunt, plane ut
Syrus in Jos. 3, 13. 16., id quod recentiorum quoque nonnullis
maxime aptum ad parallelismum visum est. Sed vix monitu
opus, aptum et נֵד *cumulum* esse; in eaque hac voce eo magis
adquiescendum est, quo frequentior est accumulatarum aquarum
imago, Ps. 78, 13. Exod. 15, 8. Jos. 3, 13. 16. nec non Exod.
14, 22. De Articulo qui inest in כַּנֵּד vid. G. gr. min. §. 107.
adn. 1, a. אוֹצָרוֹת h. l. dicuntur terrae voragines, profunda
maris. — *Timeat Jovam omnis terra*, *Eum revereantur omnes* 8.
incolae orbis! — *Nam is dicit, et fit*; *Is jubet, et exsistit*, 9.
dicto et nutu omnia facit; cf. Gen. 1, 3. — *Jova frangit con-* 10.
silium, irrita facit consilia *populorum*, *Cohibet*, vana reddit
cogitata nationum. — *Consilium Jovae in perpetuum stat*, 11.
Cogitata cordis ejus ad omnes aetates. — *Felicem populum*, 12.
cujus Jova deus est, *Nationem*, quam *elegit in possessionem*
sibi, sibi propriam, praecipua cura sua dignam esse voluit! —
13 — 15. cf. 6 — 9. *De coelis spectat Jova*, *Videt omnes ho-* 13.
mines. — *E loco habitationis suae prospicit In omnes incolas* 14.
terrae, — *Is qui fingit simul cor eorum*, omnium pariter corda 15.
fingit, ideoque ea penitus perspicit, cf. 94, 9., *Qui attendit*
ad omnia facta eorum. — 16. 17. cf. 10. 11. *Nemo rex ser-* 16.
vatur magnitudine roboris bellici, *Heros non eripitur magni-*
tudine virium. — *Fallax* est bellator *equus ad salutem*, falluntur 17.

qui ab equitatu salutem, victoriam sperant, *Et magnitudine*
18. *roboris sui non facit elabi.* — 18 sqq. cf. 12. *En, oculus Jovae*
directus, attentus est *ad timidos ejus*, ejus cultores, cf. 34, 16:
19. עֵינֵי יְהוָה אֶל־צַדִּיקִים, *Ad exspectantes gratiam ejus,* — *Ut*
eripiat e morte animam eorum, Et ut vivos conservet eos in
20. *fame*, ut liberet eos ex omnibus periculis, — *Anima nostra*
exspectat Jovam, Auxilium nostrum et clypeus noster is est.
De חִכָּה verbi primario significatu minus recte statuunt etymologi. Significat illud proprie *adstringere*, velut funem, i. q. arab. حَكَأَ et حَكَا; hinc translatum ad animum: *intendere animum, intentum esse exspectatione, exspectare.* Cf. יִחֵל ad 31,
21. 25., cujus eadem ratio est. — *Nam eo laetatur cor nostrum,*
Nam in nomine ejus sancto, divina ejus potentia et benignitate,
22. cf. ad 23, 3., *fiduciam collocamus.* — *Sit gratia tua, o Jova,*
super nos, Quemadmodum exspectamus te, illam a te speramus!

1. PS. XXXIV. *Davidis* carmen, compositum, *cum mutaret* i. e. dissimularet *mentem suam*, i. e. cum mente captum se simularet *coram Abimelecho, et expelleret eum*, Abim. Davidem, *et abiret*, Dav. 1 Sam. 21, 11 sqq. Verum ad recentiorem aetatem referendum esse Psalmum, tum frequentia sententiarum aliunde collectarum docet, tum maxime acrostichidis artificium. Quae in inscriptione est locutio שַׁנּוֹת אֶת־טַעְמוֹ manifeste petita est ex 1 Sam. 21, 14. Strophae tres: vs. 2—4: laudibus efferam Jovam! 5—11: ex omnibus malis me eripuit; nam pios ille
tuetur. 12—23: igitur qui vult beatus esse, pius sit; nam pios
2. Jova adjuvat. — *Celebrem Jovam omni tempore, Continuo laus*
3. *ejus in ore meo* sit! — *De Jova glorietur anima mea, Audiant*
afflicti, qui in eadem miseria versantur, in qua ego eram versatus, *et laetentur* hoc meo liberationis exemplo, ut quod iis spem ostendat, fore, ut qui me eripuit Jova et ipsos eripiat! —
4. *Magnificate Jovam mecum, Et extollamus nomen ejus una!*
לְ pro אֶת Accusativi nota, ut Jer. 40, 2. al., ex usu recentiorum. Quod tamen nequaquam ita certum est, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Possit enim absolute positum גַּדֵּל (cf. נָשָׂא omisso קוֹל al.) cum לְ *laudes canere alicui* significare, aut ante oculos vatis obversatum esse quod in altero hemistichio legitur
5. שְׁמוֹ; cf. 69, 31. — *Quaesivi*, precibus adii *Jovam*, ejus opem
imploravi, *et exaudivit me, Et ex omnibus timoribus meis*

eripuit me. — *Respiciunt*, afflicti vs. 3., *eum*, ejus opem ex- 6.
spectantes, Jes. 31, 1., *et lucent* prae gaudio, laetantur, spe im-
pleta, *Et facies eorum non est quod erubescat*, pudore suffun-
datur ex spe irrita. וּפְנֵיהֶם sine negotio refertur ad עֲנָוִים vs.
3. 4., cf. vs. 18. coll. vs. 16. *Lucendi* significatum in נָהַר verbo
ad gaudium translatum habes et Jes. 60, 5. Ceterum quod נָהַר
nunc *fluere*, nunc, idque potissimum apud Aramaeos, *lucere*
significat, non opus esse videtur, ut duas ejusdem soni radices
esse statuas. Videtur potius, quum hoc sit aquarum, fluentium
maxime, proprium, ut luceant, utraque significatio ad eandem
radicem revocanda esse. Cf. vicinum נְהַר et יְאוֹר ab אוֹר. אַל
negatio quam vocant subjectiva, ut gr. μή. Sic et 41, 3. 50,
3. al. Cum יֶחְפָּרוּ tirones conferant יַחְפְּרוּ 35, 4. 26. coll. G.
gr. min. §. 57. — *Hic afflictus*, intelligit autem semet ipsum, 7.
clamavit, *et Jova audivit*, *Atque ex omnibus angustiis ejus*
liberavit eum. זֶה עָנִי ut זֶה סִינַי 68, 9. cf. 24, 8. — *Con-* 8.
sidet defendendi causa *angelus Jovae circum timidos ejus*, ejus
cultores, *Et eripit eos.* — *Sentite et videte*, *benignum esse* 9.
Jovam! *Felicem virum*, qui *spem ponit in eo!* — *Timete*, re- 10.
veremini *Jovam*, *sancti ejus*, ejus cultores, 16, 3.! *Nam nulla*
est inopia timidis ejus. יְראוּ vid. ad Jos. 24, 14. — *Leones* 11.
egent et esuriunt, *Et*, sed *qui quaerunt*, curant, colunt *Jovam*,
non carent ullo bono. Egregie falluntur, qui *leonibus* h. l.
piorum *hostes* significari credunt. In 7, 3. 10, 9. 22, 22. 35,
17. 58, 7. aliisque locis eum sensum esse docet nexus; hoc loco
non item! Hoc vult: fieri facilius potest, ut egeat leo, qui, cum
sit animal robustissimum atque fortissimum, sine negotio prae-
dam sibi comparat, quam ut egeant pii. Qui sensus tantum
abest ut habeat aliquid incommodi, ut sit maxime commodus. —
Agite, filii, *auscultate mihi!* *Timorem Jovae*, 19, 10., *docebo* 12.
vos. Filios compellat lectores, ut saepissime legere est in Pro-
verbiis. — *Quis est vir studens vitae*, *Amans dies*, *ut videat* 13.
bonum, fruatur felicitate? i. e. Quisquis es, qui diu et feliciter
vivere cupis, (custodi cet. vs. 14.), pro: quicunque diu et feli-
citer vivere cupit, (is custodiat cet.); cf. 25, 12. ibique not.
Articulus in הֶחָפֵץ appositioni inservit, eo modo, quo et Graeci
dicunt, et recte expressit Alexandrinus: τίς ἐστιν ἄνθρωπος
ὁ θέλων ζωήν κ. τ. λ. Sic et 35, 27. — *Custodi linguam* 14.
tuam a malo, *Et labia tua a loquendo fraudem*, a sermonibus

15. fraudulentis! — *Recede a malo, et fac bonum, Quaere pacem*
cum proximo, recte agendo, cf. 37, 37. Zach. 8, 19., *et perse-*
16. *quere illam! — Oculi Jovae ad justos* directi sunt, *Et aures*
17. *ejus* inclinatae *ad vociferationem eorum*; cf. 33, 18 sq. — *Facies*
Jovae defixa est *in facientes malum, Ad exscindendum*, penitus
tollendum *e terra memoriam eorum*. In verbis פְּנֵי יְיָ בְּעֹשֵׂי רָע:
בְּ Praepositionem per se neque in bonam neque in malam partem
dici, sed nihil nisi oculorum Jovae *in* impiis *commorationem*
exprimere, hoc satis superque intelligitur ex Jer. 21, 10. verbis
his: שָׂמְתִּי פָנַי בָּעִיר לְרָעָה וְלֹא לְטוֹבָה׃. Quo *animo* oculos Jova
in impios defixos habeat, id altero hemistichio dicitur. Eadem
18. ratio est locorum Lev. 17, 10. 26, 17. — *Clamant* justi vs. 16.,
cf. vs. 6., *et Jova audit, Atque ex omnibus angustiis eorum*
19. *eripit eos. — Propinquus* est *Jova fractis corde*, iis qui sunt
animo afflicto, *Et contritos spiritu*, eos, qui animum abjecere,
20. *servat. — Multa* sunt *mala justi, Et*, sed *ex omnibus iis*
eripit eum Jova. מִכֻּלָּם G. gr. min. §. 119, 5. E. gr. min. §. 449.
21. — *Custodit omnia ossa ejus, Nec unum ex iis frangitur*, cf.
22. 53, 6. — *Interficit*, perdit *improbum malum* quod committit,
23. sua ipsius improbitas, *Et osores justi poenam ferunt. — Li-*
berat Jova animam servorum suorum, Nec poenam ferunt qui-
cunque spem ponunt in eo.

1. PS. XXXV. *Davidis* carmen. In Davidem vero argumentum non convenit; cf. inprimis vs. 15 sq. Convenit potius in vatem aliquem recentioris aetatis, veluti in Jeremiam, vid. ad 5, 1., de quo ut cogites, id quoque movere te possit, quod quae vs. 6. exstat imago יְהִי דַרְכָּם חֹשֶׁךְ וַחֲלַקְלַקּוֹת praeter hunc locum non reperitur nisi in simillimo Jeremiae loco 23, 12: לָכֵן יִהְיֶה דַרְכָּם לָהֶם כַּחֲלַקְלַקּוֹת בָּאֲפֵלָה, quamquam hujusmodi parallelis non multum tribuendum esse vidimus ad Ps. 1. Strophae tres: vs. 1 — 10: defende me, o deus, ab adversariis, qui nulla mea culpa vitae meae insidiantur, eosque perde, dignis tanto beneficio celebrandus laudibus! vs. 11—16: qui aliorum miserias non alienas a me putavi, nunc, cum ipse in miseria versor, meum erga illos studium calumniis et ludibriis pensari video. vs. 17 — 28: repetitae preces, iterata accusatio inimicorum, gratiarum promissio. — *Increpa, o Jova, eos qui increpant me, Impugna eos qui impugnant me!* De nominibus formae יָרִיב,

יָבִין vid. E. gr. ampl. p. 261 sq. min. §. 337. Quod in non-
nullis libris pro יְרִיבַי legitur רִיבִי ex intempestivo emendandi
studio ortum est coll. frequentiore locutione רִיב אֶת רִיב פ' 43,
1. al. — *Prehende clypeum et scutum, Et surge cum auxilio* 2.
tuo! Quod pro בְּעֶזְרָתִי similibus in locis dicitur לְעֶזְרָתִי, 22, 20.
38, 23. 40, 14. 70, 2., causa est nonnullis, ut בְּעֶזְרָתִי, velit
nolit vates, *in auxilium* reddant. Cum, qui קוּמָה dicit, ad ve-
niendum invitet, veniendi autem verba cum בְּ constructa saepis-
sime *venire cum* aliqua re significent, velut 66, 13., manifestum
est, בְּעֶזְרָתִי eo quo accepimus modo accipiendum esse. — *Et* 3.
*stringe hastam, et interclude viam persecutoribus meis! Dic
animae meae: salus tua ego.* Verba סְגֹר לִקְרַאת רֹדְפָי proprie
sic sonant: *claude viam in occursum persecutorum meorum* i. e.
te objiciens adventantibus persecutoribus meis. Est enim סְגֹר
absolute positum, ut Gen. 7, 16. Jos. 6, 1., et constructio quam
vocant praegnans. Alii: *Et stringe hastam et sagarin* cet.,
סְגֹר nomen substantivum esse et *sagarin* significare judicantes
coll. σάγαρις Herod. 1, 215. 4, 5. 7, 64. et arab. شَاجَارٌ, شَاجِيرٌ
hasta, sagitta. Quam interpretationem praeter illud מָגֵן וְצִנָּה
vs. 2. hoc quoque commendare possit, quod לִקְרַאת ר' facilius
cum הָרֵק *(stringe adversus)* quam cum סְגֹר Imperativo con-
struitur. Sed valde incerta est vis illa, eoque incertior, quod
סְגוֹר nomen Hebraeis usitatum quidem est sed alio cum signi-
ficatu, neque ullus veterum interpretum de nomine hoc loco co-
gitavit. Ceterum haud improbabile est, סָגַר, cui vicinum est
סָכַר, formatum esse ex rad. גר (גָּרַר) praemisso sibilo (cf. שָׂגַב
et גָּבַב), ut sit onomatopoeticum exprimatque proprie crepitum,
stridorem edere claudendis portarum valvis gravioribus, hinc
generatim obserare, occludere; cf. Jos. 6, 1. — *Pudore et con-* 4.
tumelia afficiantur, excidant ausis, *qui appetunt vitam meam,*
vitae meae insidiantur, *Cedant retro et erubescant,* pudefiant,
qui meditantur malum meum, perniciem meam! — *Sint ut palea* 5.
coram vento, 1, 4., *Et angelus Jovae sit,* quod repetendum est
ex יִהְיוּ, *protrudens,* protrudat eos, nisi mavis coll. E. gr. ampl.
p. 536 sq. min. §. 607. reddere: *Angelo Jovae protrudente!* —
Sit via eorum tenebrae et lubricitates, tenebricosa et lubrica, 6.
19, 10., *Et angelus Jovae persequatur eos,* vel: *Angelo Jovae
persequente eos,* cf. ad vs. 5. — *Nam sine causa absconderunt,* 7.

occultarunt *mihi foveam suam retis*, reti instructam, *Sine causa*
foderunt eam *vitae meae*. Pro his criticorum nonnulli reponi
volunt כִּי חִנָּם טָמְנוּ לִי רִשְׁתָּם שַׁחַת חִנָּם וגו׳ *Nam sine causa*
absconderunt mihi rete suum, *Foveam sine causa foderunt*
vitae meae, monentes, sic demum perfectum ac planum fieri
versum, in quo, si priorem rationem sequaris, duo sint incom-
moda, unum, quod, cum prius hemistichium duo objecta habeat,
posterius habeat nullum; alterum, quod *abscondendi* verbum con-
veniat in *retia*, *laqueos* 9, 16. 31, 5. 140, 6. 142, 4., non autem
conveniat in *foveas*, utpote quae *fodiendi* verbum sibi sumant
7, 16. 57, 7. 94, 13. Jer. 18, 20. 22. Alii quamquam verba re-
cepta non sollicitantes sensui tamen succurrendum putarunt sub-
jecta sub חָפַר tropica *insidiandi* significatione. Quarum emen-
dationum equidem neutram necessariam esse puto. Nam cum
שַׁחַת רִשְׁתָּם significet *retis foveam suam* (cf. הַר קָדְשׁוֹ et plu-
rima hujus generis alia) i. e. foveam suam reti instructam, ita
ut duo haec nomina notionem efficiant unam, compositam ex
foveae et retis notionibus: manifestum est, טָמַן aeque aptum
esse atque חָפַר. Quod autem attinet ad id, quod posterius he-
mistichium objecto careat, id plane nullam difficultatem habet,
quandoquidem apud Hebraeorum vates nihil frequentius est omis-
8. sione Suffixorum. — *Superveniat ei*, adversario meo *pernicies*,
non opinetur i. e. non opinanti, inopinato, subito; *Et rete ejus*,
quod abscondidit, *capiat eum*; *Cum pernicie incidat in illud!*
בּוֹא פ׳ *supervenire alicui*, *invadere aliquem*, ut 36, 12. 44, 18.
109, 17. G. gr. min. §. 135, 3. E. gr. min. §. 507. ex. לֹא יֵדָע
ut Jes. 47, 11: *supervenit tibi calamitas*, לֹא תֵדְעִי *non opinaris*,
9. non opinanti; Job. 9, 5: deus *transfert montes*, וְלֹא יָדָעוּ *nec*
opinantur, non opinantes, al. cf. G. gr. ampl. p. 825. — *Et*,
tum cum adversarii mei in perniciem acti fuerint, *anima mea*
10. *exsultabit de Jova*, *Laetabitur de auxilio ejus*. — *Omnia ossa*
mea dicent: o Jova, *quis* est *sicut tu*, *Qui eripis*, liberas *afflictum*
ab eo qui potentior est illo, *Et afflictum et pauperem a ra-*
ptore suo! De כֹּל vid. E. gr. ampl. p. 142. min. §. 162. Quod
dicit vates כָּל־עַצְמוֹתַי, dubium est, utrum dicere velit: omnes
vires meae, quidquid in me vivit et viget, an intelligat ossa
a deo sanata, cum fracta essent, cf. 51, 10. coll. 6, 3. Quod
ad Jovam referendum putavimus מַצִּיל possit etiam ad מִי referri
11. in hanc sententiam: quis est, sicut tu, *qui eripiat* cet. — *Sur-*

gunt testes injuriosi, Quorum non sum conscius interrogant me,
talium factorum accusor, quae ne in mentem quidem mihi venerunt. Curent ut ipsi sapiant interpretes, qui sine sapore esse judicant eos, qui talia non dubitant proprie dicta habere; cf.
27, 12. coll. ibid. not. ad vs. 11. et 5, 9. ibique not. — *Re-* 12.
pendunt mihi malum pro bono, benefacta maleficiis pensant, *Orbitas* est *animae meae*, relictus sum ab omnibus. Non convenit, quod nonnullis placuit, construere ultima haec verba cum
יְשַׁלְּמוּנִי. — Quam longe alium ego me exhibui versantibus simili 13.
in miseria! *Et ego*, ego vero, *cum aegrotarent*, rebus adversis conflictarentur *ipsi*, *vestimentum meum* fuit *saccus*, 30, 12., *Afflixi jejunio animam meam*, *Et precatio mea in sinum meum rediit* i. e. preces fundebam capite in sinum inclinato (sic enim preces quasi in sinum precantis redeunt) i. e. preces fundebam lugens serio et vehementer; cf. membra proxime praegressa et vs. 14. ibique inprimis קֹדֵר שַׁחוֹתִי. אֲנִי Nomin. absol. וַאֲנִי 2, 6. Quum, qua ratione quod *respondere* significat עָנָה idem possit *affligi* significare, non intellexissent etymologi, duas ejusdem soni radices statuendas putarunt. Est vero, nisi me omnia fallunt, vicinum verbo אָנָה, أَنَى, ut proprie significet *obviam venire*, *obvenire*, hinc 1) *entgegnen*, *respondere*, 2) intrans. experiri casus adversos (Begegnisse, עִנְיָן), *affligi*; cf. ipsum אָנָה 91, 10. Prov. 12, 21. Ad verba, quae tertio membro legimus, Rosenmüllerus „videntur, ait, Hebraei varios habitus aut situs corporis adhibuisse inter precandum, quorum hic fortasse species fuerit in magna tristitia, ut capite in sinum inclinato precarentur; cf. 1 Reg. 18, 42. Atque id ipsum refert etiam de Mohammedanis Relandus in lib. de relig. Mohamm. p. 87., ubi varios eorum gestus aeri incisos exhibet, inter quos ille, qui in tertia figura comparet, ei, de quo nostro loco sermo est, similis videtur.“ עַל de motu in superiorem partem loci ex loco editiore.
— *Tamquam amicus*, *tamquam frater mihi* esset adversarius 14.
meus afflictus, *incessi*, me habui, *Tamquam lugens matrem*, *squalidus demisi caput*. כְּ ut latinorum *tamquam* pro *tamquam si*. כַּאֲבֶל־אֵם *tamquam lugens matrem*. אֲבֶל־ ex אָבֵל E. gr. min. §. 410., non, ut alii coll. הֲבֵל Eccl. 1, 2. 12, 8. volunt, ex אֵבֶל in hunc sensum: *secundum luctum matris*, quemadmodum lugere solet mater, nam status constr. hujus vocis est אֵבֶל Jer. 6, 26. Am. 8, 10. Quod אָבַל cum Acc. aut cum עַל construen-

dum fuisse monent, in eo falsos esse vel docet quod vs. 26.
habetur שִׂמְחֵי רָעָתִי. Favet autem priori interpretationi hoc
quoque, quod רֵעַ et אָח in priore hemistichio objectum efficiunt
luctus, non subjectum. Praeterea vide, quam crescat oratio, quam
eleganter adscendat ab amico ad fratrem, a fratre ad matrem.
15. — *Et, sed de casu meo laetantur, et congregantur; Congre-
gantur, super me* agitantes, torquentes *flagella, nec scio* quic-
quam, neque ullius rei mihi conscius sum, cujus causa id patiar,
cf. vs. 11., *Lacerant nec desinunt*, nullum facientes vexationi-
bus finem. נֵכִים plerique interpretum a נָכָה *percutientes* esse
volunt, quemadmodum גֵּאִים dicantur a גָּאָה. Quos plane falsos
esse hoc docet, quod גֵּאֶה forma est dagessata, ut בָּזֶה al. E.
gr. min. §. 330. Alius interpretis explicationi, ex qua נֵךְ a נוּךְ,
نَوِكَ, nomen est formae זֵד, לֵץ E. §. 324., significans *stultum*,
obstat nexus, a quo stulti significatio aliena. Est נֵךְ a נָכָה
nomen formae decurtatae, ut עֵץ Pl. עֵצִים ab עָצָה, שֵׁם a שָׁמָה
al. E. §. 318. p. 189., significatque quod LXX et Syr. expresserunt
flagellum. Tantum vero abest, ut נֵכִים verbi antegressi efficiat
subjectum, in qua opinione omnes video interpretes esse, ut una
cum עָלַי seorsum ab illo capiendum sit, sic quidem, ut secun-
dariam propositionem efficiat, quae statum exprimat congregan-
tium in hunc sensum: *congregantur, super me* agitantes *flagella*,
propr. *sie schaaren sich, über mir Geisseln.* Ut ovum ovo,
huic loco similis est quem 32, 8. vidimus locus אִיעֲצָה עָלֶיךָ עֵינִי
consulam tibi, *in te* directo *oculo meo*, ubi vid. not. Ceterum
sintne נֵכִים et קָרְעוּ proprie an improprie coll. שׁוֹט לָשׁוֹן Job.
5, 21. et הִכָּה בַלָּשׁוֹן Jer. 18, 18. capienda, definire equidem non
16. ausim. — *Inter sceleratissimos sannionum placentae* i. e. para-
sitorum qui ventris causa in conviviis scurras agunt, *Restrin-
gunt contra me dentes suos.* חַנְפֵי ל' *sceleratissimi* sannionum
E. gr. min. §. 488. לַעֲגֵי מָעוֹג iidem fere qui apud Graecos
dicuntur φωμοκόλακες, κνισσοκόλακες. Cf. apud Rabbinos לְשׁוֹן
עוּגָה *sermo placentae* de „sermone otioso, inani, qualis esse solet
eorum, qui placentae causa aliis adulantur, vel alios eludunt."
17. Buxt. p. 1583. חָרַק E. gr. min. §. 540. — *Domine, quousque*
otiosus *spectator eris? Reduc*, libera *animam meam a pernicie
eorum*, i. e. quam mihi parant, *A leonibus unicum meum* i. e.
vitam meam! Leones esse vatis adversarios, docet nexus; cf.

7, 3. 10, 9. 22, 22. 58, 7. De יְחִידָתִי vid. not. ad 22, 21. —
Celebrabo te gratias tibi agens in concione magna, In populo, 18.
coetu *numeroso laudabo te!* — *Ne laetentur de me hostes mei* 19.
immeriti, Osores mei immeriti ne *nictent oculo*, gaudium ex
malo meo occulte ostendentes! De אֹיְבַי שֶׁקֶר, שֹׂנְאַי חִנָּם vid.
G. gr. min. §. 148. E. gr. ampl. p. 628. — *Neque enim pacem* 20.
loquuntur, quod per litoten dictum pro: proferunt ejusmodi sermones,
qui bella et furores spirent, *Et contra quietos terrae*,
tranquillos terrae incolas, qui pacate vivunt, neminem offendentes,
verba fraudis excogitant. — *Et late aperiunt contra me* 21.
os suum, cf. 22, 8., *Dicunt: eia, eia, videt oculus noster*, intellige,
quod dudum optavimus videre, exitium tuum, cf. vs. 25.
— *Vides, o Jova*, tu es testis et spectator omnium quibus me 22.
afficiunt injuriarum, cf. 10, 14., *ne sis surdus* ad preces meas!
cf. 28, 1. *Domine, ne sis longinquus*, remotus *a me*, noli procul
abesse a ferendo auxilio mihi! cf. 10, 1. — *Vigila et ex-* 23.
pergiscere ad jus meum, ut jus meum vindices, *Mi deus et
domine, ad causam meam*, ad agendam causam meam! cf. 9, 5.
17, 2. Quod hic dicitur אֱלֹהַי וַאדֹנָי favere possit opinioni
eorum, qui ־ָי (־ַי) in אֲדֹנָי Pronomen suffixum esse volunt, ut
E. gr. min. §. 359. cf. 361. Obstant tamen huic opinioni plura,
in medium prolata a Gesenio in Lex. Verum et eorum sententia,
qui ־ָי terminationem formam vetustiorem Pluralis excellentiae
habent, haud exigua laborat difficultate, de qua videatur
Ewaldus. Quid? quod illud quoque in dubium vocari potest,
rectene referatur אָדוֹן ad דּוּן radicem. Ut dicam quod sentio,
אָדוֹן ab אָדַר אُدى fortis, robustus, potens fuit, juvit, esse videtur
1) abstr. robur, potentia, dominatio, 2) concr. *dominus*;
in Plur. 1) rarius: *domini*, 2) *dominus* ut in Sing. ob nativam
vim abstracti, cf. בְּעָלָיו. אֲדֹנָי vero sic scriptum pro אֲדֹנַי, quo
distingueretur ab אֲדֹנַי *domini mei*, decurtatum Dualem esse putaverim,
antiquissimis, quibus sidera divino honore afficiebantur,
temporibus dictum de ambobus coeli luminibus majoribus, *sole*,
qui in maximo honore habebatur, ac *luna*, quam fere eodem
modo colebant, cf. omnino Gen. 1, 16 sqq. Deut. 4, 19. 17, 3.
2 Reg. 17, 16. 21, 3. 5. 23, 5. 11. Jer. 7, 18. 44, 17 sqq. Dan.
4, 32. Job. 31, 26., tum vero siderum abrogato cultu translatum
ad *Jovam*, *coelestium agminum dominum*, יְהוָה צְבָאוֹת, quam
summi numinis appellationem in libris recentiorum maxime pro-

phetarum, utpote quorum aetate astrorum cultus iterum invaluis-
set, frequentissimam esse sciunt omnes. Ad similitudinem formae
24. אֲדֹנָי (אֲדֹנָי) effictum etiam videtur שַׁדַּי (a שָׁדַד). — *Judica me*
secundum justitiam tuam, o Jova, mi deus! Et noli permittere
25. *ut laetentur de me* adversarii! — *Ne dicant in corde suo: eia,*
desiderium nostrum (Prov. 13, 4.) i. e. pro voto successit! *Ne*
dicant: perdidimus eum! בִּלַּעֲנֻהוּ subjecta sub ע litera Chateph
26. vocali, velut in שְׁמַעֲנוּהָ 132, 6. E. gr. ampl. p. 110. — *Pudore*
afficiantur et erubescant spe frustrati *ad unum omnes, Qui*
laetantur de malo meo! Induant pudorem et ignominiam, ope-
riantur pudore et ignominia, cf. 109, 18., *Qui fastuose agunt*
27. *contra me! — Jubilent et laetentur, qui volunt jus meum,*
justae meae causae favent, *Et dicant perpetuo: magnus est*
Jova, Qui vult salutem servi sui! De חָפֵץ vid. ad 34, 13.
28. — *Et lingua mea canat justitiam tuam, Omni die laudem*
tuam!

1. PS. XXXVI. *Praecentori* (4, 1.) canendum *servi Jovae*
(cf. inscr. Ps. 18.), *Davidis dictum*, carmen. De נְאֻם ad in-
scriptionem referendo vid. not. ad vs. 2. Dicitur לְדָוִד נְאֻם post-
posito נְאֻם, ut 24, 40. al. לְדָוִד מִזְמוֹר, 32: לְדָוִד מַשְׂכִּיל al.
De *dicto poetico* נְאֻם legitur etiam 2 Sam. 23, 1. Prov. 30, 1.
Quo tempore et a quo compositus sit hic Psalmus, dici vix
poterit. Videtur tamen ad Jeremiae aetatem referendus esse,
utpote qua improborum turmae inslies magis grassarentur. Stro-
phae tres: vs. 2—5: ab improbis vs. 6—10: pro tua gratia,
2. fide, justitia vs. 11—13: pios, o Jova, defende eos — *Impietas*
est *improbo in corde suo, Nullus timor dei coram oculis ejus.*
Vix credas, quantopere laboraverint interpretes in expediendo
hujus versus hemistichio priore, nullius difficultatis loco, simul-
atque נְאֻם ad inscriptionem retuleris, et pro לִבִּי facillima facta
mutatione cum interpretibus antiquis et nonnullis libris legeris
לבו (לִבּוֹ). Sic enim eum quem fecimus sensum habes non modo
facillimum per se, verum etiam talem, qui ad posterius hemi-
stichium sit maxime aptus. Ita enim accuratissime inter se re-
spondent פֶּשַׁע לָרָשָׁע (פֶּשַׁע *defectio a deo, impietas*) et אֵין פַּחַד
אֱלֹהִים, item בְּקֶרֶב לִבּוֹ et לְנֶגֶד עֵינָיו. נְאֻם non esse Participium
pass. constructum, sed nomen abstractum formae גְּבֻל perlucet ex
Jer. 23, 31. Nihil igitur obstat, quominus referatur ad inscri-
ptionem. Alii, qui et ipsi pro לִבִּי reponi לִבּוֹ volunt, נאם suo

loco relinquentes prioris hemistichii hunc sensum faciunt: *oraculum peccati est improbo in corde suo* i. e. quidquid homini improbo animi pravitas suadet et imperat, id oraculi loco habet. Quae explicatio, quamquam satis apta ad parallelismum, tamen rejicienda est propterea, quod נְאֻם alias semper de prophetarum et poetarum dictis legitur. Eorum interpretum, qui verba intacta relinquenda putant, plerique sic illa explicant: *dictum pravitatis* i. e. de pravitate (coll. Jes. 5, 1.) *improbi* (ut לְ sit nota Genitivi, utpote praegresso Nomine constructo) est *in corde meo*, quibus verbis vatem existimant argumentum carminis proponere voluisse, coll. 45, 1. 101, 1. Cui interpretationi primum hoc obstat, quod hac ratione argumentum Psalmi non nisi ex parte proponitur; deinde, quod, si in priore hemistichio carminis argumentum significat vates, cum in posteriore rem ipsam aggrediatur, misere claudicat parallelismus; tum, quod quotiescunque נְאֻם voci additus est Genitivus, is semper est Subjecti, non Objecti; denique, quod durior est ista structura, durior et ipsa sententia. Aliorum alias interpretationes enumerare longum. —
Difficiliora haec verba nonnulli sic interpretantur: *Nam blanditur* 3.
sibi (אֵלָיו reflexive sumto) *in oculis suis* i. e. indulget sibi, *Ut assequatur* i. e. perficiat *actionem suam pravam*, *ut odium habeat*, ut prave agat odiumque suum in deum hominesque expleat. Quam interpretationem quominus meam faciam praeter duritiem qua premitur haec me impediunt, quod בְּעֵינָיו sic satis otiosum est, et quod שְׂנֹא absolute capitur, quum videatur commune cum מְצֹא habere Objectum עֲוֹנוֹ. Alii: *Nam blanditur sibi in oculis suis*, ipsemet sibi placet, *Quod inveniat actionem suam pravam, quod odium habeat* i. e. quod nunquam sibi desit prave agendi, odium explendi occasio. Quae explicatio praeterquam quod artificiosior est et ipsa eo laborat, quod שְׂנֹא absolute accipit. Alii: *Nam blanditur sibi in oculis suis*, ipse sibi simulat, *Invenire*, agnoscere *se actionem suam pravam* eamque *odio habere*. Quam explicationem qui suam fecerit, eas quibus antegressae laborant difficultates evitabit quidem, sed sensum habebit ad vs. 4. et 5. minus aptum. Ibi enim quae dicuntur ita comparata sunt, ut exspectes, dici hic improbum non tam semet ipsum quam alios simulando fallere. Itaque, praetermitto enim quae verbis vim inferunt aliorum alias interpretationes, אֵלָיו בְּעֵינָיו ad *deum* videtur referendum esse in hanc sententiam:

Nam blanditur ei in oculis ejus, studet ei persuadere, simulat
coram eo, *Invenire*, agnoscere *se culpam suam*, eamque *odio
habere*, coram deo animi poenitentia commoti virtutisque studiosi
4. speciem ostendit. Quibus quam bene conveniant quae vs. 4. di-
cuntur nemo non videbit. Similia vide 17, 1. 3. — *Verba oris
ejus vanitas et fraus*, vana sunt atque fraudulenta, cf. vs. 3.,
5. *Desiit recte sapere*, cf. 14, 2., *recte agere*. — *Vana*, prava
excogitat in cubili suo, cf. 4, 5., *Sistit se in via non bona*,
6. mala, *Malum non aversatur*. — Sed quidquid fiat aut turbetur
ab hoc genere in vita, ideo non desinit divina tua gratia, fides,
justitia homines tueri vs. 6 sqq. *O Jova*, *in coelos gratia tua*
pertingit, *Fides tua usque ad nubes*. בְּ hic *inire*, *intrare* ali-
quid in aliquem locum indicat, ut saepius. Nam quod in loco
parallelo 57, 11. et hemistichio altero scriptum est עַד movere
te non potest, ut בְּ praeverbio spreta significatione primaria *ad*
significatum (quamquam ab eo non alienum) hic tribuas, quum
fere eodem redeat, utrum pertingere aliquid *in* coelos an *usque
ad* coelos dicatur; cf. Gen. 11, 4. Sensus: omnia superans, in-
7. comparabilis est gratia tua cet. — *Justitia tua* est *ut montes
dei* i. e. ut montes maximi, quemadmodum 80, 11. *cedri dei*
sunt cedri altissimae, nam quae dei sunt, in suo genere prae-
stantissima sunt, cf. G. gr. ampl. p. 694., i. e. omnem hominum
justitiam excellens longissime, *Judicia tua* ut *oceanus magnus*
i. e. quocunque vertamus oculos, justo tuo judicio omnia dis-
ponuntur; minus enim ad nexum convenit qui aliis subesse vi-
detur sensus: judicia tua non possunt pervestigari, non magis
quam oceanus vastus et profundissimus; *Homines et pecudes*
8. *servas*, *o Jova*. — *Quam pretiosa*, magni facienda est *gratia
tua*, *o deus! Atque homines in umbram alarum tuarum*, cf.
ad 17, 8., *confugiunt*. יֶחֱסָיוּן cum Kamez ob Pausam, ut יֶהֱמָיוּן
39, 7., יִשְׁתָּיוּן 78, 44. al. Contra omisso Kamez extra Pausam:
יִרְוְיֻן infra vs. 9., etiam ubi appositus est accentus major: יִרְבְּיֻן
Deut. 8, 13., et ante Pausam: תְּדַמְּיוּן Jes. 40, 18., ubi tamen
etiam scriptum reperitur Kamez, ut in יִשְׁלָיוּ 122, 6. cf. G. gr.
9. ampl. p. 429. E. gr. ampl. p. 428 sq. — *Inebriantur pingue-
dine*, potu delicato *domus tuae*, imagine petita a convivio quod
instruit pater familias, *Et torrente*, affluentia Job. 20, 17. *de-
10. liciarum tuarum potas eos*. — *Nam tecum*, penes te est *fons
vitae*, salutis, *Luce tua* i. e. gratia tua 4, 7. *spectamus lucem*,

utimur felicitate 27, 1. Elegans repetitio lucis, diversa signifi-
catione. — *Protrahe*, diuturnam fac *gratiam tuam cognoscen-* 11.
tibus, colentibus *te*, *Et justitiam tuam integris animi!* — *Ne* 12.
superveniat mihi, vid. ad 35, 8., *pes superbiae*, noli permittere,
ut obterant me homines insolentes, *Et manus improborum ne*
expellat me e sedibus meis, ejiciat me patria! — *Ibi* i. e. tunc 13.
(ut 14, 5.), cum justitiam tuam exercueris, o Jova, *cadent male-*
fici, *Impellentur* ad casum, *nec poterunt surgere*.

PS. XXXVII. *Davidis* carmen. Sed quod ad vs. 3. vates 1.
pios monet, ne injuriis improborum induci se patiantur, ut ter-
ram patriam deserant, indicio est, recentioris aetatis hunc Psal-
mum esse. Quam eandem acrostichidis artificium prodit. Cardo
argumenti est quod vs. 17. legimus: זְרוֹעוֹת רְשָׁעִים תִּשָּׁבַרְנָה
וְסוֹמֵךְ צַדִּיקִים יְהוָה. Quod argumentum vates non perpetua
sed dissipata oratione persequitur. Strophae tot, quot literae
alphabeti, pleraeque quatuor membrorum. — *Ne indigneris de*
maleficis, *Ne invideas prave agentibus*, conspectis eorum rebus
secundis! — *Nam ut gramen propere abscinduntur*, *Atque ut* 2.
herba viridis flaccescunt. יִמָּלוּ forma Paus. pro יִמָּלוּ ex Sing.
יִמַּל Fut. K. a rad. מָלַל (non a נָמַל, cf. יְמוֹלֵל 90, 6. et מְלִילֹת
Deut. 23, 26., coll. not. ad Gen. 17, 11.), ut יִתַּמּוּ 102, 28.
a תָּמַם; cf. 31, 18. ibique not. coll. etiam E. gr. min. §. 285.
p. 147. — *Fiduciam colloca in Jova, et fac bonum*, noli a recte 3.
agendo deterreri exemplo improborum, quibus omnia feliciter
cedunt; *Incole terram*, de quorum verborum sensu vid. ad vs. 1.
coll. inprimis vs. 9—11. 22. 29. 34., *et sectare fidem*, mane,
sta in fide Jovae! quem sensum postulat parallelismus. — *Ob-* 4.
lecta te Jova, laetare de eo, quod Jovam habes patronum, *Et*
dabit tibi desideria cordis tui, respondebit optatis tuis. עָנַג
verbum maxime mihi probabile videtur esse emollitum ex עָרַג,
عَرَجَ (de quo vid. ad 42, 2.), ita ut proprie sit inclinare, pro-
pendere ad aliquid. — *Devolve in Jovam viam* i. e. *sortem tuam*, 5.
res tuas Jovae permitte, *Et fiduciam colloca in eo, et is prae-*
sentem se exhibebit. גּוֹל דּגו' cf. 22, 9. דֶּרֶךְ transl. dicitur et
active de ratione qua quis agit, et passive de ratione qua cum
aliquo agitur, de sorte quam quis experitur. Quo eodem modo
adhibetur et אֹרַח. עָשָׂה absolute positum ut 22, 32. ubi cf. not.
— *Et educet ut lucem*, instar solis *jus tuum*, *Et causas tuas* 6.

ut lumen meridianum, splendidissimum. Nonnulli in multis libris
male Pluralem מִשְׁפָּטֶיךָ legi monent, quasi vero quod receptum
est מִשְׁפָּטֶךָ (defective scriptum pro מִשְׁפָּטֶיךָ, ut דְּרָכֶךָ pro דְּרָכֶיךָ
119, 37. al.) non sit Pluralis! Vellem etiam dixissent, cur, cum
de hominum causis hic sermo sit, Pluralis ferri nequeat. Est vero
eo minus ille sollicitandus, quod a scriptore manifeste positus
7. est Dualis qui sequitur in gratiam. — *Sile*, silens confide *Jovae*,
et exspecta eum, ejus auxilium! *Ne indigneris de eo cui omnia
prospere procedunt, De homine qui exsequitur consilia perniciosa!* דֹּם לַיהוָה ut 62, 6. חוּל, חוֹלֵל, הִתְחוֹלֵל *exspectandi*
significatum habet a *torquendo*, *adstringendo* ad animum relato,
ut cogn. יָחַל (de quo ad 31, 25.), חִכָּה (33, 20.), קִוָּה vs. 9.
8. De צָלַח vid. ad 1, 3. — *Desiste ab ira et relinque aestum!
Ne indigneris tantum ad malefaciendum!* Sensus: desiste ab
indignatione de improborum felicitate, siquidem hac tua indignatione nil nisi hoc efficietur, ut illorum ad exemplum et ipse
9. malefacias! — *Nam malefici exscinduntur*, exstirpantur, *Et
qui exspectant Jovam*, Jovae confidunt, *illi possident terram*
i. e. gaudebunt terrae patriae nullis improborum injuriis factisque
violentis turbata possessione; cf. 25, 13. et quae ibi adnotavimus.
10. Eadem promissio infra vs. 11. 22. 29. 34. — *Et adhuc paulisper*, exspecta paulisper: *et non est improbus; Atque attendis
11. ad locum ejus: et non est ille.* — *Et afflicti possident terram,
12. Et oblectantur multitudine salutis.* — *Mala meditatur impro-
13. bus justo, Et restringit contra eum dentes suos.* — *Dominus
ridet eum, Nam videt advenire diem ejus*, exitialem puta, ut
14. 137, 7. Ezech. 7, 7. al. — *Gladium stringunt improbi, Et
calcant*, tendunt *arcum suum, Ut prosternant afflictum et pauperem, Ut trucident integros viae* i. e. vitae, cf. ad vs. 5.
Easdem de improborum conatibus imagines vidimus 7, 13 sqq.
15. 11, 2. — *Gladius eorum intrat in cor eorum*, ipsorum, *Et
arcus eorum franguntur.* De קַשְּׁתוֹת vid. E. gr. min. §. 172.
16. — *Melius est*, praestat *pauxillum, quod justo est*, quod justus
17. habet, *Quam copiae*, opes *improborum multorum*. — *Nam
brachia improborum franguntur*, cf. 10, 15., *Et sustentat ju-
18. stos Jova.* — *Novit Jova dies proborum* i. e. vitae eorum curam
gerit, *Et possessio eorum in perpetuum erit*, manebit; licebit
19. iis patrium perpetuo habitare solum; cf. ad vs. 9. — *Non afficiuntur pudore*, non frustrantur spe, quam in Jova repositam

habent *tempore mali*, calamitoso, *Et diebus famis*, quo tempore
fame laboratur, *satiantur*. — *Nam improbi pereunt*, *Et hostes* 20.
Jovae ut decus pratorum, herbae floresque, cf. vs. 2., *Evane-
scunt*, *fumo evanescunt*, i. e. evanescunt, ut res quae conflagratae
in fumum abeunt. כִּי referendum ad vs. 16. cf. vs. 17. בְעָשָׁן
fumo poetarum more omissa comparandi particula dictum pro
ut fumo, cf. 11, 1. 31, 22. 32, 4. Eodem modo 102, 4. dicitur:
כָּלוּ בְעָשָׁן יָמָי *evanuerunt fumo dies mei*, ubi בִמוֹקֵד voce, quae
in posteriore hemistichio legitur, nulla ratione efficitur, ut in
priore hemistichio בְּ idem significet quod כְּ, quandoquidem in
aequabilitate sensus, non verborum, consistit parallelismus; item
78, 33: וַיְכַל בַּהֶבֶל יְמֵיהֶם *et evanescere fecit halitu dies eorum*.
Quod hoc quem tractamus loco et infra 102, 4. in nonnullis
libris pro בְּ scriptum est כְּ ex intempestivo emendandi studio
profectum est. Ceterum observa, posterius כָּלוּ tonum habere in
penultima, quum prius (ut solent talia) habeat in ultima. Sic
137, 7: עָרוּ עָרוּ; cf. E. gr. min. §. 132. — *Mutuatur improbus*, 21.
nec solvit; *Et justus gratificatur et largitur*. Quibus verbis
quae in antegressis dicta sunt de rebus proborum secundis, im-
proborum adversis amplificantur; cf. vs. 25 sq. — *Nam*, cf. vs. 22.
20., *prosperati ejus*, Jovae, qui prosperantur a Jova probi *pos-
sident terram*, *Et exsecrati ejus*, quos is exsecratur im-
probi *exscinduntur*, exstirpantur; cf. ad vs. 9. — *A Jova gres-* 23.
sus viri, probi puta, qualem hactenus descripsit, *diriguntur*,
Et via ejus, ejus agendi ratione *delectatur*. — *Cum ceciderit*, 24.
non prosternetur, *Nam Jova sustentat manum ejus*. — *Puer* 25.
fui, *etiam senui*, *Nec vidi justum derelictum*, *Et*, aut *semen
ejus quaerens panem*, posteros ejus mendicantes. — *Omni tem-* 26.
pore gratificatur, *et dat mutuum*, *Et semen ejus* est *eximie
fortunatum*. בְּרָכָה concr. ut 21, 7. Gen. 12, 2. Ceterum cf.
vs. 21. — *Recede a malo*, *et fac bonum*, *Et habita* i. e. et 27.
s. tunc habitabis, habitator eris, manebis sc. terrae patriae *in
perpetuum*. שְׁכֹן absolute est positum, ut 102, 29., pro שׁ' אֶרֶץ
vs. 3. Esse vero *et habita* dictum pro *et habitabis*, *ita fiet ut
habites* G. gr. min. §. 127, 2. E. gr. min. §. 618., hoc plane
perlucet ex iis, quae subjiciuntur vs. 28. et 29. — *Nam Jova* 28.
amat jus, quod rectum et justum est, *Nec derelinquit pios suos*.
In perpetuum custodiuntur, servantur; *Et semen*, posteritas
improborum exscinditur, exstirpatur. In restituenda quae ab ע

incipiat stropha non mediocrem at supervacaneam atque inanem operam consumsisse video interpretes, nolentes, dormitasse h. l. vatem hebraicum, quum quandoque bonus dormitet Homerus. Quid vero, si ne desit quidem ע stropha? si, inquam, incipiat ab לְעוֹלָם? Quemadmodum enim ת stropha vs. 39. incipit ab וּתְשׁוּעַת, non obstante ו litera, sic profecto potest ע stropha
29. incipere a לְעוֹלָם, non obstante ל praeverbio. — *Justi possident terram, Et habitant in perpetuum in ea;* cf. vs. 9. ibique adn.,
30. vs. 11. 12. — Rei ratio. *Os justi meditatur sapientiam* i. e. virtutem ac pietatem, vid. quae notavimus ad Jes. 11, 2., *Et*
31. *lingua ejus loquitur jus*, quod rectum ac justum est. — *Lex dei sui in corde ejus est, Non vacillant gressus ejus*, ne tantillum a via recta aberrat. De תִּמְעַד אֲשֻׁרָיו vid. ad 18, 35. —
32. *Insidiatur improbus justo, Et studet occidere eum;* cf. ad hunc
33. et eum qui sequitur versum vs. 12—15. — *Jova non relinquit eum in manu illius*, non relinquit eum in illius arbitrio, *Nec condemnat eum, cum judicatur* i. e. nec sinit eum judiciorum injuria opprimi. Alii coll. vs. 6. de divino judicio cogitant, in-
34. vito nexu; cf. vs. 32. — *Exspecta Jovam*, ejus auxilium, *et observa viam ejus*, viam quam Jova jubet te ingredi: *Et*, tum *sublevabit te* prostratum et abjectum, *ut possideas terram*, vs.
35. 9. 11. 22.; *Excidio improborum oculos pasces!* — Rem confirmat exemplo. *Vidi hominem improbum violentum, Et qui diffunderet se ut arbor indigena laete virens.* אֶזְרָח a זָרַח E. gr. min. §. 336. *arbor indigena*, nondum in aliud solum transplantata ideoque laetius virens, dicta ab oriendo, progerminando. Sic apud Arabes صروة „dicitur de arbore, quae manens in terra non dimovetur, nec transplantatur. Translate dicitur de nobilissimis populi. Dicit Mohalhel: „„*Deponit reges et sunt sub vexillo ejus Arbores indigenae et culmina populorum.*““
36. Dschauhar.; cf. אָצִיל Exod. 24, 11. — *Et interiit, et ecce,*
37. *non fuit* amplius; *Et quaesivi eum, nec inventus est.* — *Observa integrum, et vide*, considera *rectum*, recti studiosum! *Nam posteritas* est, posteri erunt *viro pacis*. Hemistichium prius nonnulli sic interpretantur: *Custodi integritatem, et vide*, ante oculos habe *quod rectum est*. Quae interpretatio quamquam non pugnat cum usu loquendi; interdum enim יָשָׁר forma vim habet abstracti, tamen rejicienda est, quod abhorret a nexu temere neglecto ab interpretibus. Quemadmodum enim versibus

proxime praegressis vates vidisse se hominem *improbum* dicit, florentem, Fortunae alumnum, sed qui brevi ita periisset, ut nullum ejus vestigium reliquum esset, sic hoc loco, tu, inquit, *probum* ipse considera, animadversurus, stirpem illum ex se relinquere 37., quum contra *improbi* pereant, neque ullam habeant progeniem liberorum 38. Ex qua eadem oppositione falsos esse eos quoque perlucet, qui hemistichium posterius hanc sententiam habere credant: *Nam finis*, ultima sors, ejusmodi *viro* (cf. גֶּבֶר vs. 23.) est *pax*, ejusmodi homo tandem pace fruetur. Etenim quo significatu אַחֲרִית gaudet vs. 38., eodem gaudeat necesse est
vs. 37. — *Et*, sed *defectores delentur una*, *Posteritas impro-* 38.
borum exscinditur. — *Et auxilium justorum a Jova* venit, 39.
Munimento, praesidio *eorum tempore angustiarum.* De וּתְשׁוּעַת
vid. ad vs. 28. מָעוּזָּם appositione cohaeret cum יְהוָה. — *Et* 40.
adjuvat eos Jova, et liberat eos; Liberat eos ab improbis, et servat eos, Quoniam fiduciam ponunt in eo.

PS. XXXVIII. *Carmen Davidis, ad revocandum* se Jo- 1.
vae *in memoriam.* Sic explicandum putamus quod hic et in inscriptione Ps. 70. legitur לְהַזְכִּיר, favente utrobique argumento. Argumentum idem fere quod Ps. 6, 31. al. Quid? quod quae vs. 2. dicit vates, fere iisdem verbis leguntur 6, 2., ex quo tamen utrumque Psalmum ab eodem scriptore profectum esse colligi nequit; cf. ad Ps. 1. Strophae duae: vs. 2 — 11: gravissimo morbo correptum, 12 — 23: ab amicis desertum, ab hostibus afflictum, quamquam propter admissa peccata castiga-
tione tua dignum, o Jova, ne derelinquas! — *O Jova, ne in* 2.
ira tua punias me, Et ne, neve *in aestu tuo castiges me!* וּבַחֲמָתְךָ וגו' cogitatione suppresso אַל. Eadem ratio est locorum 9, 19. 35, 19., si discesseris ab eo, quod hoc quem tractamus loco posterior sententia priori annectitur copula. Infra in 49, 19. illius loco habes Vav consecutivum, quod in prosa oratione frequentant; cf. E. gr. ampl. p. 657. Ceterum vid. ad
6, 2. — *Nam sagittae tuae demissae*, conjectae *sunt in me*, 3.
Et descendit super me manus tua. Sagittae a deo in homines conjectae sunt illis immissae calamitates, ut bella, fames, pestis, morbi mortiferi, Deut. 32, 23. Ezech. 5, 16. Job. 6, 4. al. Hoc loco quid significent, videbimus ad vs. 4. Quod 18, 35. et 65, 11. Piel est נִחַת, hoc loco est Niph. De posterioris hemistichii lo-

4. cutione cf. 32, 4. — *Nihil integri in carne mea propter indignationem tuam; Nihil sani in ossibus meis propter peccatum meum.* Quae inde ab hoc versu usque ad 11. proferuntur quomodo intelligenda sint, interpretes dissentiunt. Mihi certum est, dicere vatem, valetudinem suam graviter affectam esse. Nihil est, quod nonnulli verba scriptoris improprie accipienda monent tum quod quae Jes. 1, 5. 6. aliisque locis legantur simillima et ipsa improprie capienda sint, tum quod in precibus inde a vs. 16. fusis non nisi de adversariis sermo sit. Neque enim in talibus omnia eodem modulo metienda sunt, sed ubique consulendus est nexus. Quae hic loci vs. 11. dicit vates, aliter atque proprie intelligi vix possunt. Ad alterum autem argumentum quod attinet, quum, quod interpretes non debebat effugere, e vs. 13. 18 sq. perluceat, vatem in adversam valetudinem incidisse propter injurias vexationesque adversariorum (prorsus ut 6, 3 sqq. 22, 15 sq. 18. 31, 10 sq. al.), sequitur, vix quicquam interesse, utrum ab adversariis an a morbo ut liberetur oret vates. Nam cessante causa cessat effectus. Verum ob id ipsum, quod causa valetudinis referenda est ad injurias adversariorum, rejiciendam puto et eorum sententiam, qui lepra vatem laborasse opinantur, quamquam non negans, et plura inesse, quae maxime conveniant in lepram, ut vs. 4. 6. 8. ad quos cf. Wineri Bibl. Realw. I. p. 131 sqq. (de vs. 7. 11. 12. vid. ad hos ipsos), et facile fieri potuisse, ut, si forte ante haec diutius in carcere esset detentus (ut saepius accidisse scimus Jeremiae, cf. ad 5, 1.), lepra vates afficeretur; solet enim ex humore potissimum et squalore nasci iste morbus. Ceterum fatetur vates, calamitatem suam se sibi
5. contraxisse delictis suis; cf. vs. 5. 6. 19. — *Nam miseriae meae transeunt*, superant *caput meum*, totus iis obruor, cf. 124, 4.; *Ut onus grave graviores sunt me*, graviores sunt, quam ut ferre possim. עֲוֹנוֹת esse *poenas* delictorum, *calamitates*, *miserias*, ut 31, 11., docet nexus. יִכְבְּדוּ מִמֶּנִּי breviter dictum ut כָּבֵד מִמְּךָ הַדָּבָר *gravius te est hoc negotium* i. e. gravius, quam quod sustineas Exod. 18, 18. G. gr. ampl. p. 690. E. gr. ampl. p. 600.
6. — *Foetorem excitant*, foetent, *sanie diffluunt tumores mei Propter stultitiam* i. e. impietatem *meam*, ut 69, 6. cf. ad Jes.
7. 11, 2. coll. not. ad vs. 4. hujus Ps. — *Depressus sum*, *demissus sum valde*, *Omni tempore squalidus incedo.* Convenit hoc in hominem lepra infectum, cf. Lev. 13, 45., sed convenit idem

in quemlibet lugentem, cf. 35, 14. — *Nam lumbi mei pleni sunt* 8.
inflammatione, Et nihil integri est in carne mea. נִקְלֶה propr.
adustum a קָלָה, قَلَى frixit (V. odio exarsit), hinc *adustio,*
inflammatio, quod ipsum expressit Chaldaeus voce קְדָחְתָּא, ad
quam cf. קִדָּח calor, inflammatio, ut oculi, קַדַּחַת febris ardens.
— *Torpeo et contusus sum vehementer, Rugio prae fremitu* 9.
cordis mei, cordis mei tumultuantes gemitus clamores mihi ex-
torquent. — *Domine, coram te*, tibi notum est *omne desiderium* 10.
meum, Et gemitus meus te non latet. — *Cor meum palpitat* 11.
*vehementer, Deserunt me vires meae, Et lux oculorum meo-
rum, etiam illi non sunt mecum*, ipsi etiam oculi mei officium mihi negant, eorum usum non habeo. סְחַרְחַר G. gr. min. §. 54, 3. E. gr. min. §. 233. Falluntur, qui אוֹר עֵינַי גַּם הֵם explicanda putant *lux oculorum meorum, etiam illorum*, הֵם judicantes appositione cohaerere cum עֵינַי, ut, cum Gen. 4, 26. dicatur לְשֵׁת גַּם הוּא, הוּא appositione cohaereat cum לְשֵׁת, cf. not. extr. ad 9, 7. Quaenam enim praeter oculorum lucem vatem deseruit alia? Strue eo modo, quo supra struximus, ut הֵם *illi*, oculi mei, positum sit pro הוּא *illa*, lux oculorum meorum. Ubi enim Subjectum efficiunt duo Nomina, quorum prius est constructum, ibi Praedicatum, si fieri potest per sensum, id est, si vis Subjecti primaria posita est in Nomine posteriore, interdum refertur ad Nomen posterius; E. gr. ampl. p. 641 sq. G. gr. min. §. 145, 1. Quod עַיִן fere semper est generis feminini, id in Pronomine non dignum esse quod spectetur, vix est quod moneam; G. gr. min. §. 119, 5. E. gr. min. §. 449. extr. p. 283. Ceterum quod ipsos etiam oculos suos hebetiores factos esse dicit, id interum in lepram congruit; cf. Winer. l. l. p. 133. Sed quis est qui nesciat, idem fieri prae debilitate, aegritudine? Vid. 6, 8. 31, 10.
— *Amici mei et socii mei e regione plagae meae consistunt,* 12.
miseria mea oculos pascentes, vel, quod ob posterius hemistichium praeferendum: nolentes propius ad me accedere, nam qui e regione stat, distat, *Et propinqui mei e longinquo consistunt*, meam miseriam a se alienam arbitrantes, vel: me abominantes. Quae hic dicuntur rursus cadunt in hominem lepra contactum, cf. Job. 19, 13. 14. Sed eadem accidunt omnibus miseris, cf. Ps. 31, 12. 69, 9. 88, 19. Sic etiam נֶגַע κατ᾽ ἐξοχὴν quidem dicitur de lepra, sed dicitur idem de quavis alia calamitate a deo
hominibus immissa. — *Et laqueos ponunt, qui appetunt vitam* 13.

meam, vitae meae insidiantur; *Et qui quaerunt malum meum*,
malum mihi parare student, *loquuntur perniciosa*, *Et fraudes*
14. *per totum diem meditantur*, — *Et ego*, ego vero *ut surdus*
sum, *non audio*, *Atque ut mutus*, qui *non aperit os suum*.
לֹא יִפְתַּח פִּיו sententia relativa omisso אֲשֶׁר. De sensu vid. ad
15. vs. seq. — *Et sum ut homo, qui non audit*, *Et cujus in ore*
non sunt redargutiones, contradictiones. Dicit duobus hisce
versibus: nihil obloqui se injuriosis istis hominibus, sed aeque
animo ferre eorum injurias, posita, ut statim subjicit, fiducia in
16. deo. Ceterum cf. Jes. 53, 7. — *Nam te*, tuum auxilium, *o Jova*,
17. *exspecto*, *Tu exaudies*, *domine*, *deus mi!* — *Nam dico*, ad te,
Jova, conversus: *ne laetentur de me* adversarii! *Cum nutat*
pes meus i. e. cum malum mihi accidit, *contra me fastuose*
agunt. In posteriore hemistichio ratio inest et uberior expli-
catio prioris, quasi sic cohaereant verba: ne laetentur de me
Illi qui, cum nutat pes meus, contra me fastuose agunt! Ple-
rique: *ne laetentur de me; Cum nutat pes meus*, ne *contra*
me fastuose agant! Ita tamen pro הִגְדִּילוּ opus esset יַגְדִּילוּ,
cf. 35, 19. al., aut praemissa בְּמוֹט voci copula, quae verbo
הִגְדִּילוּ vim tribueret Praeteriti consecutivi, ut 22, 22. Alii
בְּמוֹט רַגְלִי quoad sensum ad prius hemistichium referunt, et
quod subjicitur עָלַי הִגְדִּילוּ relative accipiunt, ut hic prodeat
sensus: *ne laetentur de me Cum nutat pes meus*, qui *contra*
me fastuose agunt. Sed quam nos elegimus structura est sim-
18. plicior eademque ad parallelismum aptior. — Causae precum et
spei liberationis: praesentissimum periculum vs. 18. a., animus
poenitentia commotus 18. b. 19. et adversariorum immeritorum
potentia ac malitia 20. 21. *Nam ego ad casum paratus*, pro-
clivis *sum*, prope absum a casu, ab interitu, cf. 35, 15., *Et*
dolor meus, quem mihi faciunt delicta mea (cf. vs. 19.), *coram*
me est continuo, sic me cruciat, ut nunquam intermittat. —
19. *Nam delictum meum confiteor*, fateor enim ingenue, me deli-
20. quisse, *Sollicitus sum ob peccatum meum*. — *Et hostes mei*
vivunt, valent, *potentes sunt*, *Et multi sunt osores mei imme-*
riti. Quod in priore hemistichio est חַיִּים, cujus loco temere
nonnulli legi volunt חִנָּם, ostendit, עָצַם esse *valere viribus*, et
ipsum aptum ad parallelismum, non, ut alii volunt, *valere nu-*
21. *mero*. De שֹׂנְאַי שָׁקֶר vid. ad 35, 19. — *Et rependentes malum*
pro bono, benefacta maleficiis pensantes, 35, 12., *Adversantur*

mihi pro eo quod persecutus sum bonum, pro eo quod omni
studio id egi, ut quacunque re possem, illos adjuvarem. Hoc
sensu, non de pietatis studio intelligendum esse רָדְפִי טוֹב, vel
membrorum docet parallelismus. Pro רדופי Masorethae legi ju-
bent רָדְפִי; cf. 26, 2: צְרוּפָה, K'ri: צָרְפָה. — *Ne derelinquas* 22.
me, o Jova! Deus mi, ne sis longinquus, remotus *a me*, noli
procul abesse ab auxilio ferendo mihi! — *Festina ad auxilium* 23.
meum, aux. mihi ferendum, *Domine, salus mea*, salutis meae
auctor!

PS. XXXIX. *Praecentori* (vid. ad 4, 1.) canendum *ad* 1.
modum instrumenti *Jedithun* dicti, *carmen Davidis*. יְדִיתוּן hic
et 77, 1., et יְדוּתוּן 62, 1. E. gr. ampl. p. 249., instrumentum
musicum, sic dictum ab ejusdem nominis praefecto musico 1 Chron.
9, 16. al. לִידִיתוּן i. q. עַל יְ׳ Ps. 62, 1. 77, 1. Vide quae dis-
putavimus ad 4, 1. 6, 1. לְ ut עַל saepius significare *secundum*,
non est quod probemus exemplis. Insunt querelae et preces ho-
minis aerumnosissimi. Morbo laborasse vatem, e vs. 11. temere
colligitur; cf. ad 38, 12. Strophae tres: vs. 2—4: diu me
continui, ne indigna, praesertim audientibus improbis, effutirem
querendo; sed temperare amplius mihi non potui. 5—7: quam
brevis est vita mea, quam caduca omnium vita mortalium!
8—14: aerumnis meis, quamquam castigatione tua haud in-
dignum, me libera, o Iova, antequam esse desinam! — *Dixi*: 2.
„*custodiam vias meas*, meam agendi rationem *A peccando
lingua mea; Custodiam ori meo capistrum, Dum improbus
coram me* erit!" i. e. statui mecum cavere mihi diligenter, ne
ad indignas querelas prolaberer praesentibus improbis. Quod
subdit *praesentibus improbis*, ratio est, quod timebat, ne qui
ipsum quod a deo esset castigatus tanquam frustratum spe sua
ludibrio haberent improbi, cf. vs. 9., si audissent temerarios in
deum sermones effundentem, eo acerbiora in ipsum verba jacta-
rent. — *Obmutui*, silui *silentium* i. e. altum silentium tenui, 3.
silui aversus *ab* homine *felice*, ab hominibus bene se habentibus,
silui fugiens adspectum eorum, quibus omnia feliciter cedunt,
ne conspecta illorum felicitate in querelas raperer de miseria
mea; *Et*, sed *dolor meus perturbatus*, gravius commotus *est*,
ex eo ipso, quod tacui, magis commotus est et tanquam ex imis
sedibus agitatus. נֶאֱלַם דּוּמִיָּה *obmutescere silentium* significat
tenere silentium altum. Quemadmodum enim adjecto ejusdem

radicis Nomine, sic etiam apposito synonymo vis Verbi augetur. E. gr. ampl. p. 591. min. §. 516. Mirum quantum laboraverint interpretes in verbis הֶחֱשֵׁיתִי מִטּוֹב, facillimis explicatu, si aperueris oculos. Nonnulli: *silui de bono*, felicitate, non importune postulans meliorem statum. Possitne vero הֶחֱשָׁה מִן significare *silere de* aliqua re, est quod dubites. Praeterea hoc dicturus vates pro טוֹב videtur scripturus fuisse טוֹב vel טוֹבָה. Gravissimum vero quod huic interpretationi obstat hoc est, quod, si tale quid dicere voluisset vates, magis convenisset dicere, siluisse se de *malo* (רָעָה), utpote in quo tum versaretur, quodque ne verbo quidem tangere sibi proposuisset! Alii: *silui* semotus *a bono*, felicitate, absque felicitate, in malis versans, quod sensum praebet maxime languidum, quum מִטּוֹב ita acceptum hoc nexu sit otiosum. Ad hoc eadem hanc interpretationem difficultas premit, quam supra memoravimus secundo loco. Alii הֶחֱשֵׁיתִי מִטּוֹב dictum putant pro ח' מִטּוֹב עַד־רָע *silui a bono usque ad malum* (coll. Gen, 31, 24. 29. 2 Sam. 13, 22.), i. e. nihil omnino, ne verbum quidem dixi. Sed durissima haec ellipsis et quae nullo possit firmari exemplo. Nihil enim probat quod laudant 26, 4., nec quicquam certi efficitur loco 15, 4. Alii alias rationes secuti sunt, quas silentio praeterimus. Neque enim in enumerandis omnibus etiam ineptissimis interpretationibus salus posita est Scripturae sacrae, quam opinionem doleo equidem hodie iterum in dies magis invalescere; sed in interpretando recte. Recta vero hujus quem tractamus loci interpretatio ea mihi videtur, quam proposui supra, ut quae et linguae legibus congruat, et ad nexum ita sit apta, ut non possit esse aptior. הֶחֱשָׁה מִן ut חָשָׁה מִן 28, 1. *silere* aversum *ab* aliquo. טוֹב *felix*, bene se habens, ut saepius, oppositus vati versanti in miseria. Potissimum cogitandum esse de *improbo* (רָשָׁע vs. 2.) bene se habente,
4. docet nexus; cf. 37, 7. al. De ceteris vid. supra. — *Incaluit cor meum intra me; In fervore meo*, cf. 5, 2., *exarsit ignis*, impatientiae et indignationis: *Loquutus sum lingua mea*, non potui mihi amplius temperare, in verba prorupi, fundens hoc
5. (quod prae manibus est) carmen. — *Fac me scire, o Jova, finem meum, Et mensura dierum meorum quaenam sit! Sciam obsecro, quam caducus ego sim!* Quorum verborum hic est sensus atque nexus: Talia cum mihi patienda sint, qui tandem vitae meae est modus? Si longa sit vita, ferre potero quibus

nunc crucior mala, spe erectus temporum laetiorum. At tu bre-
vissimam mortalibus vitam admensus es vs. 6 sq. Itaque eripe
me ex malis, priusquam vivere desinam! 8 sqq. — *En palmas* 6.
i. e. palmares i. e. perbreves *fecisti dies meos, Et duratio mea*,
aevum meum *instar nihili est coram te; Nil nisi merus hali-
tus*, purus putus halitus *omnis homo constitutus est* in hoc
mundo. In טְפָחוֹת Accusativo nescio quid argutentur. *Palmas
fecisti dies meos* poetice dictum omissa ut saepius comparandi
particula pro *ut palmas, palmares.* נִצָּב ita ut fecimus accipien-
dum. Coactior enim et artificiosior est quam alii sequuntur in-
terpretatio haec: *etsi firmiter stans.* — *Non nisi tamquam* 7.
umbra incedit homo i. e. cito fugit ut umbra, *Non nisi inania
strepunt*, inane est, quidquid tumultuantur et laborant mortales,
Coacervat homo, *nec scit, quis sit collecturus ea*, coacervata,
cumulat opes, nec scit, quis sit recepturus eas. בְּצֶלֶם *tanquam
umbra*, cum בְּ essentiae; cf. ad 31, 22. Quod aliis arridet: velut
in umbra s. *imagine* (cf. ad 37, 20.) *vivit*, dubium sensum fun-
dit. Mallem, הִתְהַלֵּךְ בְּצֶלֶם esse *occupari rebus inanibus* coll.
ה' בֶּאֱמֶת al., quem sensum praeterquam quod per se facilis atque
idoneus est commendare hoc posset, quod ita primi membri ea-
dem esset sententia, quae est secundi ac tertii. Quum vero
parallelismo omnibus numeris absoluto non sit opus, adquiescen-
dum puto in interpretatione primo loco posita, firmata locis
quales sunt 144, 4. Job. 14, 2. al. הֶבֶל Acc. rectus ab הָמָה,
quod hic trans. sumitur, ut nonnunquam *strepere* apud latinos.
ם ָ *ea*, coacervata, G. gr. ampl. p. 731. Ceterum a Singulari
transitur ad Pluralem, a Plurali iterum ad Singularem, ut saepe
fit in talibus sententiis. — *Et nunc*, quum res ita se habeat, 8.
quum tam brevis sit hominum vita, res humanae tam fluxae, cf.
not. ad vs. 5., *quid spero, domine?* quae mihi spes superest?
Spes mea ad te est directa! in te posita est spes mea, tu ut
malorum meorum finem facias spero! — *Ex omnibus delictis* 9.
meis i. e. delictorum meorum poenis, malis quae patior ob ea
quae deliqui, ut 31, 11. 38, 5., *eripe me! Contumeliam stulti*
i. e. improbi, cf. ad 14, 1., *ne facias me*, noli permittere, ut
contumeliose habear ab improbis! vid. ad vs. 2. — *Obmutesco*, 10.
non aperio os i. e. non obloquor perditis istis hominibus, qui
ob mala quae patior ludibrio me habent, vs. 9., sed aequo
animo accipio eorum injurias; sunt enim eodem haec sensu ac-

cipienda, quo capienda vidimus dicta 38, 14 sq. eodem nexu,
11. *Nam tu fecisti*, tu merentem afflixisti! cf. vs. 11. — *Removo a me plagam tuam*, a te inflictam, calamitatem a te mihi immissam, vid. ad 38, 12. *Ab iracundia manus tuae*, i. e. plagis quas irata manu mihi infligis, *ego consumor.* תִּגְרַת a rad. גָּרָה vic. גָּרַר propr. asperum esse, hinc morosum, austerum, iracundum esse, est *iracundia, ira*, non ut vulgo volunt *lis, contentio.*
12. מִן de causa efficiente. — *Poenis ob culpam si castigas hominem. Dissolvis ut tinea* i. e. plane conficis *desiderabile ejus* i. e. quod ipsi est carissimum bonum, vitam ejus. *Nil nisi halitus omnis homo!* De structura priorum membrorum cf. E. gr. ampl. p. 622. min. §. 626. חֲמוּד פ׳ h. l. idem est quod יְחִידָה פ׳ 35, 17.
13. 22, 21. ubi cf. not. — *Audi preces meas, o Jova, et vociferationem meam ausculta! Ad lacrymas meas ne sis surdus! Nam peregrinus ego sum apud te*, in hac tua terra, *Advena, ut omnes patres mei* i. e. non habeo hic certam stationem, non possum diu hic consistere, fluxa et caduca est vita mea. Cf. 1 Chron. 29, 15., ubi iisdem verbis: כִּי גֵרִים אֲנַחְנוּ לְפָנֶיךָ וְתוֹשָׁבִים כְּכָל־אֲבוֹתֵינוּ subjecta sunt haec: כַּצֵּל יָמֵינוּ עַל הָאָרֶץ וְאֵין מִקְוֶה.
14. — *Oculos averte a me*, vultum tuum iratum a me averte, desine me castigare, cf. vs. 11., *Ut exhilarem vultum*, hilaris fiam, *Antequam abeam*, moriar, *et non sim amplius!* הָשַׁע a rad. שָׁעָה Imp. Hi. apoc. ex הַשְׁעֵה, priore syllaba producta, ut fere fit, ubi ex composita fit simplex. הִבְלִיג *exhilarare* vultum, omisso complemento, G. gr. ampl. p. 851. וְאַבְלִיגָה G. gr. min. §. 126, 1. E. gr. min. §. 618. Cf. simillima Job. 7, 19. 10, 20: יֶחְדַּל מִמֶּנִּי וְאַבְלִיגָה מְּעַט, 14, 6: שְׁעֵה מֵעָלָיו וְיֶחְדָּל.
1. PS. XL. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Davidis carmen.* Videtur tamen e vs. 8. colligi posse, fusum esse hoc carmen post inventum a Josia exemplar legis Mosaicae. Quod cum gratiarum actione preces conjunctae sunt in hoc Psalmo, miror interpretes morari potuisse. Planissimum argumentum duabus absolvitur strophis sic inter se cohaerentibus: vs. 2—11: qui e maximis periculis me meosque eripuisti, eoque pietatis in te hoc carmine testandae occasionem mihi fecisti, 12—18: ab iis etiam quae nunc patior gravissimis malis me libera, o Jova! Quod vs. 4. memorat *carmen* hoc ipsum est quod legitur vs. 2—11. Ceterum quae vs. 14 et seqq. habentur, a recentiore manu, cum

nescio qua occasione precandi formula in usum sacrum opus esset, excerpta sunt ex hoc Psalmo ac denuo edita nonnullis mutatis; leguntur enim iisdem fere verbis in Ps. LXX. sic inscripto: *Praecentori* canendum carmen *Davidis ad revocandum in memoriam* (38, 1.). — *Confidenter exspectavi Jovam*, ejus 2.
auxilium: *Et inclinavit ad me, et audivit vociferationem meam;*
— *Et adscendere me fecit*, extraxit me *e fovea vastitatis*, 3.
vasta, *E coeno luti*, luteo; *Et statuit in rupe pedes meos, Stabilivit gressus meos.* שָׁאוֹן h. l. *perniciem* significare putant, ut Jer. 46, 17., ubi vid. not. Sed magis convenit ad nexum *vastitatis* significatio. *Fovea* et *coenum* imagines periculorum, cf. 69, 3. coll. not. ad 18, 5.; *rupes* imago securitatis, cf. 18, 3. 34. al. Qui *foveam cum coeno* proprie intellectam volunt de cisterna, in quam conjectus fuerit Jeremia (Jer. 38.), ii et *rupem*, quaeso, monstrent, in qua positus sit vates eductus e cisterna.
— *Et dedit in os meum canticum novum, Laudes deo nostro* 4.
i. e. praebuit mihi (eo quod me liberavit) occasionem, materiam, denuo ipsum canendi, laudibus efferendi. Intelligendum est hoc ipsum quod tractamus canticum. *Videbunt* id quod factum est, hanc meam liberationem, non ut alii opinantur: futuram liberationem ab iis malis, in quibus in praesenti versor, de ea enim vates inde a vs. 12. demum loquitur, *multi*, *et timebunt*, reverebuntur Jovam tam potentem ac benignum, *Et fiduciam collocabunt in Jova.* Qui Jova objectum efficit verbi יִבְטְחוּ, idem objectum est verbi יִירְאוּ. Ceterum elegans est in יִירְאוּ et יִרְאוּ paronomasia. Eandem vid. 52, 8. — *Felicem virum, qui facit* 5.
Jovam fiduciam suam, qui Jovam habet eum, in quo tuto collocet fiduciam suam, *Nec convertit se* auxilii petendi causa *ad feroces*, homines qui roboris opinione tument, fastuose jactant vires suas, *et declinantes* (שׂוּטִם i. q. vic. שֵׂטִים) *ad mendacium*, qui deludunt illos qui iis confidunt, non praestant quae promittere videntur! — Quam felix sit, qui Jova nitatur, non solum 6.
ipse vates nuper est expertus (vs. 2—4.), sed omnes omnino experti sunt Jovae cultores vs. 6. *Multa fecisti tu, o Jova, mi deus, Mirabilia tua et consilia tua in nos*, fecisti, ut multa essent mirabilia tua cet. i. e. plurima perfecisti mirandorum tuorum facinorum et consiliorum, quae in nostrum commodum cepisti; *Nihil est comparandum tibi, Si velim indicare ea et eloqui: plura sunt, quam ut enarrem.* Primum cum secundo

membro plerique sic struunt: *multa sunt, quae fecisti* . . . *mi-*
rabilia tua cet. Quam constructionem recte alii artificiosiorem
esse monuerunt. Sed quam ipsi sequuntur ratio haud melior est
illa. Putant enim, ךָ Suffixum supervacaneum esse, ita ut רַבּוֹת
רַבּוֹת עָשִׂיתָ נִפְלְאֹתֶיךָ וגו׳ dictum sit pro עָשִׂיתָ נִפְלָאוֹת וּמַחְשְׁבוֹת
אֵלֵינוּ. Ut supra vidimus, עָשָׂה hic *cum duplici Accusativo* est
constructum, quod latuisse interpretes est quod mireris. אֵלֵינוּ
in nos; cf. חָשַׁב אֶל. אֵין עֲרֹךְ אֵלֶיךָ *nihil est comparandum tibi*,
עֲרֹךְ posito pro לַעֲרֹךְ; cf. Eccl. 3, 14: אֵין לְהוֹסִיף וּמִמֶּנּוּ אֵין
לִגְרוֹעַ *nihil est addendum et nihil inde detrahendum*, nec non
Esth. 4, 2. Ruth. 4, 4. Quum לְ עֲרֹךְ praeverbio careat, possint
etiam sic transferri verba: *non est comparare*, nulla est com-
paratio *tibi*, tecum, sensu eodem. At quum לְ ab Infinitivo etiam
aliis in locis, poeticis maxime, absit, prior ratio ob loca allata
et alia similia est praeferenda; cf. E. gr. ampl. p. 621 sq. min.
§. 544. אַגִּידָה וגו׳ *si velim indicare* cet. G. gr. min. §. 126, 1.
7. E. gr. min. §. 626. — Pro tantis beneficiis quas tibi persolvam
gratias? Sacrificia? At tu animum poscis legis studiosum!
Itaque omni studio id ago, ut praeceptis tuis convenienter vivam
vs. 7—9. *Sacrificium cruentum et incruentum non amas*, nullo
in pretio habes sacrificia, cf. 50, 7 sqq. 51, 18 sq.; *Aures fo-*
disti mihi i. e. quod nos dicimus: oculos aperuisti mihi, sc. in
hac re, in aestimatione sacrificiorum, quasi dicat: hanc saniorem
sacrificiorum aestimationem tu me docuisti; *Holocaustum et*
victimam pro peccato non postulas, quo membro idem exprimi-
tur quod primo. Pro כָּרָה eodem nexu Jes. 50, 4. habes הֵעִיר,
ibidem vs. 5. פָּתַח; vulgaris vero locutio est גָּלָה אֹזֶן. Quod in
LXX pro אָזְנַיִם legitur σῶμα (cf. Hebr. 10, 5 sqq.) qua ratione
ortum sit scire nihil refert. Videtur librariorum incuria ortum
esse ex ὠτία. Vulg. enim *aures* habet, nec probabile est, hae-
sitasse interpretem graecum in locutione tam usitata. Quod re-
liquum est, sitne vates hanc de sacrificiis non pro praecipua
cultus divini parte habendis intelligentiam sua ipsius meditatione
adeptus an inspecta lege scripta nuper inventa a Josia rege (cf.
vs. 8.), id verba quibus usus est אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי in ambiguo
8. relinquunt. — Difficiliorem hunc locum sic explicet aliquis: *Tum*,
de sacrificiis recte aestimandis a te edoctus (vs. 7.), *dixi: ecce*
venio, frequento templum tuum, non cum sacrificiis, sed *Cum*
volumine libri sc. legis *scripti in me* s. *inscripti mihi* i. e. cum

lege inscripta animo meo, indita in animum meum. Nam cum כָּתַב עַל sit *scribere in* aliqua re, *inscribere* alicui rei, סֵפֶר כָּתוּב עָלָי significare possit *librum inscriptum mihi*, animo meo, si faveat nexus. Favet autem vel maxime. Nam in versu qui sequitur vates תּוֹרָתְךָ בְּתוֹךְ מֵעָי dicit. Suspicor autem, si venire se cum lege pectori inscripta hic dicere voluisset, pro עָלָי distinctius בְּקִרְבִּי vel בְּלִבִּי s. עַל לִבִּי, vel simile quid, velut עַל לוּחַ לִבִּי scripturum fuisse vatem. Sic in eadem re apud Jer. 31, 33. Jova נָתַתִּי, inquit, אֶת־תּוֹרָתִי בְּקִרְבָּם וְעַל לִבָּם אֶכְתֲּבֶנָּה, similiterque Prov. 3, 3. poeta: חֶסֶד וֶאֱמֶת אַל יַעַזְבֻךָ כָּתְבֵם עַל לוּחַ לִבֶּךָ. Videtur autem eo magis opus fuisse distinctiore locutione, quod כָּתַב cum עַל pers. alias significat *praescribere alicui*, 2 Reg. 22, 13. Nec firmiore fundamento nititur eorum ratio, qui, ut probent, סֵפֶר כָּתוּב עָלָי esse *librum inscriptum animo meo*, laudant quod Ps. 42, 5. legitur עָלַי *apud me*, referendum ad hominem internum. Eo enim loco et locis illi similibus recensitis atque explicitis a nobis ad Jer. 8, 18. apposita habes נַפְשִׁי, רוּחִי, לִבִּי. Vide igitur, an non hoc modo interpretari possis locum: *Tum*, de sacrificiis saniora edoctus, *dixi: ecce venio*, obsequor, praesto sum, voluntati tuae satisfacturus; *In volumine libri* legis *praescriptum est mihi*, video enim, hoc mihi praescriptum esse in lege, ut animum potius quam pecudum hostias offeram. Quo sensu admisso verba בִּמְגִלַּת סֵפֶר כָּתוּב עָלָי respondebunt verbis אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי in vs. antegresso. Verum haec quoque interpretatio suam habet difficultatem. Precario enim sumitur, בָּאתִי nil nisi promptitudinem indicare vatis. Quare, mitto enim quae a nexu mirum quantum abhorrent aut linguae legibus manifeste repugnant aliorum alias interpretationes, sic ego locum expediendum puto: *Tum*, edoctus a te, sacrificiis nullum te pretium statuere (vs. 7.), *dixi: ecce venio*, frequento templum tuum, non ut offeram sacrificia, sed *cum volumine libri praescripti mihi*, cum lege a te mihi praescripta, ut ex ea me aliosque ad te recte colendum instituam erudiamque. Quae interpretatio, si quae alia, et linguae legibus congruit, et sensum fundit convenientem ad nexum. Plane nihil est, quod negant recte dici praescriptum esse librum. *Liber* enim meton pro *lege scripta* est positus, quemadmodum saepius *lex* pro *libro legis*. Ceterum כָּתַב verbum non dubito quin vicinum sit verbis חָצַב, קָצַב, עָצַב, ita ut primigenia ejus significatio quaerenda

sit in caedendo, fingendo, figurando, nam primi qui scribebant,
9. *pingendo* scribebant! — *Facere voluntatem tuam, mi deus, amo,*
Et lex tua est in mediis visceribus meis, in alto mihi pectore
10. infixa. — Animum deo addictum his ita obtestatus (cf. ad vs. 7.
ab init.), gratam beneficiorum memoriam jam testatur laudibus
vs. 10. 11. *Nuntio justitiam*, justitiam exerceri, reddi piis jus
suum laetis vocibus testor *in concione magna; Ecce, labia mea*
non cohibeo, contineo: *Jova, tu nosti.* Noli putare, ad צֶדֶק
vocem opus esse subaudito Suffixo ךָ. A deo exerceri quam laudat
justitiam docet nexus. Ceterum primariam בִּשֵּׂר verbi potesta-
tem non dixerim esse in pulchritudine. Significat potius, nisi
me omnia fallunt, 1) propr. decorticare, denudare (ut vic. פִּצֵּל,
بَصَلَ, פִּצֵּל), tondere, velut mystacem, ut exterior cutis appareat
(بَشَرَ), intrans. decorticatum, denudatum esse, laevem esse, de cute
(hinc פְּצָלוֹת loca decorticata, بَشَرٌ, بَشَرَةٌ exterior cutis hominis,
בָּשָׂר caro); 2) transl. formosum, hilarem esse, formosi enim
et hilares laevi facie sunt (بَشَرٌ, بَشَارَةٌ pulchritudo, elegantia
formae, بَشِيرٌ pulcher, formosus; بَشَرَ laetum, hilarem esse, ma-
xime nuntio laeto accepto, ut quo facies subito fiat laevis, بِشْرٌ
laetitia vultu commonstrata). Hinc Pi. *exhilarare nuntio laeto*,
nuntiare laeta (بَشَّرَ et Conj. II. IV., بُشْرٌ nuntius laetus) et
generatim *nuntiare*, etiam ingrata, sed hoc rarius (بِشَارَةٌ omnis
nuntius, quo faciei exterior cutis mutatur, in bonam et malam
partem). Nuper nonnemo בִּשֵּׂר voluit propr. significare frustum
carnis (מִשְׂר) sibi efficere, comparare velle, hinc afferre nuntium
11. laetum! — *Justitiam tuam non celo in corde meo; Fidem tuam*
et auxilium tuum praedico; Non occulto gratiam tuam et
12. *fidem tuam concioni magnae.* — Sequitur altera stropha, cf. ad
vs. 1. *Tu Jova*, tu vero, o Jova, *non retinebis* (cf. vs. 10.)
misericordiam tuam a me! Gratia tua et fides tua continuo
13. *custodiant me!* — *Nam circumdant me mala usque ad infinitum*
numerum, innumerabilia; *Attingunt*, prehendunt *me delicta mea*
i. e. delictorum meorum poenae, ut 31, 11. 38, 5. 39, 9., *nec*
possum videre ea, eorum numerum oculis complecti; *Numero-*
siora sunt quam capilli capitis mei; Et cor meum deserit me,

animum despondeo. Verbis לֹא יָכֹלְתִּי לִרְאוֹת non possum a me
impetrare ut credam dicere vatem, oculorum suorum aciem he-
bescere. Alia ratio est locorum 6, 8. 31, 10. 38, 11. al. Ibi
enim vatem de corporis debilitate queri docet nexus. — *Placeat* 14.
tibi, o Jova, liberare me! O Jova, ad auxilium meum, mihi
ferendum *festina!* Qui hunc Psalmum ab hoc inde versu in
alios usus convertit scriptor Psalmi 70. (vid. supra ad vs. 1.),
omisso רְצֵה, לְהַצִּילֵנִי cum חוּשָׁה construxit in hanc sententiam:
O deus, ad liberandum me, O Jova, ad auxilium meum fe-
stina! — Pudore afficiantur et erubescant, excidant ausis *ad* 15.
unum omnes, Qui appetunt vitam meam, vitae meae insidiantur,
ut auferant eam! Cedant retro et contumelia afficiantur, Qui
volunt malum meum, perniciem meam! cf. 35, 4. 26. In 70, 3.
omissa יַחַד et לִסְפּוֹתָהּ. — *Obstupescant propter ignominiam* 16.
suam, Qui dicunt ad me: eia, eia! cf. 35, 21. 25. Pro יָשֹׁמּוּ
70, 4. minus poetice habet יָשׁוּבוּ. — *Exsultent et laetentur de* 17.
te Omnes qui quaerunt te, te precibus adeunt! *Dicant con-*
tinuo: „magnus est Jova!“ Qui amant auxilium tuum, a te
volunt juvari! Poteris tamen sic quoque accipere haec verba:
Exsultabunt, si liberaveris me, *et laetabuntur* cet. cf. 22, 23. al.
Quod si feceris, eodem modo explicabis dicta loco simillimo
35, 27 sq. — Finem facturus paucis comprehendit, quae inde 18.
a vs. 12. dixerat. *Et ego,* ego vero *afflictus* sum *et miser;*
Dominus, attamen dominus *cogitabit de me,* providebit, consulet
mihi. *Auxilium meum et liberator meus es tu; Mi deus, ne*
cuncteris! Pro יַחֲשָׁב־לִי, quod paullo difficilius, 70, 6. exhi-
bet חוּשָׁה־לִי.

PS. XLI. *Praecentori* (4, 1.) canendum *carmen Davidis.* 1.
Credant, quibus placet, Jeremiae esse hunc Psalmum, coll. אִישׁ שְׁלוֹמִי vs. 10. cum eodem Jer. 20, 10. 38, 22. Ex ungue leonem cognoscimus, non autem ex uno aliquo verbulo Jeremiam. Insunt querelae et preces hominis gravi morbo affecti ejusdemque circumdati ab inimicis infidisque amicis avide exspectantibus ipsius mortem. Vix credas, fuisse et adhuc esse interpretes, qui quae de morbo dicuntur in hoc Psalmo improprie intelligenda esse opinentur. Quam interpretationem quod suadeat ne levissimum quidem indicium reperitur. Monent, quae vs. 11 sq. legantur non nisi in adversarios dicta esse. At perverse hoc est interpretari praeconceptae opinionis in gratiam! Non dicit ibi

vates: libera me, o Jova, ab inimicis! sed hoc dicit: *miserere
mei et fac ut assurgam* ex morbo, *ut rependam iis*, ut iis, qui
mortem meam exspectant rel., dignam sua malitia gratiam refe-
ram cet.! Egregie vero falluntur, qui carmen non durante
morbo sed post recuperatam sanitatem compositum esse credunt,
a vs. 5. usque ad vs. 11. repeti putantes a vate, quas, quo tem-
pore morbo laboraret, fudisset querelas et preces. Nihil enim
ineptius excogitari potest, nihil quod magis abhorreat a natura
animi humani, quam ereptum aliquem juvante deo e morbo mor-
tifero miserabiles, quibus, cum jaceret, deum compellaverit voces
referre ita, ut nihil immisceat laeti, gratiarum nihil! Quam
longe alia canit, qui Psalmum 30. composuit mortis periculo li-
beratus! Strophae tres: vs. 2—4: o beatum, qui misericordia
ductus miseros curat juvatque! 5—10: me graviter aegrotan-
tem tantum abest ut curent, ut mortem meam exspectent non
tantummodo inimici, sed etiam amici qui fuerunt. vs. 11—13:
redde mihi sanitatem, o Jova, ut excidant spe sua eisque ego
debitam rependam gratiam! quod te facturum esse spero. — Quod
2. statim ab initio felicem praedicat eum, qui miseros curet, ratio
est, quod ipse contraria est expertus, vs. 6 sqq. *O felicem* illum,
qui attendit ad miserum, ejus rationem habet, ejus miseriam
non a se alienam arbitratur! *Die mali*, tempore adverso *libe-*
3. *rabit eum*, eum qui miseros curat, *Jova*; — *Jova custodiet eum
et vivum conservabit eum*, *Felix reddetur*, felicitate utetur *in
terra*; *Nec trades*, permittes *eum furori hostium ejus*. Pro
יְאֻשַּׁר K'ri וְאֻשַּׁר, ne desit copula. אַל negatio subjectiva, ut
4. 34, 6. 50, 3. 121, 3. נֶפֶשׁ ut 17, 9. 27, 12. — *Jova suffulciet
eum in lecto morbi*, si morbus eum lecto affixum tenebit;
Omnem cubationem ejus tu mutas in morbo ejus i. e, quoties-
cunque jacet, sanum eum reddis. הָפַךְ de mutatione in melius.
5. — Nexus: Ego vero in morbum implicatus ad tuam, o Jova,
misericordiam confugio. Nemo enim hominum est, qui me ad-
juvet; quin imo mortem meam avide exspectant vs. 5 sqq. *Ego
dico: o Jova, miserere mei! Sana animam meam*, me! *nam
peccavi in te*, quibus vult dicere: nam propter ea, quae deliqui
in te, in hoc malum incidi. אֲנִי אָמַרְתִּי *ego dico* non otiosum
esse ostendunt quae supra monuimus de nexu. Plerique: *ego
dixi*, ita ut non aegrotans sed sanus factus loquatur vates, re-
feratque his et iis quae subjiciuntur, quibus verbis deum com-

pellaverit, cum in morbo esset. Quod falsissimum, cf. ad vs. 1.
— *Hostes mei loquuntur malum de me: „Quando morietur,* 6.
et interibit nomen ejus?" לִי *de me*, ut לְנַפְשִׁי 3, 3. — *Et si* 7.
quis *venit ad visendum*, me visurus: *falsa loquitur*, simulat
dolere se meum morbum al.; *Cor*, animus *ejus colligit prava
sibi*, colligit sibi ex iis quae circa me geruntur calumniandi
materiam; *Egreditur foras, eloquitur*, egressus foras statim
disseminat quae sibi, cum apud me esset, excogitavit malignas
criminationes. — *Una contra me susurrant inter se* consiliis 8.
clandestinis *omnes osores mei; Contra me excogitant malum
mihi.* Primaria חָשַׁב verbi significatio haud longe abesse videtur ab ea quam habet לָחַשׁ. Possit enim חָשַׁב proprie esse claudere os, ut vicina sint חָסַם, חָטַם; deinde clauso ore murmurare, mussitare, cf. כָּשַׁף, קָסַם; hinc *meditari* (cf. הָגָה), *excogitare*.
— „*Exitiosum quid effusum est in eum*, morbus mortifer oc- 9.
cupavit eum; *Et qui jacet, non amplius surget!"* Alii דְּבַר
בְּלִיַּעַל volunt esse *consilium perniciosum*, alii *scelus aliquod
grande* coll. 101, 3. Prius ferri possit; sed certior est hoc nexu
ea significatio, quam nos subjecimus. Posterius rejiciendum,
quod non favet יָצוּק בּוֹ. — *Etiam amicus meus, cui confisus* 10.
eram, qui comedit panem meum, quocum familiariter vivo,
Effert contra me calcem, insidias et dolos mihi struit, אִישׁ
שְׁלוֹמִי ut Jer. 38, 22., אֱנוֹשׁ שְׁלוֹמִי ibid. 20, 10., שֹׁלְמִי Ps. 7, 5.
Comedens panem, convictor alicujus: ejus *familiaris*. Similiter
Jeremia 20, 10. familiarem suum appellat *socium a latere*.
Quae in hemistichio posteriore adhibetur imago petita est ab iis,
qui eum, quocum certant, supplantant. Ceterum singularis numerus non necessario notat praecipuum quendam amicum. Potest enim collective accipi, cf. vs. 6 sq. — *Et tu*, tu igitur, 11.
o Jova, miserere mei, et fac ut assurgam ex morbo, *Ut rependam iis*, dignam sua nequitia gratiam referam! Similia vid.
69, 23 sqq. Cum וַהֲקִימֵנִי conferenda sunt verba adversariorum
אֲשֶׁר שָׁכַב לֹא יוֹסִיף לָקוּם vs. 9. — *In hoc*, hac re *cognosco*, 12.
te favere mihi, Quod non jubilat hostis meus de me. — *Et* 13.
ego, in integritate mea sustentas me, atque ita ob id quod
integre vivo tu me sustentabis, servabis, *Et collocas*, collocabis
me coram te, me in oculis habebis, tueberis *in perpetuum*.
וַאֲנִי Nom. absol. Praeterito utitur ob spei certitudinem. —
Quae subjiciuntur *Laudatus sit Jova, deus Israelis, ab aeter-* 14.

nitate in aeternitatem! Amen! Amen! δοξολογία sunt libro qui hic finitur primo addita a collectore. Pari fere modo terminantur reliqui libri, excepto ultimo; cf. Ps. 72. 89. 106.

1. PS. XLII. XLIII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *carmen*
(14, 1.) *Corachitarum.* In multis libris hi duo Psalmi ita sunt
conjuncti, ut unum continuum carmen efficiant. Recte hoc qui-
dem. Concinunt enim inter se et argumento et dicendi genere;
ad hoc conferantur inter se 42, 10. et 43, 2., 42, 6. 12. et 43, 5.
Quaerendo elegantissimi carminis scriptore frustra se fatigant
interpretes. In Davidem Hierosolymis profugum orta seditione
Absalomi filii, quae 42, 4. 10. 11. 43, 2. leguntur vix conve-
nient. Obstat etiam, quominus de Davide cogites, artificiosior
carminis dispositio. Davidis enim simplicia sunt et nativa car-
mina, non arte facta. Magis arridet quod alii conjiciunt, elegiam
esse sacerdotis, fortasse summi, cf. vs. 5., qui exsul procul
a sacris versaretur inter barbaros. Strophae tres: 42, 2—6:
ardentissimum quo flagret desiderium sacrorum; 7—12: ludi-
brium et afflictio adversariorum; 43, 1—5: rogatio pro libera-
2. tione ab hostibus, ad templum reditu. — *Quemadmodum cerva*
desiderat rivos aquarum, Sic anima mea desiderat te, o deus!
sacra tua! כֵּן — כְּ *quemadmodum, sic*, ut Jes. 61, 11. 8, 23.,
ubi cf. not. אַיָּל pro אַיָּלָה *cerva* G. gr. min. §. 105, 1. E. gr.
min. §. 367. extr. עָרַג, arab. عَرَجَ, propr. adscendere, cf. ad
Ezech. 17, 7., hinc relatum ad animum: animum evehere, animo
ferri, cum עַל, אֶל ad aliquid, *desiderare* aliquid, cf. arab. II. V.
insistere, intentum esse rei, XIV. operam impendere, et derivv.
3. عَرْجَةٌ, تَعَرُّجٌ al. inclinatio, propensio in rem. — *Sitit anima*
mea deum, deum vivum. Quando veniam et comparebo coram
deo, quando mihi licebit adire templum? Non sine vi *deum*
vivum dicit, ut qui inter barbaros circumdatus esset diis fictitiis.
נִרְאָה פְּנֵי *comparere coram*, ut Jes. 1, 12. Exod. 23, 15., ubi
vid. not. Quod in nonnullis libris et scriptis et editis legitur
וְאֶרְאֶה expressum quoque a Syr. Chald. Hieron. rejiciendum est,
quia qui templum adit נִרְאָה אֶת־(אֶל־)פְּנֵי אֱלֹהִים dicitur, non
4. autem רָאָה דגו׳. — *Sunt mihi lacrymae meae cibus diu noctu-*
que, cf. Ovid. Met. 10, 288: cura dolorque animi lacrymaeque
alimenta fuere, *Dum dicunt*, adversarii ludibrio me habentes

vs. 11., *ad me quotidie: „ubinam est deus tuus?“* dei quem jactas auxilium? בֶּאֱמֹר impers. E. gr. ampl. p. 622. min. §. 545. cf. בְּאָמְרָם vs. 11. — Consilio vates dulci, quamquam dolorem 5.
moventi memoriae indulget illius temporis, quo ipsi licuerit sacris Jovae interesse. *Illud reminiscar et effundam apud me animam meam, Quod incedebam in densa turba, Ducebam mihi eos ad domum dei Cum voce jubili et gratiarum actionis, Multitudinem festum agentem!* i. e. illud memoria prosequar laxatis omnibus dolori habenis, ut solebam in densa incedens hominum turba ad aedem sacram ducere inter laetas ovantium et laudantium voces pompam solennem! אֵלֶּה neutraliter *ea* (ut Jes. 44, 21. al.), sc. כִּי *quod* est. שָׁפַךְ נֶפֶשׁ *effundere animam* i. e. animi sensa, non coërcere animi affectus, omnes laxare dolori habenas; cf. Job. 30, 16. עָלַי complementum Nominis, non Verbi, *apud me*, ut vs. 6. 7. 12. 43, 5. 142, 4. 143, 4. al. vid. ad Jer. 8, 18. (ubi tamen delenda „minime vero — perfundit“). אֶעֱבֹר *incedebam* G. gr. min. §. 125, 4. E. gr. min. §. 264. סַךְ (non סֹךְ) fortasse propr. *densa* arborum, silva densa (cf. סֹךְ, סֻכָּה), hinc transl. condensa hominum turba. Sic יַעַר de hostium multitudine dicitur Jes. 10, 18. 19. 34. 32, 19. Nescio tamen an rectius dixerim סַךְ a contexendo (סָכַךְ) propr. esse *contextum, complexum*, hinc *turbam, multitudinem*; cf. chald. סַךְ complexio, complexus, summa. דָּדָה *lente incedere* (vid. infra), דָּדָה apud Talmudistas *lente ducere*, hinc הִדַּדָּה (pro הִתְדַּדָּה) Jes. 38, 15. *se lente ducere, lente incedere* i. q. Kal. Quem significatum qui hoc quoque loco vult tenere, necesse est, ut אֶדַּדֵּם dictum habeat pro אֶדַּדֶּה לָהֶם *lente incedebam iis*, G. gr. min. §. 119, 1. E. gr. min. §. 564., Dativum vero eo referat, quod poeta instar choragi populo viam praeiret. Habet tamen Hithp. quandoque significatum, quo gaudet graecorum Medium, G. gr. min. §. 53, 3. E. gr. min. §. 243. p. 122. Nihil igitur obstare videtur, quo minus אֶדַּדֵּם transferas: *lente ducebam mihi eos.* Qui pro אֶדַּדֵּם legunt אֲדַדֵּם Pi., nodum dissecant, non solvunt. Ceterum דָּדָה verbum mihi videtur onomatopoeticum esse, exprimens sonum, quem edit segnior ac tenuior ictus calcis, ideoque significare *lente incedere.* Confer דָּרַךְ et דָּרַשׁ, quae verba sonum exprimunt, quem edit *fortior* ictus calcis, differuntque inter se ita, ut דָּרַךְ propr. imitetur sonum pedis impositi rebus solidioribus durioribusque, velut viae tritae, דָּרַשׁ cum sibilo sonum, qui

efficitur calcandis rebus strepentibus, velut aridis frumenti caulibus. Quod subjicitur עַד בֵּית אֱלֹהִים וגו׳ ostendit, cogitare vatem de solenni pompa ipso duce ad templum procedentium.
6. הָמוֹן חוֹגֵג appositione cohaeret cum ־ֵם Suffixo. — *Quid depressa es, anima mea, et strepis apud me? Spera deum*, exspecta dei auxilium! *nam adhuc celebrabo eum, Salutem faciei meae*, i. e. in quam semper prospicio, quae semper mihi ante oculos est, *et deum meum.* Inest in his verbis reprehensio doloris ejusdemque mitigatio. עָלַי *apud me*, vid. ad vs. 5. Nullius momenti est quod otiosiorem esse monent sic intellectam voculam. Amare Hebraeorum vates in hujusmodi sententiis בְּנַפְשִׁי et similibus vocibus apponere *in me* et hoc genus alia, praeter duos quos ad Jer. 8, 18. laudavimus locos Ps. 107, 5. Thren. 1, 20. ostendunt alii, ut Ps. 39, 4: חַם לִבִּי בְּקִרְבִּי. Quid? quod illi ipsi, qui hoc quem tractamus loco aliisque עָלַי, ne quid supervacanei admittant, constructum cum verbo *de me* reddunt, infra in 142, 4. coll. 107, 5. eo se redactos vident, ut eandem vocem simillimo nexu *apud me* (in me) transferant! Pro : יְשׁוּעוֹת פָּנָיו אֱלֹהַי certo certius est legendum esse : יְשׁוּעוֹת פָּנַי וֵאלֹהָי; cf. vs. 12. et 43, 5. E veteribus sic habent LXX in cod. Alex. (Vat. saltem פָּנַי exprimit), Vulg. Syr. יְשׁוּעוֹת פָּנַי interpretes tantum non omnes pro יְשׁוּעָתִי dictum volunt, ut פָּנַי non nisi vices sustineat Suffixi pers. coll. Exod. 33, 14. 2 Sam. 17, 11. Ps. 80, 17. Ezech. 6, 9. al. Prov. 7, 15. Sed in Exod. et 2 Sam. ll. ll. פָּנַי cum emphasi est *ego ipse.* In reliquis autem locis פָּנִים voci nequaquam ea quam volunt, sed *faciei*, *vultus* significatio videtur subesse. In *vultu* enim *minae* Ps. 80, 17., et *aversatio* Ezech. 6, 9. 20, 43. 36, 31.; *oculis* juvenis occurrere studet amatrix Prov. 7, 15. Itaque haud scio an rectius יְשׁוּעוֹת פָּנַי eo quo supra fecimus modo accipias, cf. vs. 2 sq. Ceterum appositione cohaerere haec verba cum Suffixo verbi antegressi,
7. unusquisque videbit ipse. — *Apud me* (vs. 5. 6.) *anima mea depressa est: Ideo*, ut mitiorem faciam dolorem, *reminiscor tui*, tuae gratiae, *de terra Jordanis Et* de *Hermonibus*, *de monte Mizar.* עַל כֵּן sunt qui dictum putent pro עַל כֵּן אֲשֶׁר *propterea quod*, posito effectu pro causa, in hanc sententiam: *propterea* (tam doleo) *quod reminiscor tui*, quod mecum reputo, ut magnifice te in loco tibi sacro praesentem exhibes, cum interim cogor ego hic in terra peregrina exsulare, a sacro

panegyri exclusus. In qua opinione olim fui et ego (ad Jer. 48, 36.). Negari enim non potest, *propterea quod* ad vs. 5. convenientius esse quam *propterea.* Ibi enim memoria Jovae doloris quo cruciatur vates *causa* est, non effectus. Verum ubi consulendus est nexus, ibi ea, quae in vicinia posita sunt, plus ponderis habent, quam remotiora. Quare quum commate proxime praegresso sic se consolatus sit vates: spera deum, nam adhuc celebrabo eum rel., adquiescendum videtur in significatione vulgari; cf. vs. 9. 43, 3. אֶרֶץ יַרְדֵּן quaenam sit regio, cognoscitur ex addito וְחֶרְמוֹנִים *et de Hermonibus*, montibus Hermoniis, qui ab australi Antilibani parte egressi ad orientem excurrunt, ita ut Jordanes inter Antilibanum et montes Hermonios oriatur. הַר מִצְעָר haud dubie nomen propr. montis Hermoni adjacentis, ubi detinebatur vates. Male alii מִצְעָר appellativum esse volunt, ita ut montem *exiguum* dicat vates Hermonem, utpote comparatum cum Sione. Languida enim haec comparatio esset et animo graviter commoto indigna. — *Fluctus fluctum advocat*, continuo 8.
excipit, *ad strepitum catarractarum tuarum; Omnes fluctus tui et undae tuae super me transeunt*, obruunt me. Huic aerumnarum, quibus prematur vates, imagini, ceteroquin valde utitatae, cf. 18, 5. 17. 32, 6. 69, 2 sq. 124, 4 sq., haud improbabile est occasionem dedisse montium factam mentionem vs. 7.
— *Interdiu demandat Jova gratiam suam, Et noctu canticum* 9.
ejus mecum est, hymnus ad deum vitae meae. In his ante omnia, quod plane effugit interpretes, sciendum est, pertinere quod in priore membro legitur יוֹמָם etiam ad posterius, item quod in posteriore בַּלַּיְלָה etiam ad prius, nec nisi parallelismi in gratiam in priore unum solum יוֹמָם, in posteriore solum בַּלַּיְלָה positum esse. Sic igitur accipienda sunt verba, ut si scripsisset vates: *interdiu et noctu*, id est: continuo *demandat Jova gratiam suam, Interdiu et noctu*, continuo *canticum ejus est.* Exempla habes Jes. 11, 12. 18, 6. Zach. 9, 17. al. cf. etiam Ps. 45, 13. Ad sensum autem quod attinet, vates aut consolatur se eo solatio, quod deus nunquam non gratiosum se exhibeat hominibus, et ipse eum continuis efferat laudibus, quibus voluntatem ejus conciliet, aut, quod ob vs. 10. praeferendum, leviter accusat deum, quod, quum ad juvandum semper sit paratus, ipse vero non desinat eum celebrare, tamen opem sibi non ferat. Cum יְצַוֶּה חַסְדּוֹ cf. 43, 3: שְׁלַח אוֹרְךָ וַאֲמִתְּךָ. יְצַוֶּה Imper-

fectum de eo quod quis facere *solet*. תְּפִלָּה *hymnus* ut saepius, quem significatum suadere videtur nexus. Apta tamen et *precum* significatio. Pro לְאֵל חַיָּי *ad deum vitae meae*, qui vitam mihi servat, nonnulli libri לְאֵל חָי ortum ex vs. 3. Artificiosior est et sensum fundens ingratum alius interpretatio haec: *interdiu demandet Jova gratiam suam: Et noctu* erit *canticum ejus mecum* rel. i. e. simulatque ope sua mihi adfuerit, statim laudibus efferam illum. Alia ratio est locorum 21, 14. 51, 16. 59, 17. Aliis interpretibus vates hoc et proximo versu componere videtur praesentem calamitatem felicitati pristinae, sic quidem, ut hoc quem tractavimus versu qua olim felicitate usus sit dicat, proximo praesentem miseriam describat, in hanc sententiam: *interdiu demandabat* (!) *Jova gratiam suam, Et noctu canticum ejus* erat *mecum* rel. Nunc (!) *dicendum mihi* rel. vs. 10. Quod quam arbitrarium sit nemo non videt. Quid? quod alii: *interdiu demandabat Jova gratiam suam, Et noctu canticum ejus* erat *mecum*. Nunc quotidie mihi nova quaedam calamitas, hinc (!) *precatio ad deum* rel. Qua ratione ex omnibus omnia facere
10. poteris. — *Dicam deo rupis meae* i. e. securitatis, salutis meae:
Cur oblitus es mei? Cur squalidus, lugens *incedo in oppres-*
sione hostis, opprimentibus me hostibus? לְאֵל סַלְעִי neque est
ad deum: o rupes mea! neque: *ad deum, rupem meam*, sed *ad*
deum rupis meae i. q. אֱלֹהֵי מָעֻזִּי in loco parallelo 43, 2. קֹדֵר
11. אֵלֵךְ cf. 35, 14. 38, 7. — *Cum contritione in ossibus meis* i. e.
conjunctis cum acerbissimo meo dolore *afficiunt me probris*
adversarii mei, Cum dicunt ad me quotidie: ubinam est deus
tuus? cf. vs. 4. Quod in nonnullis libris pro בְּרֶצַח est כְּרֶצַח
12. non nisi interpretamentum esse videtur. — *Quid depressa es,*
anima mea, et quid strepis apud me? Spera deum, nam ad-
huc celebrabo eum, Salutem faciei meae et deum meum! vid.
ad vs. 6.

1. Ps. 43. Tertia stropha. *Judica me*, age causam meam,
deus, et pugna pugnam meam! A populo immani, ab hominibus
2. *fraudulentis et improbis libera me! — Nam tu es deus prae-*
sidii mei: cur rejicis me? Cur squalidus incedo in oppres-
3. *sione hostis?* cf. 42, 10. ibique not. — *Mitte lucem tuam*, cf.
36, 10. 27, 1. *et fidem tuam; eae ducant me, Et perferant*
me ad montem tuum sanctum atque ad habitationes tuas, —
4. *Ut veniam ad aram dei, Ad deum laetitiae meae exsultantis,*

Et celebrem te harpa (vid. ad 33, 2.), *o deus, mi deus!* — 5.
Quid depressa es, anima mea, et quid strepis apud me? Spera deum, nam adhuc celebrabo eum, Salutem faciei meae et deum meum! vid. ad 42, 6.

PS. XLIV. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Corachitarum* 1.
carmen (14, 1.). Egregie falluntur, qui quae vs. 23. dicta sunt non nisi Maccabaicis temporibus congruere putant; vid. ad eum locum not. Quae vs. 12 sqq. (cf. etiam vs. 20.) habentur ostendunt, aut in exsilio compositum esse hunc Psalmum, aut, quod ob vs. 7. al. probabilius videri possit, temporibus quae fuerunt proxima ante exsilium, ut quibus jam magna pars Judaeorum patria essent ejecti. Ex iis, quae vs. 18 sqq. legimus, non nisi hoc efficitur, fusum esse carmen a quodam veri nominis Israelita nomine omnium, quorum illa ipsa aetate magnum numerum fuisse docent quae leguntur Jes. cap. 40 sqq. In eam aetatem, quae fuit proxima post exsilium, quae vs. 10 sqq. dicit vates non conveniunt. Strophae quinque: vs. 2—4: tu, o Jova, ope tua majoribus adfuisti, victricia reddidisti eorum arma. 5—9: tuo adjuti auxilio nos quoque prosternimus qui nos opprimunt hostes. 10—17: at tu nos deseruisti, victos quippe atque prostratos, trucidatos, patria ejectos, omnibus contumeliis affectos! 18—23: nec quod a te defecimus haec mala nobis acciderunt; imo tua causa talia patimur! 24—27: succurre tandem ad extremam miseriam redactis! — *O deus, auribus nostris*, nostris ipsi au- 2.
ribus *audivimus*, *Majores nostri narrarunt nobis: Facinus*, praeclarum facinus *fecisti temporibus illorum*, *Temporis priscis.* — *Tu manu tua* i. e. tuo proprio arbitrio atque potentia, 3.
cf. vs. 4., *populos*, Cananaeos puta, *expulisti*, sedibus suis ejecisti, *Et plantasti illos*, majores nostros, i. e. sedes stabiles assignasti illis, cf. ad Jer. 12, 16.; *Affixisti nationes*, *Et extendisti*, propagasti *illos*, majores. De יָדְךָ vid. ad 3, 5. גּוֹי, quod proprie significare putant hominum confluxum a גָּוָה confluere coll. ejusdem soni verbo arabico, nescio an rectius cum quodam viro docto referam ad גֵּוָה elatum esse instar dorsi gibbive, ut significet 1) corpus, ut גְּוִיָּה, 2) corpori similem hominum copiam, molem, cf. corps a corpore, hinc *populum.* —
Neque enim gladio suo occuparunt terram, *Nec brachium eo-* 4.
rum servavit eos; Sed dextera tua et brachium tuum et lux faciei tuae, favor tuus, cf. 4, 7.; *Nam favebas illis.* Ad לֹא

5. לא בחרבם ירשו ארץ cf. simillima Jos. 24, 12. — *Tu, tu ipse,*
qui olim pro majoribus nostris tam praeclarum facinus patrasti,
es rex meus, deus; Demanda auxilium Jacobi! הוא antegresso
Pronomini vim addit, ut Jer. 49, 12. ubi vid. not. Ad צוה
6. ישועות cf. 42, 9. 43, 3. — *Per te,* tecum, tuo adjuti auxilio
vexatores nostros ferimus; Tuo nomine i. e. tuo ductu et
auspicio *conculcamus adversarios nostros.* בך ut 18, 30., ubi
vid. not., בשמך ut 20, 6. cf. infra vs. 10. De קמינו vid. ad
7. 18, 40. — *Neque enim in arcu meo fiduciam colloco, Nec gla-*
8. *dius meus servat me;* — *Sed tu liberas nos a vexatoribus*
9. *nostris, Et osores nostros pudore afficis.* — *Deo gloriamur*
10. *quotidie, Et nomen tuum in perpetuum celebramus.* — Tene
regem esse ac vindicem nostrum (5 sqq.)? *Imo vero rejecisti*
et contumelia affecisti nos, Neque exivisti cum exercitibus
nostris, ut solebas antea, instar ducis. אף *adeo,* ante senten-
tiam adversativam: *imo vero,* ut 58, 3., non ut vulgo volunt:
attamen, sed. Cogitatione suppressum est quod praemisimus vel
11. simile quid. — *Fecisti ut cederemus retro ab oppressore,* ut
terga verteremus coram hoste, *Et osores nostri praedati sunt*
12. *sibi.* — *Fecisti nos instar gregis mactandi,* instar gregis mactari
13. nos sivisti, *Et inter populos dispersisti nos.* — *Vendidisti*
populum tuum nullo pretio, tam vili, ut paene nihil videretur,
cf. hemistichium quod sequitur, *Nec magni fecisti,* aestimasti
illum (רבית) *in* statuendis *pretiis ejus* (propr. *eorum*) i. e. quale
statuitur rei futili vilissimum pretium illi statuisti, ut rem fu-
tilem vilissimo cum pretio abjecisti. Alii posterius hemistichium
sic interpretantur: *nec auxisti res tuas pretiis eorum* coll. Prov.
22, 16., ubi tamen appositum legitur לו. Iterum alii רבה ab-
solute positum significare volunt *intendere, amplificare* pretium,
propr. quod nos dicimus *hoch hinauf gehen,* quod mallem. Sen-
sus: tanquam plebeculam cura tua indignam populum meum
libero hostium arbitrio tradidisti. Praeter Jes. 62, 3. potissimum
conferenda hic sunt Jer. 15, 13. et Jes. 43, 3., ubi e contrario
ut significetur, quanti faciat Jova populum suum, Judaeos e ser-
vitute Babylonica in libertatem restituturus Jova Aegyptiorum et
Aethiopum et Sabaeorum populos potentes atque opulentos da-
14. turus pretium dicitur, quo illi redimantur. — *Fecisti nos con-*
tumeliam vicinis nostris, Irrisionem et ludibrium locis circum-
jacentibus nostris, locis quae nos circumjacent, eorum incolis;

fecisti ut contumelia nos afficerent, irrisioni et ludibrio haberent
et adhuc habeant vicini populi. — *Fecisti nos proverbium inter* 15.
populos, ut in proverbium inter eos abiret summe probrosa
nostra conditio fecisti, *Agitationem capitis inter nationes*, ut
quisque conspectis nobis motitet caput i. e. nobis irrideat, cf.
22, 8. coll. not. ad 2 Reg. 19, 21. — *Quotidie ignominia mea* 16.
coram me est, semper obversatur mihi ante oculos, *Et pudor*
faciei meae operit me — *Propter vocem exprobrantis et con-* 17.
vicianti, *Propter adspectum hostis et vindictae cupidi*. Co-
gitandum hic est non modo de ipsis Chaldaeis, sed etiam de
eorum sociis et instigatoribus, Idumaeis maxime, sempiternis
Judaeorum hostibus, de quibus vide quae observavimus ad Jes.
34, 8. — *Haec omnia supervenerunt nobis, nec tamen obliti* 18.
sumus tui, *Nec fefellimus*, perfide fregimus *foedus tuum*. De
בְּאַתְּבוּ vid. ad 35, 8. וְלֹא *nec tamen*, vid. ad 2, 6. בְּרִית pr.
est hostia symbolica in solennioribus foederibus jurejurando in-
terposito sanciendis maetanda atque *dissecanda*, a בָּרָה secare;
deinde id quod jurejurando sancitur, *foedus*. Sic demum recte
intelliges, cur dicatur כָּרַת בְּרִית. — *Non cessit retro*, a te de- 19.
fecit *cor nostrum*, *Nec* (vid. ad 38, 2.) *deflexit gressus noster*
a via tua, — *Quod contrivisti nos in loco canum ferorum*, 20.
Et operuisti nos umbra mortis. כִּי ut Gen. 40, 15. Terra
canum ferorum, terroris plena aut Babylonia est, in qua vitam
omnibus modis miseram trahebant exsules, aut Judaeorum terra
a Babyloniis obsessa et vastata (cf. Jer. 9, 10. 10, 22. 49, 33.);
cf. prooem. — *Si obliti essemus nominis dei nostri*, *Et si* 21.
expandissemus manus nostras i. e. precati essemus *ad deum*
alienum: — *Nonne deus explorasset hoc? Nam novit recon-* 22.
dita cordis. — Minime vero! *nam tua causa occidimur quotidie*, 23.
Habemur ut grex mactandus. כִּי minime vero, *nam*, vel uno
verbo: *sed*, utpote post negationem, quamquam non disertam;
latet enim in iis, quae vs. 21. dicta sunt. Eadem ratio est lo-
corum 49, 11. 130, 4. Jer. 49, 10: עָלֶיךָ *tua causa*, ut 69, 8.
al. Sensus: tantum abest, ut, quod a te defecerimus, haec mala
nobis acciderint, ut ob id ipsum, quod te pro deo salutis no-
strae habuimus, tibi confisi sumus; tu vero nos destituisti (vs.
10 sqq.!) talia patiamur! Mirum quantum abhorret a totius
Psalmi consilio opinio eorum, qui de bello sacro (Maccabaeorum
tempore gesto) hic agi credunt. De bello enim pro sacris sus-

cepto nec vola nec vestigium reperitur in hoc carmine, utpote cujus argumentum totum versetur in eo, ut qui majorum ipsi addictorum arma victricia reddiderit Jova idem nunc viventes Judaeos, qui et ipsi eum deum salutis suae habeant, hostium arbitrio tradidisse eorumque omnem curam abjecisse dicatur. —
24. *Vigila! Cur dormis, domine? Expergiscere! Ne rejicias in*
25. *perpetuum! — Cur faciem tuam occultas, Oblivisceris af-*
26. *flictionis nostrae et oppressionis nostrae? — Nam depressa est ad pulverem anima nostra, Adhaeret terrae*, jacet ad terram
27. *corpus nostrum. — Surge in auxilium nobis! Et libera nos propter gratiam tuam!* עֶזְרָתָה alii Vocativum esse volunt, alii, quod magis mihi probatur, in appositione positum habent, alii, quod plane arbitrarium, לְ aut בְּ supplent. Vide, an non עֶזְרָתָה sit *in auxilium*, ita ut quod affixum habet ה sit locale. Non obstat, quod eadem haec forma alias est poetice pro עֶזְרָה posita. Nonne enim et aliae hujus generis formae nunc motum exprimunt, nunc non exprimunt? Sic אַרְצָה alias est in s. *ad terram*, alias haud diversum ab אֶרֶץ.

1. PS. XLV. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* instrumenti *Schoschannim* (i. e. *lilia*) dicti (6, 1.) *Corachitarum carmen* (14, 1.), *canticum amorum* (30, 1.). Argutiae, quibus nonnemo verbis, ut mihi quidem videtur, inurbanis et docto homine indignis non veritus est carpere eos, qui שֹׁשַׁנִּים pro nomine instrumenti musici habent, eo sunt ineptiores, quo similiora lilio sunt tubarum tibiarumque varia genera. Sed fac esse (et sunt sane) inter ea, quae haud levibus adducti rationibus (6, 1. prolatis) pro instrumentorum nominibus habemus, nomina, quibus cur certa quaedam instrumenta notata sint ratio appareat nulla: quis in judicandis instrumentorum nominibus nunc a forma instrumenti, nunc a sono, nunc ab auctore, nunc aliunde petitis, fortasse etiam magna ex parte casu et fortuito ortis solo etymo se regi patiatur, ita ut, si etymon instrumentum prodere non videatur, statim instrumenti nomen esse neget? Nonne etiam eorum, quibus hodie utimur, instrumentorum musicorum passim maxime mirabilia sunt nomina ac talia, ut quid spectent dici plane nequeat? שִׁיר יְדִידֹת, quod cum מַשְׂכִּיל cohaeret appositione, *canticum amorum* esse, docet Psalmi argumentum. Inest enim epithalamium (cf. vs. 11 sq, 15 sq.), in nuptiis regis ali-

cujus Israelitici decantatum, quum sponsa, et ipsa regio genere
nata (vs. 14.), fortasse Tyria (vid. ad vs. 13.), solenni pompa
in regium palatium duceretur (vs. 15 sq.). Infirmissima sunt
argumenta, quibus nonnulli impugnare student sententiam eorum,
qui pro epithalamio hoc carmen habent. Reginam non nisi ob-
iter et tanquam per degressionem a proposito commemorari di-
cunt. Quasi vero quae in duodeviginti versuum carmine per
septem integros versus laudatur sponsa non sit satis laudata!
Quod paullo pluribus verbis commoratur vates in laudando rege,
causa est, quod primas partes agit rex! Porro negant conve-
nire, quod regis inter virtutes praecipue bellica virtus celebretur.
At illa primaria est inter regias virtutes, maxime apud veteres!
Praeterea cf. not. ad vs. 4. 5. Plane falsum esse, quod a שֵׁגָל
nomine repetunt argumentum, videbimus ad vs. 10. Ahabum
esse quem vates canat sponsum, ex vss. 9. et 13. certo colligi
nequit; vid. ad eos not. Est trium stropharum carmen, quarum
prima vs. 2—10. canit regem, secunda vs. 11—16. reginam,
tertia vs. 17 sq. iterum regem. — Prooemium. *Ebullit cor meum* 2.
verbum bonum, verba bona, grata; *Dico: opera mea*, τὰ ποιή-
ματά μου i. e. quos facio versus, *regi* sunto! *Lingua mea*
stilus scribae promtus vel: *promti* esto! i. e. quae suggerit
animus, lingua promte excipiat et eloquatur! Pro eo, quod
אֹמֵר אֲנִי וגו' cum aliis nos: *dico: opera mea regi!* quidam
mavult: *cano opera mea regi*, non cogitans, sic si reddatur se-
cundum membrum, in tertio precario sumi יְהִי! מָהִיר sitne
construendum cum עֵט an cum סוֹפֵר dubium. — Laudare jam 3.
incipit regis virtutes. Ac primum quidem ejus pulchritudinem
atque eloquentiam laudat. *Pulcherrimus redditus es hominum;*
Effusa est gratia, eloquentia *in labiis tuis: Propterea*, quod
hisce virtutibus te ornavit, forma et facundia te insignivit, *for-
tunavit te deus in perpetuum*, in omnem vitam, in dies vitae.
Quod יָפְיָפִיתָ priorum radicalium geminatarum forma exemplo
caret, non potest idonea causa videri, cur sollicitetur, praesertim
quum nihil habeat duritiei. Ad Passivum autem quod attinet,
hoc ipsum congruit parallelismo. Quantopere formae dignitas et
facundia in regibus aestimata fuerint apud veteres, notum. Ad
quam formae et eloquentiae admirationem convenientissime vates
propterea, ait, quod has tibi dotes concessit, *fortunavit te deus*
rel. Quod non reputarunt, qui hanc artificiosiorem secuti sunt

interpretationem: propterea, cum hae sint dotes divinitus con-
cessae, sperare licet, deum tibi in perpetuum affuturum; hae
dotes pignus tibi sunto perpetuae dei gratiae. Plane aberrant
4. a vero, qui עַל כֵּן pro עַל כֵּן אֲשֶׁר positum volunt. — Pergit
ad regis fortitudinem, quam sic laudat, ut laudibus immisceat
vota. *Cinge gladio tuo femur, o heros! Ornatu tuo et decore
tuo!* Ex quibus verbis regem tum bellum parasse non nisi sine
sapore interpres colligere potest. Hoc sibi vult vates: cinge te,
quo scite uteris, gladio, quo sis ad omnia pericula depellenda
5. paratus! — *Et decore tuo! Prospere vehitor* sc. curru bellico
pro fide et pietate, jure! i. e. quodsi opus fuerit, cives tuos
fidos ac pios eorumque jura armis defendere: prosperrime ut
pugnes optamus; *Et doceat te praeclara facinora dextera tua!*
Quo vs. 4. finiebatur וַהֲדָרְךָ, hoc versu resumitur magna cum vi
et elegantia. Est hoc rhythmi gradatim adscendentis aliquod
vestigium. Falluntur itaque, qui verbum librarii incuria repe-
titum judicant, ut חָמֵשׁ Ezech. 48, 16. Est vero seorsum ca-
piendum והדרך, non jungendum verbo quod sequitur, quod quo-
minus fiat impedit ejus verbi significatio. צְלַח propr. *perrumpe,
pervince!* hinc *felix esto!* (vid. ad 1, 3.), conjunctum cum רְכַב:
feliciter vehitor! Cogitandum esse de curru bellico, docet nexus.
עַל דְּבַר *propter*, in commodum, pro. Ante צֶדֶק abest copula,
plane ut vs. 9. in קְצִיעוֹת; cf. E. gr. ampl. p. 650. 654. תּוֹרְךָ
doceat te, non: *docebit te*, ut vulgo interpretantur. Jussivum
esse, ostendunt quae praecedunt Imperativi. Nonnemo ultimum
membrum sic explicandum putavit: tum vero dextra tua jacula-
bitur tibi (in tuum commodum) tremendum in modum, quae est
6. durissima ac prorsus damnanda explicatio. — *Sagittae tuae
acutae — Populi sub te cadant — In cor hostium regis* i. e.
tuorum! sc. penetrent. In שְׁנוּנִים Adjectivo deest articulus, quem
constat saepius omitti post Substantivum Suffixo definitum; cf.
ad 18, 18. Verba עַמִּים תַּחְתֶּיךָ יִפְּלוּ velut in parenthesi inter-
posita sunt. Liberius interpretari sic possis: sagittae tuae acu-
tae, prostratis ad pedes tuos populis, in cet. בְּ praefixum לֵב
voci de motu in locum accipe. אוֹיְבֵי הַמֶּלֶךְ pro אוֹיְבֶיךָ iterato
Nomine loco Pronominis. G. gr. ampl. p. 741 sq. Ceterum vix
credas, serio aliquem affirmasse, sagittas regis ejus esse justitiam,
veritatis virtutisque studium; עַמִּים vero populi Israelitici tribus,
7. id quod prorsus abhorret a nexu. — Pergit ad praedicandam

regis justitiam, quae causa sit cur stabile sit ejus regnum et res ejus floreant. *Solium tuum dei*, divinum, in quo te deus constituit (cf. Ps. 2.), est, erit *in perpetuum*, perpetuum erit, vel: *Solium tuum est dei*, dei solium *in perpetuum; Sceptrum justitiae est sceptrum imperii tui.* כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים possit esse *solium tuum dei*, divinum, Suffixo apposito Nomini priori, ad quod pertinet, ut saepius legere est, apud poetas maxime, velut in מַחְסִי עֹז pro מַחְסֶה עֻזִּי *refugium meum firmum* 71, 7., בְּרִיתִי יַעֲקֹב *foedus meum Jacobiticum*, cum Jacobo initum Lev. 26, 42., מָעוּזִּי חָיִל *munimentum meum firmum* 2 Sam. 22, 33., דַּרְכֵּךְ זִמָּה *via tua scelesta* Ezech. 16, 27., חֲבֹלָתוֹ חוֹב *pignus suum debiti* ibid. 18, 7. cf. E. gr. min. §. 500. Sed haud scio an rectius cum G. gr. min. §. 141. adn. 2. et E. gr. ampl. p. 627. min. §. 547. כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים dictum habeam pro כִּסְאֲךָ כִּסֵּא אֱלֹהִים *solium tuum est solium dei*, coll. membro altero, cujus, si Subjectum praeposueris, Praedicatum postposueris, eadem haec ratio est: שֵׁבֶט מַלְכוּתְךָ שֵׁבֶט מִישׁוֹר. — *Amas justitiam* 8.
et odio habes improbitatem; Propterea unxit te deus, deus tuus Oleo laetitiae prae sociis tuis, aliis regibus. Quod dicit אֱלֹהִים אֱלֹהֶיךָ *deus, deus tuus* i. e. is quem colis deus, eo praestantiam simul et munificentiam significare vult ejus qui regi obtigerit dei. De שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן cf. ad Jes. 61, 3. — Describit jam 9.
magnificentiam palatii, vestiarii, gynaecei, sic transitum parans ad sponsam et conjugii celebrandi solemnitatem. *Myrrha et aloe, cassia* (vid. not. ad vs. 5.) *omnia vestimenta tua*, tota fragrantissimorum aromatum suavissimos odores spirant; *Ex palatiis eburneis fides* i. e. fidium cantus *exhilarant te.* Palatium eburneum, i. e. cujus parietes ebore obtecti erant, aedificasse legitur Ahabus I Reg. 22, 39. Ex quo Ahabum esse quem vates canat sponsum colligunt. Quae argumentatio, quamquam Amosi loco infringi nequit, quum Pluralis adhibeatur hic quoque (הֵיכְלֵי שֵׁן), tamen raptim praecipitata videtur. Quis enim credat, praeter Ahabum palatia, quorum conclavia ebore vestita essent, Hebraicorum principum habuisse neminem? מִנִּי forma decurtata Pluralis pro מִנִּים 150, 4. G. gr. min. §. 68, 1. E. gr. min. §. 359. Quod tamen non ita certum est, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Quid, si מִנִּי sit *fides mea* i. e. fidium mearum cantus, aut si מִנִּי significet *fidicinem* (cf. עִתִּי ex עֵת, רַגְלִי ex רֶגֶל et alia hoc genus denominativa), Singularis vero collective sit

positus? Quod cantus regem *ex* palatiis exhilarare dicitur,
ostendit, fingi regem extra palatium morari; cf. vs. 14 sqq.
10. ibique not. — *Filiae regum* sunt *in caris tuis*, in puellarum
tuarum numero; *Adstat domina dexterae tuae in auro* tota
obtecta auro *Ophiritico*. Constat, orientalium regum splendorem
magna ex parte conspici in numeroso gynaeceo; item, quanto
nobiliore genere natae sint pellices regis, tanto illum illustriorem
regem haberi. Ceterum, quum regum nomine apud Hebraeos
appellentur et urbium parvuli domini (cf. ll. ll. in prooem. ad
Ps. 2.), talesque regulos probabile sit filias suas in gynaeceum
regis ipsis potentioris adduci libenter passos esse, sequitur, non
necesse esse, ut quae hic memorantur regum filiae, regum de-
victorum filiae habeantur. De בִּיקְּרוֹתֶיךָ cf. G. gr. min. §. 24,
1. adn. E. gr. ampl. p. 101 sq. coll. not. ad 37, 15. Quod שֵׁגַל
vocatur sponsa, id nonnemo impedimento esse putat, quominus
pro epithalamio habeatur hoc carmen. Quasi vero quae uxor
destinata est non possit dici uxor! Adstat regi *ad dexteram*,
11. utpote honestiore loco; cf. 1 Reg. 2, 19. — Nunc ad ipsam
sponsam conversus hortatur eam, ut penatum jam immemor
regio sponso totam se dedat accipiatque oblata munera. *Audi,
filia*, qua compellatione hortantes erga hortandos uti solent (cf.
34, 12.), *et vide*, intelligentem te praebe, *et inclina aurem
tuam! Et obliviscere populi tui et domus patris tui*, noli te
tradere tristitiae propter discessum a populo tuo tuisque pena-
12. tibus! — *Et appetat rex pulchritudinem tuam*, i. e. noli ar-
denti quo flagrat tui desiderio resistere, *Nam dominus tuus is
13. est, et reverere eum*, obsequium ei praesta! — *Et Tyrii mu-
neribus, Adulantur tibi ditissimi quique populi*. De structura
et rhythmica ratione horum verborum neminem video qui expo-
suerit recte. Artificiosa omnia et coacta sunt quae protule-
runt interpretes. Complendum est prius membrum ex posteriore,
posterius ex priore, sic quidem, ut in priore ex posteriore co-
gitando suppleatur יְחַלּוּ פָנַיִךְ, in posteriore ex priore בְּמִנְחָה,
quasi scripserit vates: *Et Tyrii muneribus* adulantur tibi, *Tibi
adulantur* muneribus *ditissimi quique populi*. Hoc enim mirifice
delectantur Hebraeorum poetae in bimembribus sententiis, ut
quae dicenda sunt sic per membra dividant, ut unum alterum
compleat; cf. 42, 9. ibique not. De חִלָּה פְנֵי פ׳ locutionis vi
primaria vide quae ad defendendam Gesenii sententiam disputa-

vimus ad Dan. 9, 13. עֲשִׁירֵי עָם (E. gr. min. §. 489.) incertum
sintne *ditissimi hominum* i. e. Tyrii, ita ut in utroque membro
idem fere dicatur, an, quod probabilius videri possit, *ditissimi*
populi, ejus puta, inter quem nunc versabatur regina, Judaici
inquam, ita ut oblatis muneribus reginae gratiam sibi conciliare
dicantur in priore membro vicini populi, in his maxime Tyrii,
in posteriore ipsi inter quos nunc vivat regia virgo Judaei. Sic
quidem expediri debet hic locus, si בַּת צֹר significet *Tyrios*
(cf. ad 2 Reg. 19, 21.). Possit tamen etiam בַּת צֹר proprie sumtum significare *filiam Tyri* i. e. *Tyriam* (cf. בְּנוֹת יְרוּשָׁלָםִ
Cant. 1, 5., בְּנוֹת צִיּוֹן Jes. 3, 16. al.) in hunc sensum: *Et, o filia*
Tyri, *Muneribus adulantur tibi ditiores populi* (Judaici), te
Tyriam, virginem peregrinam, quam ad nos adduxit rex, oblatis
muneribus venerantur ditissimi quique novae quam nacta es patriae. Cui interpretationi favere possit בַּת vs. 11. et quod ibidem ut penatum jam immemor sit admonetur peregrina virgo.
Sic vero si accipiatur locus, rex quem canit vates possit esse
Ahabus, regina Isebel, Etbaali, Sidoniorum regis filia; 1 Reg.
16, 31. cf. 2 Reg. 9, 34. — Accedit nunc ad describendam pom- 14.
pam virginum sponsam splendidissime ornatam ex suo in regium
palatium deducentium. *Tota magnifica filia regis ἐν τοῖς ἐνωπίοις* i. e. totam magnificam oculis spectantium se exhibet regia
virgo solio insidens in conclavi adversum januam sito; *Ex*
pannis auro intertextis vestis ejus. כָּל־כְּבוּדָּה propr. *mera*
magnificentia i. q. אַךְ כְּבוּדָּה *nil nisi magnificentia*; cf. 39, 6.,
ubi utrumque conjunctum in verbis אַךְ כָּל־הֶבֶל *nil nisi merus*
halitus. Substantivum ut saepissime pro Adjectivo est positum.
בַּת מֶלֶךְ, regio genere nata, non: destinata regina, ad regiam
dignitatem evehenda; cf. בְּנוֹת מְלָכִים vs. 10. פְּנִימָה (cf. יְמִימָה)
ἐν τοῖς ἐνωπίοις i. e. ad parietes domus, qui sunt e regione januae, ubi solium stabat in regiis aedibus. Intelligendum est
autem non regis sed aliud palatium, in quo sponsa interea erat
commorata atque ex quo nunc comitantibus puellis regiis in regium palatium abducitur; cf. vs. 15 sq. — *In stragulis versi-* 15.
coloribus adducitur regi; *Virgines post eam*, *sociae ejus adducuntur tibi.* לִרְקָמוֹת tantum non omnes *in vestibus versicoloribus* i. e. *induta vestibus versicoloribus* esse volunt. Quod
falsum esse jam ex eo potest colligi, quod vestitus sponsae jam
bis descriptus est, vs. 10. et 14. Quum רִקְמָה propr. non sit

nisi *pannus variegatus*, potest etiam *stragulum variegatum* significare. Minime vero quod praefixum est לְ de motu in locum est positum, quasi dicatur adduci sponsa *in stragula variegata*, quod non conveniret et supervacaneum esset, sed, quod miror adhuc neminem vidisse, de commoratione in loco, ut saepius, dictum est, ita ut regia virgo *in stragulis variegatis* i. e. *in via pannis variegatis strata* regi adduci dicatur, id quod maxime convenit in hanc reginae nuptialem pompam; cf. Matth.
16. 21, 8. al. — *Adducuntur cum gaudiis et exsultatione, Ingre-*
17. *diuntur palatium regis.* — Nunc iterum ad regem conversus
nasciturosí illi filios gratulatur patrum honore ac gloria dignos.
Loco patrum tuorum erunt filii tui; Constitues eos principes
18. *in omni terra.* — Conclusio. *Celebrabo nomen tuum per omnes*
venturas aetates; Propterea, meis laudibus excitati *populi laudabunt te in sempiternum.*

1. PS. XLVI. *Praecentori* (4, 1.) canendum carmen *Corachitarum ad modum* instrumenti *Alamoth* dicti i. e. fidium acutissimi soni (6, 1.), *canticum* (30, 1.). Maxime probabile mihi videtur, compositum esse hunc Psalmum, quo tempore nescio inter quosnam remotiores populos horribilia bella excitata essent, quibus illi se mutuo absumerent (vs. 3 sq. 7. 9 sqq.), quae vero, quum in terris remotioribus gererentur, non viderentur Israelitarum in terram irruptura esse (3. 5 sq. 8. 12.). Strophae tres: vs. 2—4: nobiscum Jova est, nihil timemus, quamvis perturbetur orbis, 5—8: tumultuentur populi, corruant regna. 9—12:
2. Jova bellis finem facit, hostes in perniciem agit. — *Deus nobis*
est *refugium ac praesidium, Auxilium in angustiis repertus*
valde, ipsum validissimum in angustiis adjutorem experti sumus.
3. — *Propterea non timemus, quamvis mutet,* maxima perturbatione confundatur *terra, Et quamvis mutent montes in medio mari.* In הָמִיר verbo haudquaquam opus est ut ab usitata significatione recedas. הָמִיר *mutare,* ubi non additur id quod mutatur, significat *mutare* statum suum, se; quo eodem significatu et latini suo saepissime utuntur *mutare,* et nos nostro *ändern, wechseln* al. Pro eo quod בְּלֵב יַמִּים *in medio mari* reddidimus, nonnulli maluerunt *in medium mare,* quod, quum מוֹט *mutare* sit verbum motus, non est dubium quin ferri possit. Aptum tamen et *in medio mari,* et fortasse etiam aptius, quoniam qui

in immensa maris voragine radicantur prae ceteris firmi et im-
moti stant montes. — *Fremant, aestuent aquae ejus! Con-* 4.
tremiscant montes in fastu ejus! i. e. in fremitu ejus, quia,
cum fremit mare, fastuose se gerere videtur. Errant, qui Infi-
nitivum versus antegressi hic in Verbum finitum transire putant.
Elegantior hisce interpretibus vates novam ordiens sententiam:
fremant, aestuent, inquit, *ejus aquae* cet. (nihil timebimus
vs. 3.)! Suffixum in מֵימָיו, quod temere alii ad hostem, alii
ad Jovam referunt, nexus ut ad יַמִּים referatur jubet, quod
nomen, quamvis sit plurale, tamen, cum significatum habeat
singularis, ut singulare potuit construi; E. gr. min. §. 569. Ad
יַמִּים vero si referendum מֵימָיו, sponte sequitur, גַּאֲוָתוֹ eodem
esse referendum. Ceterum figurate haec dicta esse de civitatum
perturbationibus, vix est quod moneamus; cf. vs. 7. 10 sq. —
„Ingentibus illis rerumpublicarum subversionibus, quas concitati 5.
maris aestibus comparaverat, jam opponit Hierosolymorum tran-
quillam laetamque deo praeside securitatem, quam rivis confert
leniter fluentibus.“ Sic quae hoc versu dicuntur cum aliis ac-
cepit Rosenmüllerus, recte haud dubie; aliter enim quominus
accipiantur impedit nexus. *Flumen, rivi ejus laetitia afficiunt
civitatem dei,* Hierosolyma, *Locum sacrum habitationum Al-
tissimi,* i. e. locum sacrum, in quo est sedes Altissimi, sacram
sedem Altissimi. נָהָר פְּלָגָיו asyndeton, nisi mavis נָהָר esse
Nomin. absol., quod eodem redit. קְדשׁ de *loco sacro* ut 65, 5.
Jes. 57, 15. מִשְׁכְּנֵי ע׳ in Plurali eadem de causa dicitur, ex
qua apud Latinos dicuntur *sedes, aedes sacrae.* Nonnemo:
*Flumen, cujus rivi laetitia afficiunt civitatem dei, Est sanctus
habitationum Altissimi,* est sanctus qui inhabitat sedem Altissimi,
Jova deus noster. Cujus imaginis equidem desidero exempla. —
Deus in medio ejus est, *non nutat; Adjuvat eam deus appro-* 6.
pinquante mane i. e. mature, cito, proverbialis locutio. — *Fre-* 7.
munt populi, nutant regna: Edit voce sua tonitru, tonat Jova,
diffluit, dissolvitur pavore *terra* i. e. qui tumultuantur et regna
perturbant populi, simulatque a Jova increpantur, subitaneo ter-
rore perculsi obmutescunt. De נָתַן בְּקוֹל phrasi vid. ad Jer. 12, 8.
— *Jova exercituum nobiscum est, Refugium nobis deus Jacobi.* 8.
De יְהוָה צְבָאוֹת vid. ad Jes. 1, 9. coll. not. ad Ps. 35, 23. —
Agite, spectate, contemplamini *facinora Jovae, Qui efficit* 9.
vastitates in terra, populorum tumultuantium regiones vastas

reddit. Ex eo, quod dicit *agite, spectate* est. non effici, bella
in ipsa Israelitarum terra gesta esse, vix est quod moneam; cf.
10. vs. 7. et 10. — *Qui cessare facit bella usque ad finem terrae,*
Arcum confringit et praecidit hastam, Currus bellicos com-
11. *burit igne!* cf. prooem. — Jova ad populos tumultuantes: „*De-*
sistite, et agnoscite, me esse deum, Potentia *eminere inter*
12. *populos, eminere in terra!*" — *Jova exercituum nobiscum est,*
Refugium nobis deus Jacobi.

1. PS. XLVII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Corachitarum*
carmen. Videtur epinicium esse; sed qua occasione decantatum
sit, nemo facile definiverit. Nonnulli, quum Judaei ex exsilio
Babylonico rediissent, cantatum esse volunt. Cui opinioni quid
tribuendum sit videbimus ad vs. 4. 5. et 10. Strophae duae:
vs. 2—5: laudate Jovam, qui subjectis imperio nostro populis
Cananaeis hanc nobis terram possidendam dedit! vs. 6—10:
2. laudate Jovam, qui suo populo adjungit exteros! — *Omnes po-*
puli, complodite manus! Jubilate deo, in honorem dei *voce*
exsultabunda! Noli putare, ad praesentes populos aut certe
principes eorum haec verba fieri. Alloquitur vates absentes.
Exteros vero populos quod laetari una cum Israelitis jubet, ratio
est, quod spem habet, fore, ut illis omnibus Israelitarum imperio
adjunctis idem, cujus ipsi tutelae sint, rex, Jova obtingat,
omnium longe potentissimus; cf. vs. 10. ibique not. Male non-
3. nulli עַמִּים *tribus* Israelitarum esse putant; vid. ibidem. — *Nam*
Jova, altissimus, terribilis est, *Rex magnus super omnem ter-*
4. *ram.* — *Subjecit populos nobis, Et nationes pedibus nostris.*
Intelligendi sunt populi Cananaei; cf. vs. 5. coll. 44, 2—4.
Babylonios, quos alii intellectos volunt, dubito vehementer num
Judaei in patriam restituti *subjectos pedibus suis* i. e. imperio
suo (cf. ad 18, 48., ubi eadem locutio) dicere potuerint. —
5. *Elegit nobis hereditatem nostram,* terram sanctam, *Decus Ja-*
cobi, quem diligit. De recuperata post exsilium terra sancta
intelligi haec vix poterunt. Recuperationem enim quod respiciat
nihil inest. Ceterum quemadmodum terra Israelitica hic vocatur
גְּאוֹן יַעֲקֹב, sic Dan. 8, 9., ubi vid. not., dicitur הַצְּבִי, et ibi-
6. dem 11, 16. 41. אֶרֶץ הַצְּבִי. — *Adscendit* sc. in Sionem mon-
tem *deus* e bello feliciter gesto rediens *cum clamore laeto,*
Jova cum clangore tubae. Deus pro arca sacra dicitur, quam

spe obtinendae victoriae in castra deducere consueverant Israelitae; cf. 1 Sam. 4, 3 sqq. Alii de exsulum Jovae auspiciis e Babylonia redeuntium ingressu in urbem Hierosolymitanam haec
dicta putant. Sed vid. ad vs. 4. 5. 10. — *Canite deum, ca-* 7.
nite! Canite regi nostro, canite! — Nam rex totius terrae 8.
est deus; Canite carmen! De מַשְׂכִּיל voce vid. ad 14, 1. —
Imperat deus in populos; Deus sedet in solio suo sancto. — 9.
Principes populorum congregantur, Populus dei Abrahami i. e. 10.
principes exterorum populorum consociantur, unum efficientes populum, eumque Jovae, unius Jovae imperio omnes se subjiciunt; *Nam dei sunt*, deo subjecti *clypei* i. e. qui cives tuentur principes *terrae*, *Plurimum* potentia *eminet*. Qua spe multi hebraicorum prophetarum tenentur, ea tenetur et vates, fore, ut omnes populi populo Israelitico se adjungant, et Jovam communem regem agnoscant. Quam spem vates concepit ex victoria nuper reportata a populo quodam extero. Pro עַם mirer alios עִם, alios עַם עִם (!) legere velle. Sanissimum est עַם. Cohaeret enim appositione cum iis quae antegressa sunt (der Völker Fürsten versammeln sich, ein Volk Gottes). Plane a vero aberrant, qui נְדִיבֵי עַמִּים *principes tribuum Israeliticarum* exsilio reducum esse judicant. Nam quos נְדִיבֵי עַמִּים habes, eosdem debes מָגִנֵּי אֶרֶץ habere. Quos si principes tribuum Israeliticarum habueris, sensum videbis misere languidum. Quid tandem monitu opus, *Jovae esse* Israelitarum principes? Accedit, quod אֶרֶץ non potest aliter accipi atque כָּל־הָאָרֶץ vs. 8., cum utriusque commatis eadem sit sententia. Ceterum *clypei* a defendendo principes vocantur et Hos. 4, 18.

PS. XLVIII. *Canticum*, *carmen* (vid. ad 30, 1.) *Cora-* 1.
chitarum. Plus quam verisimile est, editum esse hunc Psalmum eadem occasione, qua editum vidimus Psalmum nonum, i. e. eo tempore, quo urbs Hierosolymitana Assyriorum obsidione exemta erat regnante Hiskia. In eam enim occasionem nihil inest in carmine, quod non conveniat optime. Quemadmodum vero nonum probabile est ab Hiskia rege fusum esse, sic quod prae manibus est carmen ab Jesaja vate compositum videri possit. Conferantur inter se plura deinceps memoranda, in quibus inter se concinunt carmen hoc et Jesajae quae 33, 13—24. continetur oratio. Nonnulli versu 8. ducti ad irruptionem a Syris et

Ephraimitis regnante Achazo in Judaeam factam hunc Psalmum referunt (cf. Jes. 7. 8.), existimantes, navibus advectos Syros classe naufragio deleta se recepisse. Verum neque proprie accipienda sunt quae leguntur vs. 8., nec, si essent, inde aliquid roboris acciperet ista conjectura. Precario enim sumuntur una cum tempestate naves! E contrario probabile est, discessisse hostes accepto nuntio de expeditione ab Assyriis in Syriam suscepta (2 Reg. 16, 9.). Strophae tres: vs. 2—4: magnificus huic urbi praesidet Jova. 5—9: subito evanuerunt qui eam circumdederant hostes. 10—15: pro tanto beneficio hymnis te nos
2. celebramus, celebrabunt te posteri. — *Magnus est Jova et celebrandus plurimum In urbe dei nostri, in monte suo sancto.* Conferantur cum hoc et duobus proximis vss. quae habentur
3. apud Jes. 33, 20 sqq. — *Pulcher eminentia* est, pulchre eminet, assurgit, *gaudium*, deliciae *totius terrae*, *Mons Sionis*, *extremae partes septentrionis*, *Urbs regis magni.* Ad מְשׂוֹשׂ כָּל־ הָאָרֶץ cf. Thren. 2, 15: *haeccine est urbs, quam dixerunt perfecte pulchram*, מָשׂוֹשׂ לְכָל־הָאָרֶץ *gaudium universae terrae?* יַרְכָּתַיִם ad Jes. 14, 13. vidimus proprie significare *utrumque latus*, hinc eam partem, in qua ambo latera coeunt, *angulum*, hinc *partes extremas*, *interiores recessus.* Quaeritur jam, quid hic sibi velint יַרְכְּתֵי צָפוֹן *partes extremae* aut *interiores recessus septentrionis.* Nonnulli, qui *terrae* septentrionales regiones intelligunt, verba appositione cohaerere putant cum כָּל־הָאָרֶץ in hunc sensum: pulchre eminet Sion, *gaudium totius terrae*, *extremarum regionum septentrionis* i. e. gaudium totius terrae ad extremam usque septentrionis oram. Sed ita quominus struas, obstat quod interpositum est הַר צִיּוֹן. Alii, qui et ipsi *terrae* septentrionales oras intelligunt, יַרְכְּתֵי צָפוֹן dictum Sionem volunt, existimantes, *septentrionis extrema ora* si dicatur Sion, idem hoc esse, ut si diceretur הַר מוֹעֵד, quandoquidem Chaldaei *montem conventus (deorum)* in *septentrionalibus terrae regionibus* situm sibi finxerint (Jes. 14, 13.). Quae explicatio non modo est durissima: quis enim credat, pro *monte conventus* suffecisse ponere *extremam septentrionis oram?* sed etiam, quod plane effugisse video interpretes, Hebraeorum de sede urbis sanctae opinionibus repugnat. Hebraei enim dei sedem, non ut Chaldaei in oris terrae septentrionalibus, sed, ut Graeci Delphos, *in medio orbe terrarum* positam putarunt, Ezech. 5, 5. ubi cf. not. Mihi

יַרְכְּתֵי צָפוֹן esse videntur aut *Sionis*, cujus vix mentio facta est, *recessus septentrionales* i. e. convalles a septentrione Sionis et collis qui Sioni accensetur Moriae sitae, in quibus ipsis maxima ex parte condita erat urbs Hierosolymitana, utpote cujus antiquior pars, ἡ ἄνω πόλις, *Sion*, sita esset a septentrione Sionis proprie dicti, recentior, ἡ κάτω πόλις, *Acra*, a septentrione ejusdem et Moriae; aut ipsius urbis *extremae partes septentrionales*, quae posterior explicatio quum simplicior sit priore et sensum praebeat multo aptiorem, illi sine dubio est praeferenda. Sic enim inter se opposita sunt הַר צִיּוֹן et יַרְכְּתֵי צָפוֹן, ut hoc dicat vates: *Pulchre eminet gaudium totius terrae*, *Mons Sion*, *extremae partes septentrionis*, *Urbs regis magni* i. e. pulchre eminet, gaudium totius terrae, pars urbis australis, pars ejusdem septentrionalis, urbs regis magni, q. d. pulchre eminet, gaudium totius terrae, ab omni parte urbs regis magni. Rectissime vero non tantum Sion mons, sed etiam, quae illi erant oppositae, partes urbis septentrionales dicuntur eminere. In his enim urbs altis munita erat turribus. Qui ad invasionem a Rezino et Pecacho regibus in Judaeam factam Psalmum referendum ducit interpres (vid. ad vs. 1.), locum hunc inde ab הַר צִיּוֹן cum vs. 4. construendum putat in hunc modum: *In monte Sion, ambobus lateribus* (debebat scribere: *partibus extremis*, nam primaria יַרְכָּתַיִם vocis significatio usitata non est!) *septentrionis*, *urbe regis magni*, *In palatiis ejus* est. Existimat enim, הַר צִיּוֹן et quae subjiciuntur esse Nominativos absolutos. יַרְכְּתֵי צָפוֹן vero הַר צִיּוֹן vocibus vatem subjecisse credit, quod in septentrionales potissimum urbis partes impetum fecerint reges foedere juncti. Quae interpretatio pluribus iisque haud levibus laborat difficultatibus. Ac primum quidem temerarie is mihi videtur agere, qui vs. 3. ex parte seorsum capit, ex parte ad ea trahit, quae subjiciuntur. Deinde, si vs. 3. Nominativo absoluto uti voluisset vates, vs. 4. pro בְּאַרְמְנוֹתֶיהָ אֱלֹהִים videtur scripturus fuisse אֱלֹהִים בְּאַרְמְנוֹתֶיהָ, praeposito בְּאַרְמְנוֹתֶיהָ. Denique, quod gravissimum est, si יַרְכְּתֵי צָפוֹן respiciant eam urbis partem, cui potissimum imminerent hostes: quid sibi vult absque regionis discrimine adjectum קִרְיַת מֶלֶךְ רָב? Debebat profecto pro קִרְיַת scribi לְקִרְיַת in hanc sententiam: *partes septentrionales urbis regis magni*. —
Deus in palatiis ejus cognoscendum se praebuit praesidium, 4.

firmum praesidium se esse ostendit eo, quod munivit urbem no-
stram adversus hostium vastationem. נוֹדַע vim habet reflexivam.
5. De לְ vid. E. gr. ampl. p. 603. — Quam cito hostes urbem
expugnaturi re infecta decesserint nunc dicitur magna cum ver-
borum elegantia et gravitate. *Ecce enim, reges convenerunt:
Evanuerunt una!* Alii: *convenerunt, adventarunt una*, negan-
tes, potuisse hic evanuisse dici qui versu proximo sint ante
portas hostes. Quasi vero alienum sit ab exsultabundo vate,
denuo dicere quae ante dixerat! Quod evanescendi significatum
עָבַר verbo tribuimus, ratio est, quod quanto brevior est in ta-
libus sententia, tanto plus ponderis habet. Hinc Caesar: veni,
vidi, vici; non autem: veni, adventavi, simulatque vidi: vici.
Ceterum noli putare, quod hic memorantur *reges* impedimento
esse, quominus ad urbem Assyriorum obsidione exemtam
regnante Hiskia hunc Psalmum referas. Intelligendi enim sunt
reges foedere juncti Sanheribo ejusque subjecti imperio; cf.
6. 1 Reg. 20, 1. Jes. 10, 8. Jer. 34, 1. 2 Chron. 32, 4. — *Simul-
atque viderunt*, urbem puta: *Obstupuerunt, perculsi sunt, tre-
pide fugerunt.* כֵּן תָּמָהוּ רָאוּ pro כַּאֲשֶׁר רָאוּ E. gr. min. §. 609.
7. 628. G. gr. min. §. 152, 2, h. cf. Jes. 55, 9. — *Pavor pre-
hendit eos ibi, Tremor instar parturientis* i. e. qualis est
8. parturientis, vid. not. ad 18, 34. — *Vento orientali* i. e. vehe-
mentissimo *Confringit naves Tartessicas*, maximas quasque
(Jes. 2, 16.) i. e. tu, o Jova, quando vis, ingentes hostium vires
uno impetu ac nutu prosternis, vel, quum nihil obstet hoc nexu,
quominus תְּשַׁבֵּר verbo vim tribuas Perfecti: *vento orientali
confregisti naves T.*, uno impetu prostravisti ingentes hostium
vires; cf. Jes. 33, 21. 23., ubi de Sanheribi exercitu loquens
vates eadem *navis* utitur imagine. תְּשַׁבֵּר ad deum est referen-
dum; cf. vs. 2. 4. 10. Alii hunc versum arctius jungunt pro-
xime praegresso et quod nos pro 2. m. habemus תְּשַׁבֵּר pro 3. f.
habent referuntque ad ק׳ רוּחַ in hanc sententiam: (Pavor pre-
hendit eos ibi . .) velut *in vento* (11, 1.) *orientali*, qui *con-
fringit naves Tartessicas*, quae ratio ea de causa est rejicienda,
quod parturientis imagini turbinis imago male profecto jungitur.
Iterum alii verba ut nos struunt, sed proprie intellecta volunt
de Syrorum navibus tempestate, ut putant, deletis; de qua opi-
9. nione vide quae monuimus ad vs. 1. — *Quemadmodum audivi-
mus, ita vidimus*, re ipsa experti sumus *In urbe Jovae exer-*

citum, in urbe dei nostri: Deus confirmat eam in perpetuum.
Quod audivisse se dicunt, id nihil est aliud, quam quod in fine
versus legitur אֱלֹהִים יְכוֹנְנֶהָ עַד עוֹלָם. Quod, inquiunt, a ma-
joribus proditum est nobis, te nullo unquam tempore populo tuo
esse defuturum, id nos hodie sumus experti. Qui Syrorum
Ephraimitarumque expeditionem Psalmum respicere credunt,
כַּאֲשֶׁר שָׁמַעְנוּ ad Jes. 7, 4. referunt, ita ut quod eo loco pro-
missum est hic dicatur eventum habuisse. — *Recolimus, o deus,* 10.
gratiam tuam, hanc tuam liberationem ab hostibus *In templo
tuo.* — *Sicut nomen tuum, o deus, ita laus tua ad fines ter-* 11.
rae i. e. ut nomen tuum ubivis notum est, ita, ob tanta quae
patrasti facinora, ubivis laudabitur; *Justitia*, quam exerces
erga inique oppressos, *plena est dextera tua.* Aliorum prioris
hemistichii interpretatio haec est: fiat, ut nomine tuo, i. e. vir-
tutibus tuis, dignis ubique te efferant laudibus! Quem sensum
dubito an ferre possint verba. — *Laetatur mons Sionis, Ex-* 12.
sultant filiae Judae i. e. urbes et oppida Judae reliqua, proprie
enim ne capias בְּנוֹת יְהוּדָה impedire videtur nexus, *Propter
judicia tua*, quod causae nostrae te vindicem praebuisti. — Qui 13.
nunc invitantur ad considerandam urbem Hierosolymitanam haud-
quaquam opus est ut habeantur pro reliquorum, quae ante me-
moraverat, oppidorum incolis. Aeque recte ad cives Hierosoly-
mitanos haec dicuntur, clausos antea et quae ad radices moe-
nium turriumque ab hostibus gererentur rerum vix gnaros, jam
vero libere egredientes et accurate omnia lustrantes oculis. Hos
igitur invitat ad considerandam circumquaque, non ut nonnulli
somniant magnificentiam, quod ab hoc loco plane esset alienum,
sed integritatem potius urbis, contemplamini, inquiens, turres,
fossas, aedificia, visuri, omnia integra esse, eorumque, quae vi-
deritis, testes futuri posteris! *Obite Sionem*, urbem Sioniam,
et circuite eam, Narrate turres ejus, — *Advertite animum* 14.
vestrum ad fossam ejus, Discernite palatia ejus, attendite ad
ea, *Ut enarretis aetati posterae!* לְחֵילָה pro לְחֵילָהּ, quod
exhibent plures et scripti et editi libri, est positum omisso
Mappik, ut Jes. 23, 17. Exod. 9, 18. al. Possit etiam ָה esse
motus, ut in לִשְׁאֹלָה, לְמַעְלָה aliisque exemplis. Sed praestat
habere illud pro Suffixo, tum ob parallelismum, tum quod pro
Suffixo habuere et veteres interpretes. פַּסְּגוּ dubium sitne a di-
videndo, dissecando (פָּסַג) *gradi, ingredi* (i. q. vicinum פָּסַע),

an ab eodem illo dividendi significatu *discernere*, hinc *attendere*
15. (cf. בִּין). — *Nam hic est deus, deus noster*, nisi mavis: *Nam hic deus* (cf. ad 24, 8.) est *deus noster in sempiternum, Is ducet nos in perpetuum.* Quod receptum est עַל מוּת nonnulli *usque ad mortem*, alii *ultra mortem* volunt significare. Quae interpretationes vel propterea sunt rejiciendae, quod mortis commemoratio ab hoc loco aliena est. Alii pro praecepto musico habent coll. 9, 1. Sed ita deest apta conclusio. Mihi maxime probabilis videtur eorum conjectura, qui legi jubent עֹלָמוֹת (cf. E. gr. min. §. 373.) *in omnes aetates, perpetuo*, quod exhibent libri multi et expresserunt LXX εἰς τοὺς αἰῶνας, Vulg. *in saecula* al. Concinit hac ratione hemistichium prius, nec non versus noni membrum tertium.

1. PS. XLIX. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Corachitarum carmen.* Praemisso prooemio vs. 2—5., quo invitat ad carmen suum audiendum, duabus strophis 6—13. 14—21., quarum utraque idem argumentum persequitur eademque terminatur sententia, bono animo jubet esse pios conspecta felicitate atque insolentia impiorum, ut qui, quantumvis opibus polleant, tamen brevi tempore sint ex vita abituri, divitiarumque nominisque gloriae nihil relaturi in sepulcrum. Est igitur hujus carminis idem fere quod trigesimi septimi argumentum. Egregie falluntur, qui primariam totius carminis sententiam hanc esse putant, ut dicat vates, sperare se, quamquam peccati conscium, ut Jova suam animam salvet. Sperat vates, Jovam ipsum erepturum esse periculo mortis vs. 16. Peccatorum vero per totum carmen nec vola nec vestigium reperitur, nisi forte perverse explicueris
2. vs. 6., ubi vid. not. Aetatis indicium video nullum. — *Audite*
3. *hoc, omnes populi, Auscultate, omnes incolae mundi*, — *Tam ignobiles quam nobiles, Omnes, dives et pauper!* Inter בְּנֵי אָדָם et בְּנֵי אִישׁ non dixerim nihil discriminis esse. Contrarium enim praeter גַּם — גַּם, quod בְּנֵי אָדָם et בְּנֵי אִישׁ inter se opposita esse ostendit, docet parallelismus. Quod dicit: audite nobiles atque ignobiles, divites atque pauperes! ratio est, quod illorum exsultantem insolentiam vult comprimere, horum depres-
4. sum animum erigere atque confirmare. — *Os meum loquitur sapientiam, Et meditatio cordis mei est intelligentia.* Alii in posteriore hemistichio ex priore repetitum volunt יְדַבֵּר vel potius

תְדַבֵּר. Verum non convenit dici *meditationem* loqui. Alia ratio
esset, si omisso הָגוּת scriptum foret וְלִבִּי. — *Inclino ad carmen* 5.
aurem meam, ausculto sententiis, quas suggerit animus, cf.
45, 2., *Exordior cum harpa sententiam meam.* De כִּנּוֹר vid.
not. ad 33, 2. — *Cur timeam diebus adversis*, *Cum pravitas* 6.
insidiatorum meorum circumdat me (vid. ad vs. seq.), — *Qui* 7.
confidunt facultatibus suis, *Et multitudine divitiarum suarum*
glorientur? Versus sexti hemistichium posterius pendet ex בִּימֵי
רָע, quasi dicatur: בִּימֵי אֲשֶׁר עֲוֹן וגו׳ *Diebus ubi* (quibus) *pra-*
vitas cet. cf. E. gr. min. §. 494. עָקֵב Adj. verb. *insidians*,
insidiator (E. gr. min. §. 322.) ab עָקַב *supplantare*, *insidiari*,
quod ipsum est denom. ab עָקֵב *calx*, cujus radix est עָקַב (cf.
קָבַב, גָּבַב al.) *elatum esse instar gibbi* (cf. גֵּו, גַּו *dorsum* a גָּוָה).
Insidiatores vero, non *calces*, significare quod hic legitur עֲקֵבִים,
docet vs. 7., qui, si *calces* intelligis reddens: *cum culpa calcium*
meorum i. e. calcibus meis i. e. mihi inhaerens *circumdat me*,
vinculo cohaeret nullo et omni caret sensu, contra, si *insidia-*
tores: arctissime connivet. Quid? quod, si עֲוֹן עֲקֵבַי יְסֻבֵּנִי isto
modo reddis, versus 6. ne per se quidem sensum ullo modo
tolerabilem fundit! Quis enim, qui sanae mentis est, dicet, sibi
propter peccata sua nihil timendum esse? הַבֹּטְחִים vs. 7. appo-
sitione cohaeret cum עֲקֵבַי vs. 6. cf. 18, 13. 19, 11. 34, 13. al.
— *Fratrem non potest redimere* sc. auro suo ab orco, cf. vs. 8.
10 sq., *quisquam*, *Non potest dare deo*, in cujus potestate est
hominum vita, *pretium quo redimatur.* Objectum praepositum
est, ut saepius; E. gr. ampl. p. 635. G. gr. min. §. 142. Non-
nulli pro אָח legi volunt אַךְ coll. vs. 16., item יִפְדֶּה pro יִפְדֶּה
in hanc sententiam: *tamen non potest se redimere quisquam.*
Sed admodum leves sunt quas afferunt mutationis rationes. Pri-
mum monent, id agi hoc loco, ut dives *se ipsum* non posse
redimere dicatur. Sed eodem profecto redit, utrum neget ali-
quis, posse divitem se ipsum ab Acheronte redimere, an dicat,
non posse unum divitem redimere alterum. Deinde clamant,
debuisse pro אָח scribi אָחִיו. Quod non nego sed pernego.
Debebat אָחִיו scribi anteposito אִישׁ, non debebat postposito.
Ratio in promptu. Sed tantum abest, ut reperiatur aliquid,
cujus causa recepta scriptura sit rejicienda, ut quod vs. 9. le-
gitur נַפְשָׁם eam defendat atque tueatur. Quod in nonnullis li-
bris scriptum est אַךְ, ortum est ex vs. 16. Negationis praeter

consuetudinem Infinitivo absoluto praemissae exemplum vide
9. Gen. 3, 4. — Quae nunc dicit velut in parenthesi interposita
esse putant. Noli credere. Neque enim opus est, ut vs. 10.
referatur ad vs. 8., sed optime cohaerct cum vs. 9. *Et carum*
i. e. nimium, majus quam quis acquiescere potest, *est pretium
redemtionis animae eorum*, qui volunt ab orco se redimere, *Et
deficit in perpetuum*, nunquam potest acquiri pretium, quo
10. redimatur aliquis a morte, — *Ut vivat* aliquis *porro in sem-
piternum, Non videat foveam*, sepulcrum, moriatur. יֵקַר,
יֵיקַר 72, 14., יִיקַר 1 Sam. 18, 30. G. gr. ampl. p. 383 sq.
E. gr. ampl. p. 394. Verba וְחָדַל לְעוֹלָם plerique putant signi-
ficare *et desinit* ejusmodi dives *in perpetuum* sc. id agere, ut
vitam redimat ab orco. Sed quam nos proposuimus ratio ad
parallelismum est accommodatior. וִיחִי *ut vivat*. Est enim
Vav consecutivum praemissum Jussivo idem quod Latinorum *ut*
cum Conjunctivo; E. gr. min. §. 618. De nexu vide supra.
Nonnulli: *et si vivat* cet. (cf. E. l. l. §. 626.), quod alii referunt
ad vs. 9., alii ad vs. 11. Illi: *Carum est pretium redemtionis
animae eorum, Et desistit* ejusmodi dives *in perpetuum* a vano
animam redimendi conatu, *Et* si (etiamsi) *vivat porro in sem-
piternum* cet. Hi: *Et si vivat porro in sempiternum, Non
videat foveam* i. e. etiamsi vivat per annos quam plurimos, se-
pulcrum tanto tempore non viderit: *Sane videbit* cet. vs. 11.
Verum quis, cujus aperti sunt oculi, non intelligit ex כִּי יִרְאֶה
vs. 11., contineri versu decimo redemtionis *finem* et *consilium*?
11. — Nexus: Nemo potest vitam ab orco redimere (vs. 8.); nullum
unquam tam magnum acquiritur pretium, quo quis se redimat
(9.), ut semper vivat, foveam non videat (10.). *Nam*, vel ob
praegressam negationem: *sed* s. *imo videbit* eam! *Sapientes
moriuntur, Una stultus et brutus pereunt, Et relinquunt*
12. *aliis facultates suas*. — *Intimum* i. e. curae, vota *eorum sunt
domus eorum in perpetuum, Habitationes eorum in omnes ae-
tates* i. e. omne eorum studium positum est in eo, ut domus
sibi exstruant perpetuo duraturas, tanquam si numquam sint
interituri; *Celebrantur nomina eorum in terris*, ubivis terrarum
volitant per ora hominum. Plerique recentiorum interpretum
primi et secundi membri hunc sensum faciunt: cogitant, somniant,
domus suas nunquam interituras esse, quem sensum verba
non videntur ferre posse. Neque enim quod quis esse credit,

sed quod praeter omnia fieri vult, quod unice curat, ad quod omnes cogitationes intendit, exprimitur ista locutione; cf. 5, 10. al. Praeterea non satis aptus est ille sensus. Nam hominum agitur, non aedificiorum diuturnitas. Antiquorum interpretum plerique (ut LXX *οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν*, Vulg. *sepulcra eorum domus illorum*), recentiorum nonnulli pro קִרְבָּם malunt קִבְרָם in hunc sensum: *sepulcrum eorum* sunt *domus eorum in perpetuum* cet. i. e. sempiternae quas habitare volunt domus sunt sepulcra eorum; habitabunt sane, quibus tantopere delectantur, domus sempiternas, scilicet sepulcra! Qui sensus quamquam est elegans, eoque elegantior, quod sepulcrum dicitur בֵּית הָעוֹלָם (Eccl. 12, 5.), tamen non potest idonea causa videri, cur a vulgata scriptura recedas, ut quae et ipsa sensum fundat aptissimum. Accedit, quod admisso קִבְרָם quae tertio membro habentur ut relative accipias opus est hoc modo: *Quorum celebrata erant nomina in terris.* Ceterum קָרָא בְשֵׁם פ׳ est *celebrare nomen* alicujus ut Jes. 44, 5. al., קָֽרְאוּ vero impersonaliter est positum. — Dixerat vs. 12., quasi nunquam interituros id unum 13.
agere divites, ut aedes exstruant in sempiternum permansuras, nominisque consulant gloriae. Ad quae jam accommodatissime *Et tamen*, inquit, *homo in praestantia* i. e. utut vitae quandam aeternitatem somniet, palatia exstruat et gloria sui nominis orbem terrarum impleat, *non permanet*, *Similis redditur bestiis*, quae *exscinduntur*, pereunt, hanc communem cum bestiis sortem habet, ut pereat. וְ *et tamen*, vid. ad 2, 6. בִּיקָר coll. vs. 21. ad אָדָם referendum putamus, non tamen vehementer repugnaturi, si quis maluerit construere cum בַּל יָלִין. לִין *permanere*, ut 25, 13. al. Quod infra vs. 21. pro יָלִין habetur יָבִין, id nonnullos movit, ut hic quoque יָבִין reponendum putarent, praesertim quum ipsum ab Alexandrino quoque et Syro expressum vidissent. Sed vere Rosenmüllerus: „Eos interpretes ego non aliter, ac nos, suis in codicibus legisse, sed eandem, quam nostrates, conjecturam in vertendo sequutos esse puto, parum tamen mihi probabilem. Nam in hoc ipso, quod infra vs. 21. iisdem fere verbis, sed unius literae permutatione in alium sensum tractis, uteretur, poeta singulare quoddam artificium captasse videtur. Quod nemo mirabitur, qui meminerit, quantopere ejusmodi lusibus sibi placeant non Hebraeorum tantummodo, verum ceterorum etiam Orientalium poetae." Accedit, quod

quam bene conveniat יָלִין cum versu proxime praegresso vidimus
supra. כְּמֹשֶׁל בְּ E. gr. ampl. p. 613. נִדְמוּ sententia relativa
14. omisso אֲשֶׁר id. ibid. p. 646. — *Haec est sors eorum*, eorum
quibus stultitia est, istorum stultorum hominum, qui opibus suis
confidentes vitae quandam aeternitatem somniant (vs. 7 sqq.),
Et eorum qui *post illos* i. e. illos sequentes, illorum assentato-
res et parasiti *ore* i. e. sermonibus *eorum delectantur.* דֶּרֶךְ
passive de ratione, qua cum aliquo agitur, de *sorte*, quam quis
experitur, ut 37, 5. Quae subjiciuntur relative sunt accipienda.
וְאַחֲרֵיהֶם *et* eorum qui *post illos* sunt, i. e. qui illos sequuntur,
eorum vestigia legunt, non: eorum posteri, quod plane alienum.
Quae ab aliis aliae prolatae sunt interpretationes aut vim faciunt
15. verbis aut sensum praebent incommodum. — *Instar pecoris in
orcum transponuntur*, detruduntur, *Mors depascit*, consumit
eos, *Et calcant eos*, eorum tumulos *probi*, superstites eorum
tumulis insistunt probi, reportata de illorum machinationibus
victoria, *Brevi: et forma eorum* est *in consumtionem orci*,
brevi temporis momento forma eorum absumenda traditur orco,
Depulsa *ex domicilio suo*, ex magnificis istis aedibus, quas per
annos quam plurimos habitare speraverant isti fastuosi (vs. 12.).
Sic et linguae legibus et nexui congruenter explicandum putamus
versum misere sollicitatum ab interpretibus. שַׁתּוּ hic ut 73, 9.
i. q. שִׁית, cum לְ *ponere in* locum, cf. שִׁית בְּ *ponere in* loco
88, 7. in eadem re. שַׁתּוּ *ponunt* impers., ut supra vs. 12. קָרְאוּ,
sc. eos, cf. quod statim sequitur יִרְעֵם. Ad verba מָוֶת יִרְעֵם
rectissime Zschieschke (ceteroquin multa aliena docens): „Quae
in צֹאן latet imago, minime ita dilatanda videtur esse, ut שְׁאוֹל
pro caula, מָוֶת pro pastore accipiatur, quamquam non negave-
rim, יִרְעֵם illi imagini deberi. Nihil dicitur nisi: *mors eos de-
pascit*, devorat, interimit. Nam quid tandem eo efficitur, quod
mali tanquam oves proponuntur, quae in pascua a morte pastore
mittantur, curentur, foveantur? Omnis vis ac nervus huic ima-
gini deest.“ Quod dicitur כַּצֹּאן nihil aliud sibi vult, quam
quod vs. 13. et 21. dicitur נִמְשַׁל כַּבְּהֵמוֹת נִדְמוּ. רָדָה hoc loco,
ut Joel. 4, 13. primarium *calcandi* significatum habet. לַבֹּקֶר
mature, *cito*, *mox*, cf. 46, 6. 143, 8., trahendum est ad ea
quae subjiciuntur: *brevi: et* i. e. brevi fit, ut. צִיר, K'ri צוּר,
i. q. צוּרָה Ezech. 43, 11. *forma*, formae dignitas, pulchritudo,
ut recte viderunt Syr. Chald. Aqu. a *formandi* significatu, quem

צוּר verbum communem habet cum יָצַר. Quam eorum formam dicit esse לְבַלּוֹת שְׁאוֹל *ad absumendum*, in consumtionem *orci*, i. e. absumendam tradi orco, מִזְּבֻל לוֹ *ex domicilio* quod *ipsi* (formae) = מִזְּבֻלוֹ *ex domicilio suo*, ex splendidis in quibus olim spectandam se praebuisset aedibus depulsam, est enim praegnans quae dicitur constructio. Alii מִזְּבֻל לוֹ volunt esse *ita ut non sit domicilium ei.* Sed domicilium est orcus quoque. Alii: *propter domicilium* quod *ei* obtigit i. e. quod nunc in sepulcro jacet, ita ut hisce verbis causa indicetur consumtionis; qui sensus misere languet. Alii, qui cum מזבל לו conjunctum volunt שְׁאוֹל: *orcus est domicilium ei.* Horum autem alii מִן partitive positum credunt, quod artificiosius, alii ad suum arbitrium ex מִזְּבֻל faciunt מְזֻבָּל, quod idem esse jubent quod זְבוּל. De ea, quam nos dedimus, interpretatione, facili opinor et maxime apta ad rem (cf. vs. 12.) jam Alexandrinus et Syrus cogitasse videri possint. Sic enim illi interpretantur: *ἐκ τῆς δόξης αὐτῶν ἐξώσθησαν.* Ceterum צֹאן, *pecus ovillum*, *caprinum*, videtur mihi esse ex צְאוֹן a rad. צָאָה, arab. ضَأَى *vocem tenuem edere*, ضَؤُىَ *corpus tenue habere.* Similiter שֶׂה nomen unitatis, *ovem* et *capram* significans, esse putaverim a שָׂיַי, שָׂיָה, *exiguum*, *debilem*, *deformem* esse, coll. ejusdem significatus verbo arab. شَاهَ, a quo est شَاةٌ *ovis;* cf. etiam شَوَى et derivv.
— *Verumtamen deus redimet animam meam A manu*, potestate 16.
orci, *cum prehenderit me*, dum extinguuntur qui opibus suis
confidunt impii, me, cum in vitae periculum vocatus fuero, deus
eo liberabit; cf. 16, 10. Alii כִּי יִקָּחֵנִי ad deum referunt red-
duntque *nam suscipit*, tuetur *me*. Sed incertior est suscipiendi
significatus, et qui ex nostra interpretatione nascitur aptior sen-
sus, quandoquidem sic solum recte absolvitur sententia. — *Noli* 17.
timere, animo sollicito esse, *cum divitias fecerit*, dives factus
fuerit *quispiam*, *Cum creverit splendor domus ejus!* — *Neque* 18.
enim, *cum moritur*, *auferet*, secum tollet *quicquam*, cf. not. ad
Jer. 13, 12., *Non descendet* in orcum *post eum*, eum comitans
splendor ejus. — *Licet* (vid. ad vs. 20.) *animam suam*, se, 19.
in vita sua felicem praedicet, *Et celebrent te*, oratione subito
ad ipsum divitem conversa, *quod bene facias tibi*, benigne te
tractes, molliter te cures, genium non fraudes: — *Venies* tamen 20.
ad coetum patrum tuorum, venies tamen in orcum ad congre-

gatos ibi majores, Qui *in sempiternum non videbunt lucem*, non revertentur ad hanc solis lucem. כִּי particula positiva, originem ducens a כּוּן (ut יֵשׁ a יָשָׁה), decurtata ex כֵּין (ut אִי Job. 22, 30. ex אַיִן, cf. etiam כְּ ex כֵּן et אַךְ ex אָכֵן): 1) *est, profecto est* cet. 2) *sit, fac, jubeas esse*, hinc: *licet*, *quamquam*, ut 116, 10. aliisque de quibus olim secus visum est locis; cf. *Redslob* de כִּי particula. יוֹדֻךָ impers. ut קָרְאוּ vs. 12. דּוֹר h. l. ut Jes. 38, 12. *habitationem* significare putant. Apta tamen et vulgaris significatio *generis*, *stirpis*, *gentis*; cf. quod maxime frequentant נֶאֱסַף אֶל־עַמּוֹ, כ׳ אֶל־אֲבוֹתָיו *congregari ad populum suum, ad patres suos.* In אֲבוֹתָיו denuo mutat personam (cf. vs. 19.); debebat enim אֲבוֹתֶיךָ scribere, nisi forte, quod
21. non putaverim, Subjectum sententiae fecerit נַפְשׁוֹ. — *Homo in praestantia*, splendida fortuna utens, *et non intelligit* i. e. sed qui non est intelligens (cf. vs. 8 sqq.) *similis redditur bestiis*, quae *exscinduntur*, pereunt; cf. vs. 13.

1. PS. L. *Carmen Asaphi.* Nullius pretii esse externum dei cultum sine vera animi pietate. Esse hunc Psalmum expugnata Babylone in exsilio scriptum nuper est inconsiderate judicatum; cf. ad vs. 8. et 23. Strophae quatuor: vs. 1—6: exordium magnificum. 7—15: non sacrificia, quibus non indigeat, sed pietatem, fiduciam, animum gratum poscere deum. 16—21: aversari homines, qui, quum vitam vivant facinorosam, leges
2. divinas ore jactent. 22. 23: conclusio. — Loquentem inducturus Jovam vates eum sistit solemniter apparentem. *Deus*, *deus Jova loquitur*, *et vocat*, convocat *terram*, ejus incolas divini judicii futuros testes, cf. vs. 4., *Ab ortu solis usque ad occasum ejus.* אֵל אֱלֹהִים יְהוָֹה sunt qui reddant *deus deorum Jova.* Quod dicturum vatem probabiliter scripturum fuisse אֱלֹהֵי אֱלֹהִים יְיָ aut אֵל אֵלִים יְיָ, jam ad Jos. 22, 22., ubi eadem quae hic leguntur, monuimus coll. Deut. 10, 17. Dan. 11, 36. Pro eo quod nos *et vocat terram* interpretamur וַיִּקְרָא אָרֶץ, alii *et clamat*, resonat *terra* poni jubent, tum quod non liceat hic dici, quae vs. 4. demum dicantur, tum quod, si *et vocat terram* transferas, quae subjiciantur risum moveant. Quasi vero non ament Hebraeorum vates in capite carminum breviter dicere, quae postea fusius dicunt! Ridiculi vero quid habeat dicere *convocat deus terram*, ejus incolas, *ab ortu solis usque ad occasum*, equidem

plane non possum assequi. — *E Sione perfecte pulchro*, mon- 2.
tium omnium pulcherrimo *Deus exsplendet*, splendidissima luce
circumfusus apparet. Quemadmodum מִכְלַל יֹפִי hic dicitur Sion,
sic Thren. 2, 15. כְּלִילַת יֹפִי urbs Hierosolymitana; cf. etiam Ps.
48, 3. ibique not. הוֹפִיעַ de Jova apparente in splendidissima
luce, ut 80, 2. 94, 1. Deut. 33, 2. — *Venit deus noster, neque* 3.
est quod sileat, *Ignis*, fulgurum, *coram eo consumit* obvia
quaeque, cf. 18, 9., *Et circa eum tempestas saevit vehementer*,
cf. Exod. 19, 6. Non sine quadam elegantia in media adven-
tantis dei descriptione וְאַל יֶחֱרַשׁ *neque est quod sileat* (cf. 34, 6.
ibique not., 41, 3.) dicit. Sitne vero ad tonitruum iratum nu-
men comitantium fragorem illud referendum, an ad ipsum quod
deus in eo est ut exerceat judicium vs. 4 sqq., id dubium mihi
videtur. Verumtamen si quaeris, utrumque eodem redit. נִשְׂעֲרָה
neutraliter est positum, E. gr. ampl. p. 645. — *Advocat coelum* 4.
supra, *Et terram*, *ut* ipsis spectantibus *judicet populum suum*,
cf. vs. 1. et 6. — Loquitur jam deus. „*Congregate mihi pios* 5.
meos, cultores meos, *Qui inierunt foedus meum ad sacrificium*,
adhibito sacrificio." Quod dicit *pios meos* cet., id magnam
habet vim, q. d. congregate mihi Israelitas, visuro, sintne qui
honorifico cultorum meorum nomine utuntur, digni hoc nomine,
steterintque quod inierunt foedere. De origine locutionis כָּרַת
בְּרִית vide quae observavimus ad 44, 18. — Ad haec, priusquam 6.
ad judicium acceditur, vates respiciens vs. 1. et 4. dicta: *Atque
ita nuncient coeli*, cujus nunc testes futuri sunt, *justitiam ejus*,
Nam deus judicat ipse, qui iniquus esse non potest! Cum ju-
dicium nondum inceperit, facile est ad intelligendum, non recte
dici velut in parenthesi interposita esse haec verba, a plerisque
male intellecta. הוּא E. gr. min. §. 560. — Incipit nunc oratio 7.
Jovae populum judicantis. „*Audi, popule mi, ut loquar! Israel,
ut graviter te horter! Deus, deus tuus ego sum.* De שִׁמְעָה
וַאֲדַבְּרָה וגו' vid. G. gr. min. §. 126, 1. E. gr. min. §. 618. —
Non propter sacrificia tua, quasi ea mihi non offerres, *redarguo* 8.
te, *Et holocausta tua coram me* sunt *perpetuo*, perpetuo mihi
offeruntur. Nonnulli posterius hemistichium sic struunt: *Neque
ob holocausta tua*, quae *coram me* sunt *continuo*. Sed prior
ratio est simplicior. Non ob sacrificia (ex parte concremanda),
inquit, te reprehendo, ac si ea mihi deficerent, quippe quae
cumulate mihi offerantur, *Atque* etiam holocausta tua (concre-

manda tota) continuo mihi ob oculos sunt, continuo mihi video immolari. Perlucet ex hoc versu, ad exsilii tempora Psalmum referri non posse, quippe quibus omnis sacrificiorum cultus cessasset. Monet quidem recentiorum interpretum aliquis, quae hic memorentur sacrificia non necessario habenda esse pro sacrificiis, quae in praesenti offerrentur, verum hunc potius verbis subjici et posse et deberi sensum: „non propter sacrificia, quae olim obtulisti, aut quae dudum offerre desiisti, te reprehendo, ét holocausta tua, oblata a te olim, recenti memoria teneo," quemadmodum quae Jes. 49, 16. legantur חוֹמֹתַיִךְ נֶגְדִּי תָּמִיד nil nisi hoc significent: *moenia tua recenti memoria teneo.* Verum quid tandem est illud, ex quo cognoscitur, esse quod in Jes. l. l. legitur נֶגְדִּי תָּמִיד *haerent mihi in memoria?* Solus profecto nexus. At qui ibi est nexus, toto coelo differt ab eo qui hic obtinet. Quis enim, qui liber ab opinione praejudicata ad hunc Psalmum accesserit, non videbit statim, pura puta *praesentia* hic agi, viguisse, cum haec scriberentur, sacrificiorum cultum, stetisse integram cum templo Sioniam urbem (vs. 2.)? Quod ita esse tam clarum est, ut nullus dubitem, quin vir doctissimus id ipse viderit, nec nisi necessitate coactus statuerit aliter, utpote cum nonnullis, quae etiam in Jes. 40 sqq. leguntur, Psalmi sententiis sententiarumque frustulis moveri se passus esset, ut
9. ad eandem illum cum libro laudato aetatem referret. — *Nolo*
accipere, non opus habeo accipere *e domo tua juvencum,*
10. *E caulis tuis hircos.* — *Nam mihi* sunt *omnes ferae silvae,*
Bestiae in montibus millibus. הַרְרֵי אָלֶף ut מְתֵי, אַנְשֵׁי מִסְפָּר
מְעָט. Alii: *in montibus millium* sc. bestiarum, ubi millia degunt
11. animalia. — *Novi*, ideoque facile uti illis possum quoties voluero, *omnes aves montium*, *Et bestiae agri mecum* sunt, memoria eas teneo, sunt mihi notae, vel: in potestate mea sunt,
12. E. gr. ampl. p. 609. — *Si esurirem*, *non dicerem tibi*, *Nam*
13. *mihi* est *orbis et quidquid eum implet.* — *Num comedam car-*
14. *nem taurorum*, *Et sanguinem hircorum bibam?* — *Sacrificia* i. e. sacrificii loco offer *deo gratias* pro acceptis beneficiis, *Et persolve Altissimo vota tua*, praesta deo quam promisisti obedientiam! Plane adversatur argumento carminis eorum sententia, qui תּוֹדָה *sacrificium eucharisticum*, נְדָרִים *sacrificia ex voto*
15. *suscepta* significare volunt. — *Invoca me die calamitoso; Eri-*
16. *piam te, et honorabis me!"* — Finita reprehensione eorum, qui

superstitiosum sacrificiis cultum tribuerent, jam ad aliud hominum genus se convertit, improbos dico pietatis simulatores. *Et improbo dicit deus: „Quid tibi*, quid causae est, *quod enarras statuta mea*, legum mearum accuratam scientiam ostentas, *Et sumis foedus meum*, praecepta mea a vobis servanda *in os tuum*, jactas ea ore, — *Quum odio habeas disciplinam*, quam adhibet 17.
vobis lex mea, *Et conjicias verba mea post te*, ea proterve contemnas? וְאַתָּה *et tu* tamen, vid. ad 2, 6. — *Si vides fu-* 18.
rem, *delectaris consuetudine ejus; Et cum adulteris est pars tua* i. e. commercium tuum, habes commercium. גָּנַב *furari* emollitum videri possit ex גָּרַף *rapere, abripere.* נָאַף verbi primaria significatio quaerenda videtur in *vagando*, *evagando*, ut vicinum sit נוּף *huc illuc agitare.* — *Os tuum dimittis*, frenis 19.
quasi solutis, *in*, ad *malum*, *Et lingua tua nectit fraudem.* בְּרָעָה alii *cum malo* reddunt. — *Sedes*, una sedens cum nuga- 20.
toribus et obtrectatoribus *in*, contra *fratrem tuum loqueris*, *In*, adversus *filium matris tuae*, fratrem tuum uterinum *ponis offendiculum*, ei struis insidias. דֳּפִי *offendiculum*, in quo quis impingit, a דָּפָה, دَفَّ ferire, trudere ad labandum. Quae nominis significatio auctoritate firmatur Alexandrini, qui: κατὰ τοῦ υἱοῦ τῆς μητρός σου ἐτίθεις σκάνδαλον. — *Haec* talia *fecisti*, *et* 21.
silui; Cogitasti, *me esse tui similem: Redarguo te et propono tibi* id, ea quae fecisti, i. e. talia tua facinora cum aliquamdiu tacitus tulissem, opinio te tenuit, probare me tuam agendi rationem; quare te jam redarguo, contrarium tibi ostendo, facinora tua tibi objectans. הֱיוֹת אֶהְיֶה כָמוֹךָ oratio obliqua, ut Gen. 12, 13. ubi cf. not. הֱיוֹת Inf. constr. pro absoluto positus, E. gr. ampl. p. 565. עָרַךְ *proponere*, ut 5, 4. Objectum: אֲשֶׁר עָשִׂיתָ. — Epilogus, quo complectitur totius car- 22.
minis summam. Vs. 22. potissimum respicit improbos pietatis simulatores (16 sqq.), vs. 23. superstitioso sacrificiorum cultui deditos (7 sqq.). *Percipite dum hoc, obliti dei! Ne dilacerem, nemine liberante!* cf. 7, 3. נָא *quaeso*, *amabo*, *dum* ex Redslobii sententia propr. est particula negandi ex נוּא negare (quod emollitum credit ex נוּעַ nutare, quum quod nutet aliquid nihil esse videatur), quae negandi particula desiderative sumta abierit in particulam optandi. Ego vero nescio an rectius dicam esse a נָאָה, נָוָה, *sedit*, *bene sedit*, hinc *convenit*, *decuit*, *decorum*, *pulchrum fuit*, ita ut proprie significet *decet*, *belle! pulchre!*

mea i. e. ipsa natura ad peccandum proni sumus; culpam enim
ac peccatum pro pravis cupiditatibus posita esse neminem potest
latere nisi eum, qui praejudicati quid huc afferat; cf. vs. 12. 14.
8. יֶחֱמַתְנִי pro יְחֵמַתְנִי, cf. Jud. 5, 28. — *Ecce, integritate de-*
lectaris in renibus, vis esse integritatem in animo hominis, in-
tegrum, sanctum esse hominis animum: *Atque ita in occulto*,
in intimo animo *sapientiam doce me*, itaque animo meo sa-
pientiam tribue virtutis et pietatis magistram! cf. vs. 12. 14.
Alii אֱמֶת *sinceritatem* esse volunt, intelligendam de ingenua
delictorum confessione, ita ut oret vates, velit deus, qui de-
lectetur animo aperto atque ingenuo, ipsum recta intelligentia
imbuere, ut culpam suam agnoscat et confiteatur. Quod alienum
est a Psalmi consilio. Neque enim, ut deus animum suum ad
fatendum, quae deliquerit, pronum reddat, verum ut delicta
ignoscat sibi animumque tribuat omni perturbatione vacuum
atque constantem, hoc est quod petit vates hoc carmine. Quid?
quod vs. 5. *delicta sua se agnoscere* disertis verbis dixit! —
9. *Expia me hyssopo, ut purus evadam! Lava me, ut prae nive*
albescam! Quod dicit *expia me hyssopo* imago est petita a le-
proso, qui ex lege mundabatur adspersione hyssopi, sanguini
victimarum aut aquae lustrationis intincti Lev. 14, 4 sqq. Num.
19, 6. 18. שֶׁלֶג *nix* dicta videri possit ab *emittendo*, שֶׁלֶג =
שָׁלַח, quod flocci nivales tanquam tela ex coelo in terram emit-
tuntur, abjiciuntur; cf. שֶׁלַח *quod* in hostem *emittitur, missile,*
10. *telum* a שָׁלַח. — *Audire me fac gaudium et laetitiam*, fac ut
eum maximo meo gaudio audiam, a te delicta mihi esse condo-
nata! *Exsultent ossa*, quae *contrivisti*, fac, ut acerbissimi,
quos mihi fecisti, dolores vertantur in laetitiam maximam, de-
lictis a te mihi concessis! Dolores, quibus a deo se affectum
esse dicit, non sunt alii, quam quos ex delictis suis percipit
vates, utpote quos pro poena divina habeat; cf. 32, 3 sq., qui
locus ab hoc qui prae manibus est in eo tantum differt, quod
dolores, quibus ibi cruciatum se esse dicit vates, orti erant ex
eo, quod delictum confiteri noluerat. Ante תָּגֵלְנָה cur cogitando
supplere velint וְ, causam idoneam non video. דִּכִּיתָ relative
11. accipiendum. — *Obvela faciem tuam a peccatis meis*, noli ea
cernere, ne necesse habeas me punire, *Et omnes culpas meas*
12. *absterge!* cf. vs. 3. — *Cor purum*, animum pravis cupiditatibus
liberum *crea mihi, o deus! Et spiritum firmum renova in me*

i. e. et alium mihi animum redde, eumque constantem in virtutis
studio! — *Ne rejicias me a facie tua*, e conspectu tuo, i. e. 13.
ne repudies me, ne subtrahas mihi gratiam tuam, vid. not. ad
17, 15., *Et spiritum tuum sanctum* i. e. vim tuam divinam,
qua homines ad sapienter et sancte vivendum incitantur, ut
143, 10., *noli auferre a me!* Quum ad *spiritum divinum* quae-
vis indoles egregia, singulares ingenii dotes, virtutesque eximiae,
velut regiae (Jes. 11, 2 sqq.), referantur, nonnulli eo nomine hic
omnes illas animi ingeniique dotes comprehendi putant, quae ad
regiam potestatem recte exercendam necessarie essent, veluti
prudentiam in regendis moderandisque populis, fortitudinem ad
facta quaeque egregia aggredienda et perficienda: ita ut roget
vates, ne idem ipsi accidat, quod eum repudiaretur accidisset
Saulo, 1 Sam. 16, 13 sq. Quae sententia non propterea est re-
jicienda, quod, ut ajunt, alius sit *spiritus dei*, alius, qui hic
dicatur, *spiritus dei sanctus:* idem enim uterque est; verum
ea de causa, quod nostram interpretationem flagitat nexus; cf.
inprimis רוּחַ נָכוֹן vs. 12. et רוּחַ נְדִיבָה vs. 14. — *Redde mihi* 14.
gaudium auxilii tui, fac, ut de auxilio a te mihi lato iterum
laeter, *Et spiritu*, animo *promto* ad recte faciendum *sustenta*
me! סָמַךְ cum duplici Accusativo, ut Gen. 27, 37. — *Docebo* 15.
ad declarandos grati animi sensus *delinquentes vias tuas* i. e.
quas tu jubes nos ingredi vias, tibi probatam agendi rationem,
Et peccatores ad te revertentur, a me edocti. Similia vide
32, 8 sq. — *Libera me a culpa perpetratae caedis* i. e. con- 16.
dona mihi quod feci homicidium, *o deus*, *deus salutis meae!*
Jubilando celebret lingua mea gratiam tuam! דָּמִים, דָּם saepe
dici de *culpa caedis perpetratae*, res nota est. *Liberare* vero
ab hujusmodi culpa hic esse *condonare eam*, perlucet ex vs. 3 sqq.
9 sqq. Falsi igitur sunt, qui rogare vatem putant, ne permittat
deus, ut unquam sanguinem faciat, parricidio se inquinet. Nec
magis probanda est ratio eorum, qui דָּמִים existimant accipi
posse de *quavis culpa:* tam late enim vox illa nusquam patet.
Nihil probat quem laudant Jes. locus 4, 4. cf. ibid. 1, 15. 21.
תְּרַנֵּן capiendum ut תָּגֵלְנָה vs. 10. — *Domine, labia mea aperi*, 17.
ignoscendo mihi materiam mihi praebe te celebrandi., *Et os*
meum praedicabit laudem tuam! — *Neque enim amas sacrifi-* 18.
cium, *alioquin darem*, offerrem, E. gr. ampl. p. 653. min. §. 618.;
Holocausto non delectaris. De his et reliquis quae subjiciuntur

19. vide quae disputavimus ad vs. 1. 2. — *Sacrificia dei* i. e. deo
grata sunt *spiritus fractus*, animus poenitentia contritus; *Cor*
20. *fractum et contritum*, *o deus*, *non spernis*. — Additamentum
a recentiore manu adjectum, de quo vid. supra. *Benefac ex*
benevolentia tua Sioni! Aedifica muros Hierosolymorum, in-
21. staura urbem sanctam cum templo! — *Tunc delectaberis sacri-*
ficiis justis, legitimis, *Holocausto et sacrificio perfecto; Tunc*
adscendent in aram tuam offerentur in ara tua *juvenci*. כָּלִיל
non esse idem quod עוֹלָה, intelligitur ex eo, quod cum illo est
copula conjunctum. Videtur potius significare cujusvis generis
sacrificium perfectum, justum, legitimum. Concinunt quae le-
guntur Deut. 33, 10: Offerent *suffimentum* naso tuo, *Et sacri-*
ficium perfectum (וְכָלִיל) in ara tua. In 1 Sam. 7, 9. כָּלִיל vim
habet Adjectivi, referendi ad טְלֵה חָלָב, non ad עוֹלָה, in hanc
sententiam: tunc sumsit Samuel agnum lactentem, et obtulit
eum in holocaustum *totum*.

1. PS. LII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *carmen* (14, 1.)
2. *Davidis*, — compositum, *quum venisset Doëg*, *Idumaeus*, *et*
nunciasset Saulo, *et dixisset ei: venit Davides in domum*
Achimelechi (1 Sam. 22.). Inscriptioni quominus fidem habeas,
te impedient versus 9. et 10. Perstringitur potius homo talis,
qualis is fuit, in quem invehitur Jesaja 22, 16 sqq. aut Jeremia
20, 3. sq. Est trium stropharum carmen, quarum primae prae-
positum est thema. Vs. 3: a malitia tua, o scelerate, tuetur
me dei gratia. 4—6: perniciosa tu quidem meditaris. 7—9:
sed perdet te deus cum maximo omnium piorum gaudio. 10.
11: me vero tuetur dei gratia. Sunt qui quatuor strophas
faciant has: 4 sq. 6 sq. et sic porro. Quorum sententiae favet
סֶלָה appositum vs. 5. et 7.; non item sensus. Nam vs. 6. ma-
3. nifeste pertinet ad 4. et 5., vs. 7. vero ad 8 sq. — *Quid glo-*
riaris malitia, *tyranne?* *Gratia dei omni tempore* est, nun-
quam non exserit se. גִּבּוֹר in malam partem, ut arab. جَبَّار
4. superbus, contumax al. — *Perniciosa meditatur lingua tua*,
Instar novaculae acutae, quae gravissime vulnerat, cf. 64, 4.,
5. *o faciens dolum*, doli artifex! cf. vs. 6. — *Amas malum magis*
quam bonum, *Mendacium magis quam loqui rectum*. Quibus
verbis aulici hominis versutiam perstringit atque simulationem.
6. — *Amas verba perniciosissima quaeque*, *O lingua frauda-*

lenta! — *Etiam*, ideo etiam *deus destruet te in perpetuum*, 7.
Corripiet te et evellet te e tentorio, ex sede tua, deturbabit te
de statu tuo, de fortunis omnibus, *Et eradicabit*, exstirpabit
te e terra viventium; cf. Jes. 22, 17 sqq. גַּם ut Job. 7, 11.
In errore sunt, qui שֹׁרֵשׁ, a quo est שֵׁרֵשׁ, nomen primitivum
habent. שֹׁרֶשׁ *radix* dicta haud dubie a *reptando*, *scatendo*,
pullulando, שֵׁרַשׁ ; שָׁרַץ. — *Et videbunt* id, interitum istius 8.
tyranni, *justi*, pii, *et timebunt*, reverebuntur deum, bonae cau-
sae vindicem, majorem in modum, cf. 40, 4., *Istumque deri-
debunt.* — „*En virum*, qui *non fecit deum praesidium suum*, 9.
Et fiduciam collocavit in multitudine divitiarum suarum, *Valuit
pravitate sua!*" — *Et ego*, ego vero, 2, 6., *ut olea virens* 10.
sum *in domo dei*, mihi vero licet esse superstiti rebus prospere
procedentibus in coetu piorum Jovae cultorum; *Fiduciam col-
loco in gratia dei perpetuo.* Nonnulli *domo dei* nihil aliud
nisi *divinum praesidium* significari putant, qua ratione cur verba
extenuem, causam video nullam. Longe alia ratio est loci 36, 9.
Ad imaginem de *olea virente* petitam, quae optime respondet iis,
quae vs. 7. dixerat, cf. 1, 3. — *Celebrabo te in perpetuum*, 11.
quod praesentem s. potentem te exhibuisti, *Et exspectabo*
nomen tuum, *quod eximium* est, i. e. exspectabo eximiam tuam
potentiam et benignitatem semper paratam ad juvandum, *Coram
piis tuis*, praesentibus tuis cultoribus, ita ut illi testes sint
laudum quibus te efferam et certae quam in te repositam semper
habebo spei. עָשָׂה absolute positum, ut 37, 5. 22, 32., ubi vid.
not. שֵׁם יְיָ pro potentia et benignitate ad juvandum parata,
quae in deo esse creditur, ut 20, 2. al. Ex quo perlucet, quod
sequitur טוֹב esse *eximium*, *praestans*, ut 69, 17. 109, 21.
Alius interpres כִּי טוֹב cum נֶגֶד חֲסִידֶיךָ construendum putavit
in hunc sensum: *Nam salus s. felicitas est coram piis tuis*
i. e. nam res cultorum tuorum salvae sunt. Verum hoc dictu-
rus vates pro טוֹב נֶגֶד videtur טוֹב לְ vel טוֹב עִם vel simile
quid scripturus fuisse. Ad hoc cf. locus simillimus 54, 8:
אוֹדֶה שִׁמְךָ יְהוָֹה כִּי טוֹב, al.

PS. LIII. Hunc Psalmum simul enarravimus cum decimo quarto, ad quem lectores jam remittimus.

PS. LIV. *Praecentori* (4, 1.) *fidibus* canendum (ibid.) 1.
carmen (14, 1.) *Davidis*, — compositum, *quum venissent Si-* 2.

phenses et dixissent Saulo: en, Davides latitat apud nos. Cui
inscriptioni, ex parte ad verbum petitae ex 1 Sam. 23, 19., vel
hoc repugnat, quod qui in Psalmo memorantur adversarii vatis
sunt *barbari* (vs. 5.). Sed qua alia occasione editum sit hoc
carmen, quum in eo omnia sint generaliora, nemo facile dixerit.
Strophae duae: vs. 3 – 5: defende me, o deus, ab impiis bar-
baris, insidiantibus vitae meae! 6—9: spero precibus meis te
esse satisfacturum; quod ubi feceris, ego te efferam laudibus. —
3. *O deus, nomine tuo,* vid. ad 52, 11. 20, 2., *serva me, Et
potentia tua judica me,* age causam meam, ut 10, 18. 26, 1. al.
Quod primitivum habent שֵׁם videtur esse a שָׁמָה, arab. سَمَا
altus, elatus fuit, sustulit se, extulit se res ut conspicua eva-
serit e loco remoto, ita ut proprie significet formam rei e lon-
4. ginquo conspicuam, hinc *signum*, transl. *nomen.* — *O deus,*
5. *audi preces meas, Ausculta verbis oris mei!* — *Nam peregrini,*
barbari *surgunt contra me, Et violenti appetunt vitam meam,*
vitae meae insidiantur, *Non ponunt deum ante se,* ante oculos
suos, deum non curant; cf. 10, 4. 11. 13. Pro זָרִים Chald. et
nonnulli libri exhibent זֵדִים, quod vix dubium quin sumserint
ex loco parallelo 86, 14. Vulgatam enim tuetur parallelismus;
6. cf. Jes. 25, 5., cujus loci eadem est ratio. — *Ecce, deus est
adjutor mihi, Dominus inter eos qui sustentant vitam meam,*
quod eodem redit, ut si dixisset: dominus sustentat vitam meam.
Sic 118, 7: יְהוָה לִי בְּעֹזְרָי *Jova mihi est inter adjutores meos,*
me adjuvat, Jud. 11, 35: אַתְּ הָיִית בְּעֹכְרָי *tu es inter eos qui
perturbant me,* tu me perturbas. Nonnemo, dubites an serio:
7. *deus constat in sustentantibus vitam meam.* — *Revertetur* quod
mihi pararunt *malum in insidiatores meos,* cf. 7, 17., *Per
fidem tuam exscinde,* perde *eos!* Pro יָשׁוּב interpretes veteres
eorumque ad exemplum libri satis multi exprimunt יָשִׁיב *reddet,
retribuet* deus cet., quam scripturam nonnulli praeferendam pu-
tarunt. Sed luce clarius est, liberius tantum interpretatos esse
8. veteres. De שֹׁרֵר vide quae notavimus ad 5, 9. — *Lubenti
animo* pro tanto tuo in me collato beneficio *sacrificabo tibi,*
sacrificia tibi offeram, *Celebrabo nomen tuum, quod eximium,*
9. illustre est, vid. ad 52, 11., — *Quod ex omni calamitate eri-
puit me, Et hostes meos* spe frustratos *cum voluptate in-
tuetur oculus meus,* et quod interitu eorum oculos pascere mihi
licet.

PS. LV. *Praecentori* (4, 1.) *fidibus* canendum (ibid.) 1.
carmen (14, 1.) *Davidis*. Occasionem tamen huic Psalmo de-
disse videntur quae, quo tempore res Judaeorum ad finem ver-
gebant, Hierosolymitanam civitatem lacerabant discordiae inte-
stinae; cf. vs. 10 sqq. Versum secundum cum tertio sunt qui
prooemium efficere credant. Quibus quominus adsentiar, arctum
me impedit vinculum, quo cum tertio versu cohaeret quartus.
Strophae tres: vs. 2 — 9: audi, o Jova, a perditissimis homini-
bus in tantas me adductum angustias, ut, si possem, aufugerem
longissime! 10 — 16: plena est urbs violentia, certaminibus,
nequitia, miseria, oppressione, fraude, estque inter eos, a quibus
injurias patior, niger aliquis, quocum arctissimum mihi vinculum
fuit sanctioris necessitudinis. 17 — 24: quos perfidos, fraudu-
lentos, sanguinolentos ut perdas enixe rogo, speroque firmiter
te esse facturum. — *Audi, o deus, precationem meam*, *Et ne* 2.
abscondas te, noli te avertere *a supplicatione mea!* cf. 10, 1.
Quae in עָלַם verbo inest *abscondendi*, *occultandi* significatio,
nisi egregie fallor, orta est ex *convolvendi*, *complicandi* signi-
ficatu, qui inest in vicino גָּלַם. — *Attende ad me*, *et exaudi* 3.
me! Circumvagor in sollicitudine mea et tumultuor mente,
perturbatus est animus meus. רוּד, in Hiph. i. q. Kal, ut Gen.
27, 40., *ultro citroque vagari*, h. l. de eo, qui prae animi
anxietate nescit, quo se vertat, summa sollicitudine huc illuc
agitatur. שׂוּחַ, שִׂיחַ verbum, quum vicina habeat שׂוּךְ, שָׂבַךְ,
סָבַךְ al., propr. ut videtur, significat contractum, condensum esse,
hinc, relatum ad contractionem frontis, superciliorum: *meditari*,
cogitare, meditari voce: *loqui*, *canere*, *queri*, vs. 18. Hinc שִׂיחַ
nomen 1) significat *fruticem*, *virgultum*, 2) *meditationem*, etiam
tristem: *sollicitudinem* 142, 3. 1 Sam. 1, 16., et meditationem
in verba erumpentem: *sermonem*, *querelam*. הוּם de animi per-
turbatione est intelligendum. — Construenda haec sunt cum 4.
vs. 3., cujus rationem reddunt. *Ob vocem hostis*, hostium voces
comminantes, insultantes, *propter oppressionem improbi*, propter
injurias, quibus me afficiunt improbi; *Nam declinare faciunt*
super me, faciunt ut superveniat mihi *malum*, calamitas, *Et*
in ira, animo ira accenso *infestant me*. Alius אָוֶן maluit red-
dere *mendacium*, quod ad proxime praegressum עָקַת minus con-
venire videtur. Idem hunc versum construendum putavit cum
vs. 5. Cui structurae praeterquam quod ita 'כִּי יָמִיטוּ וגו tan-

quam in parenthesi interposita essent, obstat hoc, quod sic
structurum vatem vs. 5. pro לִבִּי יָחִיל opinor scripturum fuisse
5. יָחִיל לִבִּי praeposito verbo. — *Cor meum doloribus torquetur
in pectore meo*, *Et terrores mortis incidunt in me*, praesen-
tissimae mortis dolores me percellunt. אָיַם verbi, a quo est
אֵימָה, primaria potestas esse videtur in *commovendo*, *pertur-*
6. *bando*; cf. אוּם i. q. הוּם. — *Timor et tremor invadit me*, ir-
rumpit in me, *Et operit me*, me totum occupat et perfundit
horror. De grammatica ratione hemistichii prioris vid. E. gr.
7. ampl. p. 652. — *Atque ita*, hinc *dico: utinam mihi esset penna*,
ala, *instar columbae! Vellem avolare et habitare securus!*
Primariam אָבַר verbi significationem quaerunt in *enitendo in
altum*, coll. עָבַר (?), quam deinde translatam putant ad quamvis
vim et ἐνέργειαν, a propria significatione derivantes אֵבֶר, אֶבְרָה,
penna, ab impropria אָבִיר, אַבִּיר *validus*. Nescio an rectius
dicam, proprie אָבַר significare *tegere*, *protegere*, ut vicinum sit
אָפַר i. q. כָּפַר. A *tegendo* enim et *protegendo*, *muniendo* facil-
lime dicuntur et אֵבֶר, אֶבְרָה et אָבִיר, אַבִּיר. A *tegendo* dictum
et כָּנָף. Quod Job. 39, 26. legitur יַאֲבִיר *volare*, possit esse
denominativum ab אֵבֶר. De כַּיּוֹנָה vid. ad 18, 34. שָׁכַן ut
8. Jud. 5, 17. — *En, longissime fugerem, Commorarer in deserto;*
9. — *Accelerarem evasionem mihi Magis quam ventus rapidus,
quam procella*, i. e. celerius fugerem turbine et procella! Alii:
Festinarem (Hi. ut Jud. 20, 37.) *ad refugium* (מִפְלָט Acc. motus)
pro me Prae vento rapido, *prae procella*, i. e. prae hostium
furore atque impetu. Quam interpretationem prorsus damnandam
putamus his adducti rationibus. Ac primum quidem, si priore
hemistichio ad aliquod refugium festinaturum se esse diceret
vates, nihil aliud diceret, nisi quod ante dixerat. Deinde in-
gratum est, ne dicam ineptum, quod quis celeriter effugere vult
periculum comparari turbini, utpote quo nihil sit velocius. De-
nique misere languet ex ista interpretatione repetitio *prae vento
rapido*, *prae procella*, aptissima, si nostram sequeris explicatio-
nem. Ceterum סֹעָה Participium est verbi quod praeter hunc
locum non legitur סָעָה, ejusdem significationis, cujus est arab.
10. سعى *currere*. — *Perde*, *o domine*, *divide linguam eorum* i. e.
everte, o domine, turba adversariorum consilia: dividere enim
linguam eorum est facere, ut ipsi inter se dissentiant; *Video
enim violentiam et rixam in urbe*, injurias et certamina occu-

passa hanc urbem. פַּלַּג E. gr. ampl. p. 286. — *Diu et noctu* 11
circumeunt eam in muris ejus, *Et malum*, calamitas, *et ae-*
rumnae sunt *in medio ejus*. Subjectum verbi יְסוֹבְבֻהָ sunt *vio-*
lentia et *rixa* (vs. 10.). Verum custodibus eas comparari in
muris excubantibus, q. d. o felicem scilicet urbem, cui tales cu-
stodes ad muros positi sunt! equidem non dixerim. Neque enim
seorsum illa sed conjunctim cum reliquis aestimanda sunt, ex
quibus perlucet, nil nisi hoc dici hoc et eo qui subjicitur versu:
injurias, certamina cet. urbem occupasse *totam*. Eorum opinioni,
qui Subjectum faciunt adversarios vatis, repugnat hemistichium
posterius et vs. 12. — *Pernicies* est *in medio ejus*, *Nec re-* 12.
cedit a platea ejus oppressio et fraus; vid. ad vs. 11. — *Non* 13.
enim hostis manifestus (cf. vs. 14.) *probris me afficit: Alio-*
quin ferrem, alioquin ferri ea injuria utcunque posset; *Non*
osor meus apertus *contra me fastuose agit: Alioquin abscon-*
derem me ab eo. Quibus verbis non negat vates esse, qui aper-
tas inimicitias secum habeant, cf. vs. 4.; sed quod, quem ami-
cum putaverat, ejus nunc perfidiam experitur, id ita eum pungit,
ut hoc unum sentiat, et reliquorum offensiones pro nihilo re-
putet. Est igitur hujus loci eadem ratio, quam vidimus esse
51, 5. כִּי pendet ex בַּלַּע וגו' vs. 10. pariter atque eadem par-
ticula ejusdem versus hemistichio posteriore. De וְאֶשָּׂא, וְאֶסָּתֵר
vid. ad 51, 18. — *Sed tu*, *homo quem maximi putavi*, *Fami-* 14.
liaris meus et notus meus. Quum עֵרֶךְ *aestimatio*, etiam pro
pretio dicatur, quo aestimanda est res, אֱנוֹשׁ כְּעֶרְכִּי interpretan-
tur *homo secundum meum pretium*, mei pretii, quod alii ob-
jective capiunt, ut sit *homo mihi similis*, alii subjective intelli-
gunt, ut significetur *homo quem ego mihi ipsi aequiparo*.
Uterque ingratus mihi sensus videtur. Aut *homo secundum meum*
ordinem (quae est primaria significatio), homo mei ordinis, meae
conditionis est reddendum, aut convenienter ad Lev. 5, 15. al.
homo secundum meam aestimationem, i. e. qualis ex mea aesti-
matione aliquis esse debet, i. e. h. l. quem ego tanti quanti vix
quemquam faciebam. — *Qui una dulcem reddebamus familiari-* 15.
tatem i. e. qui dulci familiaritate conjuncti inter nos eramus,
In domum dei ibamus, locum deo sacrum frequentabamus *in*
turba, populi frequentia ac multitudine. רֶגֶשׁ, רִגְשָׁה propr.
strepitus, hinc *turba strepens*, multitudo hominum, ut הָמוֹן ab
הָמָה. Quod a בָּכָה derivant בַּיִת nescio an sit referendum ad

בּוּת, propr., opinor, abscindere, abrumpere, perficere, et relatum ad iter: *conficere iter*, ut vicinum sit בָּתַת, بَتَّ, hinc syr. chald. ar. *commorari*, *manere* (cf. גּוּר, דּוּר), *pernoctare*. Ita autem ut statuam me movet Pluralis בָּתִּים referendus ad בָּתַת; cf. אָח *frater* ab אָחַח, ejusdemque Pluralis אַחִים ab אָחַח, أَحَّ *ardere*, *flagrare*. Sic vero בַּיִת propr. idem fere significaverit, quod
16. nostrates dicunt *Weiler*. — *Exitium super illos!* superveniat illis exitium! *Descendant*, detrudantur *in orcum viventes*, subito, praeter opinionem! *Nam prava* sunt *in domo eorum*, *in pectore eorum*, pravi sunt extrinsecus et intrinsecus, toti perditi sunt. Pro יְשִׁימוֹת עָלֵימוֹ *desolationes*, exitium *super illos!* Masorethae legi jubent יַשִּׁי מָוֶת עָלֵימוֹ *decipiat* (יַשִּׁי posito pro יַשִּׁיא E. gr. ampl. p. 481.) *mors* et obruat *eos*, inopinantes opprimat! quod idem exhibent libri plurimi et expresserunt veterum plerique, recipiendumque putarunt recentiorum tantum non omnes. Verissime tamen Koesterus יַשִּׁי מָוֶת non nisi conjecturam esse su-
17. spicatus est, ortam ex conformandi studio. — *Ego ad deum*
18. *clamo*, *Et Jova servabit me*. — *Vespere et mane et meridie* i. e. continuo *queror* (vid. ad vs. 3.) *et tumultuor* animo, *Et audiet vocem meam*. Quae ab etymologis in lexicis proferuntur *quatuor* (!) verba עָרַב cuncta ad unam eandemque radicem revocanda sunt. עָרַב 1) est *texere*, *intexere*, cf. vicinum אָרַב (עֵרֶב *subtemen*), hinc *miscere*, *admiscere* (עָרַב, עֵרֶב coll. *turba admixta: homines peregrini, alienigenae*), *miscere* i. e. *permutare* merces: *mercaturam facere* merces permutando (מַעֲרָב quae permutantur *merces*), *miscere* res, causam: *sponsionem facere* et *pignerare* (עֲרֻבָּה *sponsio*, *pignus*, תַּעֲרֻבָה *sponsio*, *vadimonium*, עֵרָבוֹן *pignus*), med. E.: *bene temperatum esse: dulcem, suavem esse* (עָרֵב *dulcis, suavis*); 2) miscendi notione *ad lucem* translata: *subalbum esse*, *albescere*, *vesperascere*, hinc *occidere*, de sole, (עֲרָבָה *salix* a foliis subalbis dicta, עֶרֶב *vespera*, propr. das *Grauen*, מַעֲרָב *occidens*, עֲרָב *Arabia* et עֲרָבָה *desertum*, a solo arido et subalbo, עָרֹב *muscae* species et עֹרֵב *corvus*, et ipsa a colore cano, ravo). Esse quae modo nominavimus nomina cuncta a colore subalbo dicta, intellexit, ut nunc video etiam (qui in nonnullis aliis, in quibus suis oculis uti ausus est, mirum quantum a vero aberravit, velut in בָּשָׂר et עֲנָת, vid. ad 35, 13. 40, 10.) *Biesenthalius*; sed canescendi significatum ad

miscendi significationem referendum esse, latuit et ipsum. —
Liberat, liberabit *cum salute* i. e. salutem afferens *animam meam* 19.
a pugna mihi pugnanda, *Nam in multis* i. e. magno numero
sunt adversarii mei circa me. בְּשָׁלוֹם alii *in salutem* interpre-
tantur, coll. 50, 19. Sed quum פָּדָה non sit verbum motus,
praeferendum videtur quod supra dedimus. מִקֲּרָב־לִי mutatis
mutandis accipiendum ut בַּצַּר־לִי 18, 7. hoc est ita, ut redda-
tur *a pugna quae mihi est*, mea, mihi pugnanda. Alii: *ne*
appropinquent ad me. Sed recte alii post פָּדָה gravius quid
exspectari monuerunt. בְּרַבִּים *in multis* constantes, multi nu-
mero, ut Deut. 28, 62. בִּמְתֵי מְעָט *in paucis* constantes, numero
pauci. עִמָּדִי *apud me*, mihi imminentes. — *Audiet* me, meas 20.
preces (cf. vs. 18.) *deus et affliget eos*, adversarios meos, *Et*
solio insidet i. e. quippe qui, ille, inquam, qui solio insidet judex
ac dominus *aeternum*, *Eos quibus non sunt mutationes*, qui
non mutant se, suam agendi rationem, *Non timent deum.* Prae-
missa יֹשֵׁב voci copula annectit sententiam causalem. יֹשֵׁב ab-
solute ut 61, 8. al. יֹשֵׁב pro Verbo finito est positum. קֶדֶם
Acc. חֲלִיפוֹת unus ex recentioribus esse vult *fidem in servando*
pacto, *amicitiam sinceram*, i. q. arab. حِلْفٌ, coll. vs. 21. Modo
faveret usus loquendi! Hebraica enim vox non nisi *mutationem*
et alternas vices exprimit, qui significatus pertinent ad خَلَفَ,
non ad حَلَفَ, ex qua est illud حِلْفٌ. — *Emittit* ejusmodi 21.
homo *manus suas in amicos suos*, infert iis manus, vim, *Dis-*
solvit, rumpit *foedus suum*. — *Laeves sunt dulcedines oris ejus*, 22.
Et tamen bellum est cor ejus; Leniora sunt verba ejus oleo,
Et tamen illa sunt gladii stricti. Pro מַחְמָאֹת scribendum vi-
detur מַחְמְאֹת stat. constr. plur. nominis quod praeter hunc lo-
cum non legitur מַחֲמָאָה *massa floris lactis* ex חֶמְאָה. Sed haud
scio an rectius legam מֵחֲמָאֹת, ita ut מ sit particula compara-
tiva, חֲמָאֹת vero Pluralis חֶמְאָה nominis, in hanc sententiam:
laeviores sunt floribus lactis quoad os suum. Favet parallelis-
mus (רַכּוּ דְבָרָיו מִשֶּׁמֶן) et quod praeiverunt Chald. et Syr. qui:
λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν. Alii eundem hunc
sensum faciunt nulla facta mutatione, מַחֲמָאֹת scriptum putantes
pro מֵחֲמָאֹת, cujus scriptionis idonea desunt exempla. — *Con-* 23.
jice in Jovam, curae ejus committe *sortem tuam: Et is susten-*

tabit te, *Non concedet in perpetuum nutare probo*, non permittet ut in perpetuum accidat periclitans conditio homini probo, non sinet pios perpetuis conflictari malis. Ad תַּשְׁלֵךְ וגו׳ cf. 37, 5. יְהָבְךָ nonnulli id quod *dedit tibi*, tibi imposuit esse volunt, ita ut dictum habeant pro אֲשֶׁר יָהַב לְךָ, quod perdurum. Rectius alii יְהָב nomen esse judicant formae קְרָב vs. 19. 22. Verum quod *curam* illud significare credunt, coll. יָאַב *desiderare*, in eo et ipsi errare mihi videntur, licet haud nihil roboris accipiat ipsorum interpretatio a LXX, Syr. et Vulg. qui μέριμναν, *curam* exprimunt. Neque enim opus est confugere ad יָאַב, quum commodum significatum praebeat domestica יְהָב verbi significatio. Potest enim יְהָב significare id quod datum, assignatum est alicui, id est *sors*, i. q. chald. יְהָבָא, quod positum
24. reperitur pro hebr. מְנָת *pars, portio*. — *Et tu, deus, descendere facies, detrudes eos in foveam sepulcri; Viri sanguinolenti ac fraudulenti non divident dies suos*, vix dimidiam vitae partem attingent, cf. 102, 25. Prov. 10, 7.; *Ego vero fiduciam colloco in te.*

1. PS. LVI. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* instrumenti *Jonath-Elem-Rechogim* i. e. *columba muta remotorum* dicti (6, 1.) *Davidis carmen* (16, 1.), compositum, *quum comprehendissent eum Philisthaei Gathae* (1 Sam. 21, 11 sqq.). Ista *columba muta remotorum* possit esse populus Israelitarum exsul; cf. תּוֹר 74, 19. Apta est haec instrumenti significatio etiam ad argumentum Psalmi, ut quem probabile sit factum esse non a Davide ea quam pars posterior inscriptionis memorat occasione, sed ab alio qui in exsilio degeret Judaeo; cf. vs. 8. 9. Strophae tres, quarum prima vs. 2 — 5. et secunda 6 — 12. canit mala quae patiatur vates ab adversariis vitae suae insidiantibus ac spem quam repositam habet in Jova, tertia vs. 13 — 14. li-
2. berati a periculo gratias. — *Miserere mei, o deus! Nam inhiat mihi*, sanguinem meum sitit *homo*, *Quotidie impugnans opprimit*
3. *me*. אֱנוֹשׁ collective est positum; cf. vs. 3. 6 sqq. — *Inhiant insidiatores mei quotidie, Nam multi impugnant me insolenter.*
4. De שׁוֹרְרַי vid. ad 5, 9. מָרוֹם Adv. — *Quo die timeo*, quo tempore me invadit timor, *Ego in te fiduciam colloco*. יוֹם
5. Acc. (i. q. בְּיוֹם) et stat. constr. E. gr. min. §. 494. — *Deo glorior, verbo ejus; In deo fiduciam colloco, non timeo: Quid faciet caro mihi*, quid homines imbecilles contra me efficient?

Ante דְּבָרוֹ cogitatione repetendum est בְּ. דְּבַר אֱלֹהִים *verbum*
dei est ejus *lex*, de qua medios inter barbaros gloriabatur pius
Jovae cultor. Alii: *deo glorior*, *promisso ejus*, promisso ab eo
auxilio. Alii: *in deo glorior promisso ejus*. Alii: *cum deo*,
juvante deo *glorior verbum ejus*, volentes prophetam fuisse, qui
composuit hoc carmen. Nobis ea quam supra dedimus interpre-
tatio simplicissima omnium et maxime apta videtur; cf. Psalmi
44., qui et ipse in exsilio est compositus, vs. 9: בֵּאלֹהִים הִלַּלְנוּ
כָל־הַיּוֹם, et Ps. 16. totus. בָּשָׂר i. q. אָדָם vs. 12. — *Quoti-* 6.
die res meas affligunt (cf. Jes. 63, 10.), violant, laedunt; *Ad-*
versus me omnia consilia eorum ad malum sunt, id unum agunt,
ut pestem mihi machinentur. — *Deflectunt a via*, delitescunt, 7.
insidiantur; *Illi calces meas*, vestigia mea *observant*, *Quan-*
doquidem exspectant animam meam, inhiant, appetunt vitam
meam. גּוּר verbum, nisi fallor, hoc loco et 59, 4. primario
deflectendi a via significatu gaudet, quo nihil aptius esse potest
ad utrumque locum; cf. 10, 8. 9. Pro יִצְפִּינוּ praeter necessi-
tatem Masorethae legi volunt יִצְפּוֹנוּ; cf. Exod. 2, 3. Job. 14, 13.
Ad קִוּוּ cf. 119, 95. — *Propter mendacium evasio illis*, sciunt 8.
ex suppliciis, quibus digni sunt, se eripere versutia sua; *In*
ira populos deturba, *o deus*, itaque ut spe sua frustrentur bar-
baros de statu suo deturba, o deus! Hemistichium prius ple-
rique sic sunt interpretati: *In nequitia* (propr. *apud nequitiam*)
evasio illis? i. e. eritne impunita haec eorum nequitia? siccine
abibit eorum nequitia? Verum ubi non expressa est interro-
gandi particula, ibi interrogatio non supponenda est, nisi si
plane sit necessaria. Alius פַּלֶּט pro פַּלֵּס positum vult in hunc
sensum: *secundum nequitiam appende illis!* Non male, sed
praeter necessitatem. עַמִּים temere nonnulli in universum *homi-*
nes significare volunt. Nulla enim cur ab usitata significatione
recedas adest causa. — *Exsilium meum*, exsilii mei dies vel 9.
annos *numerasti tu*; *Pone lacrymas meas in utre tuo*, excipe
eas quasi utre, ne pereant, i. e. earum memor esto! *Nonne in*
libro tuo sunt, consignatae sunt illae? i. e. en consignatae sunt
eot. נֹד alius ad *animi perturbationem* refert (vid. lex.), ad
quam *numerandi* verbum minus convenit. סָפַרְתָּה אָתָּה plures
invita grammatica reddunt *numera tu!* putantes abhorrere Prae-
teritum ab Imperativo שִׂימָה. Quod non putassent, si respexis-
sent membrum tertium, cujus eadem est ratio. Spem exprimit

vates, memorem esse deum annorum exsilii sui. Spei subjicit
preces, preces iterum excipit spes. Imagini ab *utre* (נֹאד) petitae
10. occasionem dedisse videtur vox consona נֹד. — *Tunc*, si mei
rationem habueris (vs. 9.) *convertentur hostes mei retrorsum,*
cum clamavero; Hoc scio, deum esse pro me, stare pro me.
11. — *Deo glorior*, verbo divino; *De Jova glorior, verbo* divino;
12. cf. vs. 5. דָּבָר absol. pro דְּבַר אֱלֹהִים. — *In deo fiduciam col-*
13. *loca, non timeo: Quid faciet homo mihi?* cf. vs. 5. — His
liberatus periculo vates adjecit haec: *Super me* sunt, incumbunt
mihi, *o deus, vota tua*, meum jam est solvere vota tibi facta;
Solvam sacrificia eucharistica tibi! עַל ut in זִבְחֵי שְׁלָמִים עָלָי
14. Prov. 7, 14. תּוֹדֹת pro זֶבַח תּוֹדָה ut Jer. 33, 11. — *Nam libe-*
rasti animam meam a morte, En, pedes meos ab impulsione
ad lapsum, me ab eversione, pernicie, *Ut ambulem coram deo*,
vitam porro agam deo placentem *in luce viventium*, inter vivos,
in hac terra.

1. PS. LVII. *Praecentori* (4, 1.) canendum ad modos car-
minis cujus initium est אַל תַּשְׁחֵת *ne perdas* (6, 1.) *Davidis*
carmen (16, 1.), compositum, *quum fugisset coram Saulo in*
speluncam (cf. 1 Sam. 22, 1. 24, 1.). Quod hic memoratur
canticum ab אַל תַּשְׁחֵת incipiens, ad cujus modos hic Psalmus
sit canendus, esse possint quae Deut. 9, 26 sqq. leguntur preces
Mosaicae incipientes ab אַל תַּשְׁחֵת עַמְּךָ, ut quae facile ad can-
tum sacrum adhibitae esse possint. Videtur ab eodem hic Psal-
mus editus esse, a quo est proxime praegressus; cf. inprimis
56, 5. 11. 12. et 57, 6. 12. Strophae duae: vs. 2—6: ab ho-
minibus violentis, perniciosis, malignis, fraudulentis, o deus, me
libera, 7—12: immensam tuam benignitatem maximis celebra-
2. turum laudibus! — *Miserere mei, o deus, miserere mei! Nam*
ad te confugit anima mea; Et in umbram alarum tuarum
confugio, Dum transeat pernicies. חָסָיָה ante pausam, ut נָטָיוּ
73, 2. (K'ri), יִשְׁלָיוּ 122, 6. cf. ad 36, 8. De *umbra alarum*
3. cf. ad 17, 8. De יַעֲבֹר G. gr. min. §. 144. — *Clamo ad deum,*
altissimum, Ad deum, qui perficiet rem *pro me*, causam meam
aget. גֹּמֵר *perficere, absolvere*, hoc loco et 138, 8. In qua
significatione, cum apud Aramaeos fere aeque frequentetur atque
intransitiva significatio, in recentiore potissimum Psalmo ad-
quiescendum est. עַל ut post verba protegendi, defendendi, in-
tercedendi, E. gr. min. §. 531. 1, β. Hinc etiam construitur

cum בְּעַד *circa* 138, 8. cf. praeter alia הִתְפַּלֵּל cum עַל et בְּעַד. —
Mittet de coelis sc. id quod tertio membro sequitur, *et servabit* 4.
me, Probris afficit inhiantem mihi, Mittet deus gratiam suam
et fidem suam. Ad prius יִשְׁלַח nonnulli cogitando supplent יָדוֹ
coll. 18, 17. Ibi tamen subjicitur *et prehendet me* cet.; hic
nihil tale: imo interjectis aliis repetitur יִשְׁלַח addito objecto
חַסְדּוֹ וַאֲמִתּוֹ. Maxime igitur probabile est, hoc ipsum objectum
vati jam ab initio in mente fuisse. De חֵרֵף Praeterito vid. E.
gr. min. §. 616. Alii: *et servabit me*, is, quem *probris afficit*
inhians mihi, quod cum non proxime praecedat אֱלֹהִים, durius
mihi videtur. — *Anima mea* est i. e. ego sum, cf. membrum 5.
quod sequitur, *inter medios leones*, homines saevos, *Cubo*, ha-
bito *inter flammantes*, inter homines qui flammas spirant, furi-
bundos; *Inter homines, quorum dentes* sunt *hasta et sagittae,*
Et quorum lingua est *gladius acutus* i. e. inter barbaros im-
manes et malignos. לְבִי, לָבִיא *leo* non, ut alii volunt, a *ru-*
giendo est dictus, verum a *lingendo*, *lambendo* (praedam, quam,
priusquam lacerent, diutius lambunt non sine magna voluptate
leones), coll. לַהַב. Sic idem אֲרִי dicitur a *carpendo*. Leonibus
comparatos hostes vidimus 7, 3. 10, 9. 22, 14. 17. 22. al. Apta
si quae alia saevi leonis imago ad eos qui ignem et flammas
spirant, furibundos. לֹהֲטִים est Accusativus, quocum hic con-
struitur שָׁכַב ut alibi שָׁכַן, גּוּר. Errant enim, qui cogitatione
repeti posse putant בְּתוֹךְ, ut quod, cum nova sententia ordiatur
proprio munita verbo, repeti nullo modo possit. — *Effer te,* 6.
potentem te praebe, me liberando, *super coelos, o deus! Super*
omnem terram sit *gloria tua!* — *Rete parant gressibus meis:* 7.
Incurvat se anima mea, jam in eo sum ut succumbam; *Fodiunt*
coram me foveam: Incidunt in eam ipsi. כָּפַף intransitive hic
positum; cf. שָׁחַח 10, 10. De genere vid. G. gr. min. §. 144.
Recentiorum aliquis pro נַפְשִׁי legit נַפְשׁוֹ in hanc sententiam:
incurvat se ipse, hostis. Putat enim, נַפְשִׁי si legatur, repugnare
quod in fine est נָפְלוּ בְתוֹכָהּ. Sed aliud est *cadere*, aliud *in-*
curvare se, prope abesse a casu. Ceterum cf. 7, 16. — *Fir-* 8.
mum, intrepidum est *cor meum, o deus, firmum* est *cor meum!*
Canam voce et fidibus! — *Expergiscere, anima mea! Exper-* 9.
giscere, lyra et harpa! Vigilabo cum aurora! De כְּבוֹדִי vid.
ad Gen. 49, 6. De נֵבֶל et כִּנּוֹר ad Ps. 33, 2. Articulus נֵבֶל
voci praemissus pertinet etiam ad כִּנּוֹר. שָׁחַר Acc. — *Celebrabo* 10.

11. *te inter populos, domine, Canam te inter nationes.* — *Num
magna usque ad coelos est gratia tua, Et usque ad nubes
12. fides tua;* cf. 36, 6. — *Effer te super coelos, o deus! Super
omnem terram* sit *gloria tua!* cf. vs. 6.

1. PS. LVIII. *Praecentori* (4, 1.) canendum ad modos carminis cujus initium est אַל תַּשְׁחֵת *ne perdas* (6, 1. 57, 1.) *Davidis carmen* (16, 1.). Invehitur hic Psalmus in judices injustos, quales perstringuntur Jes. 3, 14 sq. 10, 1 sqq. al. Strophae tres: vs. 2 — 6: injustos judices 7 — 10: puni, o deus, 11. 12:
2. cum summo omnium proborum gaudio! — *Num revera quod lege constitutum, quod justum est loquimini, Recte judicatis, o homines?* Difficilior explicatu est אֵלֶם vox. Plerique *silentium* significare putant, qui tamen et ipsi in diversas sententias discedunt. Secundum nonnullos Nomen hoc appositione cohaeret cum Subjecto sententiae, estque abstractum positum pro concreto in hanc sententiam: *num revera silentes justitiam loqui vultis?* q. d. egregios vero judices, qui tacendo jus dicunt, qui, cum debeant jus dicere, tacent! Quae interpretatio justo artificiosior mihi videtur. Alii: *num revera silentium justitiae* est? silet justitia? *Loquimini!* rumpite tandem turpe silentium! loquimini ubi est loquendum, jus dicite ubi est dicendum! Quae explicatio eo laborat, quod hoc dicturus vates pro Imperfectis תְּדַבֵּרוּן, תִּשְׁפְּטוּ sine dubio usurus fuisset Imperativis. Alii: *num revera silentium justitiae loquimini?* quod esse volunt: num revera justitia, quae tamdiu siluit et obmutuisse videtur, utimini in decretis vestris? Putant enim illi, *silentium justitiae* esse justitiam, quae obmutuerit, et in locutione *justitiam mutam loqui* esse ὀξύμωρον. Qui interpretes caveant sibi, ne quis ὀξυμώρου quid inesse dicat in ipsorum interpretatione. Posse quandoque dici *silentium justitiae* pro justitia quae sileat, nemo negabit. Sed quis qui voluerit intelligi dicet *loqui silentium* justitiae? Vide, an non, cum אֵלֶם verbi primaria significatio quaerenda sit in *ligando*, אֵלֶם h. l. significare possit pactum, foedus, hinc quod *publico jure sancitum* est, coll. אֱסָר obligatio ab אָסַר ligare al., عَقْدٌ pactum, foedus, عُقْدَةٌ obligatio, عَقِيدَةٌ fides al. ab عَقَدَ nodare, contexere, in eum quem supra fecimus sensum. Nonnulli אֵלִם *o dii* i. e. judices legi jubent, alii אֻלָם coll. LXX et Vulg. qui ἄρα, *utique*. מֵישָׁרִים Acc. adv. ut 17, 2. בְּנֵי אָדָם

Vocativus. Sed qui אֵלֶם legunt, pro Acc. habent. — *Imo vero* 3.
in corde, animo *prava molimini*, *In terra violentiam manuum*
vestrarum appendistis. Appendere est judicis. אַף ut 44, 10.
— *Deflectunt* a recto *improbi inde ab utero*, *Errant* a vir- 4.
tutis tramite *inde ab utero loquentes mendacium*. Sensus: pra-
vitas iis quasi innata est, ipsa quasi natura ad prave agendum
proni sunt; cf. 51, 7. — *Venenum* est *iis instar veneni ser-* 5.
pentis, *Instar viperae surdae*, quae *obturat aurem suam*, —
Quae non obtemperat voci incantatorum, *Ligantis nodos ma-* 6.
gicos, magici *docti*. Artem cognitam habebant (et etiamnunc
habent) orientales, serpentum morsus innoxios reddendi. Erant
quibus utebantur remedia haud dubie fere eadem, quibus hodie
utuntur Americani. Orientales vero praestigiis ludebant specta-
tores, arte magica se efficere simulantes, quod adhibito certarum
succo herbarum efficiebant. Quare, si quando nihil valeret re-
medium, *surdum* vocabant serpentem, tamquam nolentem obtem-
perare mago. Hujusmodi igitur serpentibus comparantur obsti-
nati isti judices. De חֲמַת לָמוֹ vid. E. gr. ampl. p. 578. חֲבָרִים
construendum cum חוֹבֵר, non cum מְחֻכָּם. — *O deus, discute* 7.
dentes eorum in ore eorum! Mordices leonum excute, o Jova!
cf. 3, 8. — *Diffluant instar aquarum*, quae *decurrunt sibi*, 8.
evanescunt! *Tendat sagittas suas* eo cum effectu, *quasi prae-*
cisae, obtusae *essent* i. e. nihil valeant quas tendet sagittae!
מָאַס ut Job. 7, 5. i. q. מָסַס. Quod alias de *arcu*, qui tenditur
calcando, dicitur דָּרַךְ, hic et 64, 4. translatum vides ad *sa-*
gittas. יִדְרֹךְ: Sing. mutato numero. — Sint *ut limax*, qui *in* 9.
liquefactionem abit, qui saliva emissa viam humectans, quo
longius procedit, eo magis dissolvitur, ac tandem contabescit et
perit, Ut *abortus mulieris*, qui *non vidit solem*, qui solis lucem
nunquam vidit! De שַׁבְּלוּל cf. ad 37, 15. De תֶּמֶס הֲלֹךְ vide
quae ad similes locutiones observavimus ad Jer. 6, 28. נֵפֶל col-
lective est positum. — *Priusquam persentiscant ollae vestrae* 10.
rhamnum i. e. ignem ex rhamno, qui celerrime exardescit et cale-
facit, *Tam vivum* i. e. virentem adhuc nec igne satis accensum,
quam ardentem turbine abripiet illum, rhamnum deus: „prover-
bialis locutio, cujus sensus videtur hic esse: antequam consilia
vestra ad maturitatem aut effectum pervenerint, improviso omnes
vestrae machinationes evertentur. Saepe accidere solet illis, qui
per deserta iter facientes cibos parare sibi volunt, ut subita

coorta tempestate ignis ad cibos coquendos accensus extinguatur, omnisque epularum apparatus destruatur ac dissipetur; unde haec similitudo ducta videtur." Ros. בִּין h. l. *animadvertere* tactu, *sentire*, de olla, cui sensus caloris tribuitur; cf. Job. 6, 30. סִיר Plur. סִירִים *spinae*, *vepres*; sed סִיר Plur. סִירוֹת *olla*. Semel quidem סִירוֹת reperitur ubi spinae significatio subest, Am. 4, 2. Ibi tamen spina transl. dicta pro *uncino*, *hamo*. אָטָד *rhamnus* spinis oblongis, cujus multus est usus apud orientales ad ignem in foco, quod facile flagrat. כְּמוֹ — כְּמוֹ *sicut* — *ita*, *tam* — *quam*, ut saepius. חָרוֹן propr. *ardor* h. l. concr. pro *re* (rhamno) *ardente*. חַי et חָרוֹן appositione cohaerent cum Suffixo ־נּוּ ad אָטָד *rhamnum* referendo. Subjectum יִשְׂעָרֶ verbi est deus, vs. 7. Alius: *Priusquam animadvertant*, animadvertere aliquis possit, cito, praeter exspectationem *spinae vestrae* sunt *dumus*, celeriter spinae vestrae excrescunt in dumum amplum et latum; *Tam vivum*, virentem, *quam ardentem*, aridum i. e. totum *turbine abripiet illum*, dumum deus i. e. cito vos, improbi, efflorescitis, sed subito vos omnes ad unum in perniciem agit deus. Alius אָטָד relato ad hemistichium posterius: *Priusquam persentiscant spinae vestrae*, *Dumum*, *sive virentem*, *sive aridum*, *turbine abripiet illum* deus i. e. priusquam sentiat aliquis vestrum, praeter opinionem vos singulos universosque ad exitium vocabit deus.

11. — *Laetabitur*, improbis in perniciem actis, *justus*, *quod videt ultionem*, *Gressus suos lavat in sanguine improbi*. Hemisti-
12. chium posterius pendet ex כִּי. — *Et dicet homo: utique fructus est justo*, non absque praemio manet virtus; *Utique est deus judex in terra!* אֱלֹהִים שֹׁפְטִים ut אֱלֹהִים קְדֹשִׁים Jos. 24, 19., ubi vid. not.

1. PS. LIX. *Praecentori* (4, 1.) canendum ad modos carminis cujus initium est אַל תַּשְׁחֵת *ne perdas* (6, 1. 57, 1.) *Davidis carmen* (16, 1.), compositum, *quum mitteret Saulus emissarios*, *et custodirent domum*, *ut interficerent eum* (1 Sam. 19, 11.). Videtur potius editum esse post exsilium Babylonicum in populos hostiles, qui urbis sanctae instaurationem impedire conabantur (Neh. 3, 33 sqq. 4, 1 sqq. 6, 1 sqq.); cf. inprimis vs. 5 sqq. 15 sq. Strophae quatuor, quarum prima et tertia in fine appositum habent סֶלָה, secunda et quarta vero ab eodem versu incipiunt eodemque terminantur: vs. 2—6: libera me, o Jova, ab adversariis sanguinolentis, populis perfidis, qui citra

meam culpam hostiliter irruunt! 7—10: quovis vespere red-
eunt, canum instar ululantes, circa urbem currentes, maledicen-
tes; in quibus angustiis tu es refugium meum. 11—14: de-
turba eos, o Jova, tua potentia, perde istos maledicos, ut cog-
noscant, te esse dominum Jacobitarum! 15—18: redeant, si
placet, ululent, currant circa urbem, praedatum exeant et per-
eant! ego vero Jovam canam, refugium meum. Qui loquitur
esse videtur principum aliquis; cf. vs. 12. — *Libera me ab* 2.
hostibus meis, mi deus! Ab adversariis meis tutum me praesta!
מִתְקוֹמְמַי ut 17, 7. — *Libera me a maleficis, Atque ab homi-* 3.
nibus sanguinolentis serva me! cf. Neh. 4, 5. 6, 1 sqq. — *Nam* 4.
ecce, insidiantur animae, vitae *meae, Delitescunt*, insidias po-
nunt *contra me saevi, Non* est *delictum meum, nec peccatum
meum, o Jova*, i. e. absque mea culpa, cf. E. gr. min. §. 574.
De גּוּר verbo vide quae observavimus ad 56, 7. — *Sine* mea 5.
culpa irruunt et constituunt se, instruunt aciem, cf. vs. 7. 15.;
Vigila in occursum meum, paratus esto ad auxilium mihi prae-
standum, *et vide* res meas afflictas! בְּלִי עָוֹן *sine culpâ* ad
vatem referendum esse, docent quae proxime praegressa sunt.
Praeter omnem necessitatem nonnulli: *In innocentem* irruunt,
quasi בְּלִי עָוֹן sit abstractum pro concreto, et Acc. pendens ex
רוּץ. יְכוֹנְנוּ pro יִתְכּוֹנְנוּ est positum. Ad לִקְרָאתִי cf. vs. 11.
— *Tu vero, o Jova, deus exercituum, deus Israelis, Exper-* 6.
giscere ad puniendum omnes populos, Samaritanos, Arabes, Am-
monitas, Aschdodenses, Neh. 4, 1.! *Ne parcas ulli proditorum
pessimorum!* cf. ibid. 4, 2. 5. 6, 1 sqq. וְאַתָּה ut vs. 9. cf. ad
2, 6. De אֱלֹהִים צְבָאוֹת vid. ad 35, 23. Jes. 1, 9. — *Redeunt* 7.
vespere, i. e. quovis vespere adventant, *Fremunt*, ululant *instar
canum* famelicorum, *Et circumeunt urbem*; cf. Neh. 4, 2 sqq.
Alii: *redeant* cet. coll. vs. 15. Verum jam saepius vidimus,
amare Psalmorum scriptores hujusmodi versus ita repetere, ut
non anxie haereant in verbis verborumque sensu, sed pro ra-
tione nexus hic ibi aliquid mutent et in alium sensum trahant;
cf. 49, 13. 21. 56, 5. 11. 12. et in hoc ipso quem tractamus
Psalmo vs. 10. 18. Indicative quae hic habentur accipienda esse,
ostendit vs. 8. Ex quo tamen nequaquam efficitur, pro יְסוֹבְבוּ
legendum esse וַיְסוֹבְבוּ; cf. supra vs. 5: יְרוּצוּן וְיִכּוֹנָנוּ *irruunt
et constituunt se.* — *Ecce, ebulliunt*, impie dicta eructant *ore* 8.
suo, Gladii, sermones aculeati et saucianter sunt *in labiis*

eorum, *Nam quis audit?* ulciscitur? i. e. quia ex ipsorum
mente, nemo, ne deus quidem, audit, ulciscitur; cf. 10, 4. 11. 13.
Optime conveniunt haec cum iis, quae habentur Neh. 3, 33 sqq.
9. — *Tu vero, o Jova, rides eos, Illudis omnibus populis;* cf.
10. 2, 4. — *Robur*, potentiam *ejus*, *ad te attendam*, *Nam deus*
est arx mea. Pro עֻזּוֹ nonnulli cum pluribus libris et antiquo-
rum interpretum plerisque reponendum putant עֻזִּי coll. vs. 18.,
ubi eadem sententia repetitur. Sed cf. quae paullo ante ad vs. 7.
monuimus. Ad quae h. l. accedit, quod עֻזּוֹ difficilior scriptura
est. Errant vero, qui ו Suffixum ad hostem referendum existi-
mant, aut sic interpretantes: *robur ejus* (hostis) quod attinet
(Nom. absol.), *ad te* (o Jova) *attendam*, aut hunc sensum fa-
cientes: *robur ejus* (hostis), *ad te* (Jova) conversus, spe in te
reposita, *observabo*, ita ut construenda sint עֻזּוֹ אֶשְׁמֹרָה, אֵלֶיךָ
vero sit interpositum dictumque breviter pro *oculis in te con-*
versis. Priori enim explicationi praeter duritiem qua laborat
hoc obstat, quod per totum Psalmum hostis ne semel quidem
in Sing. memoratur; posteriori: quod unum solum אֵלֶיךָ non
potest esse ullo modo *oculis in te conversis*, id enim omnino
esset עֵינַי אֵלֶיךָ vel אֵלֶיךָ עֵינַי. Miror equidem, non vidisse
interpretes, ad *deum* referendum esse Suffixum in hanc senten-
tiam: *ad potentiam ejus, ad te attendam*, Jovae potentiam, te
exspectabo; tuum, o Jova, exspectabo firmissimum auxilium.
Cui interpretationi favent linguae leges, nam שָׁמַר nunc cum
Acc. nunc cum אֶל construitur, favet nexus, cf. vs. 9. et 11.,
favent denique vs. 17. et 18. Leve est, quod sic a tertia per-
sona subito transitur ad secundam. Nihil enim apud Hebraeo-
rum vates frequentius subita personarum mutatione. Exempli
causa ponatur quod statim sequitur hemistichium posterius. —
11. *Deus meus gratiam suam offeret mihi*, *Deus cum voluptate*
videre me faciet, cum voluptate conspiciendos mihi dabit insi-
diatores meos, spe sua frustratos. קִדֵּם cum duplici Acc., ut
21, 4. Pro אלֹהֵי חַסְדּוֹ Masorethae coll. vs. 18. reponi volunt
אֱלֹהֵי חַסְדִּי *deus gratiae meae* (succurret mihi). Sed vide supra
12. ad vs. 7. et 10. De שׁוֹרְרַי vid. not. ad 5, 9. — *Noli inter-*
ficere eos, *ne obliviscatur populus meus*, ne, si penitus deleti
recesserint a conspectu hominum, populus meus tanti in nos
collati beneficii fiat immemor! *Vagari eos fac potentia tua*,
et deturba eos, de fortunis omnibus deturbatos patriis sedibus

eos expelle in exilium, ut exstet apud posteros exemplum in ipsis poenae, qua afficiantur, qui opprimere populum tuum audent, *Tu qui es clypeus noster, domine!* יִשְׁכְּחוּ in Plur. est positum, quoniam עַם est collectivum. Possint tamen etiam Subjectum efficere hostes, et עַמִּי esse Accusativus in hunc sensum: noli interficere eos, *ne obliviscantur populi mei*, qua ratione interpretatus est Syrus. — *Peccatum oris ipsorum* est 13.
verbum labiorum ipsorum, i. e. malum et perversum est, quidquid suis proferunt labiis, cf. membrum tertium; *Et sic*, ideoque *capiantur*, constricti tamquam retibus, e quibus nequeant sese extricare, *fastu suo*, ob fastum suum, *Et propter exsecrationem et propter mendacium*, quae *narrant!* Referenda haec sunt ad falsas criminationes, quibus Samaritani apud Persas insectabantur Judaeos. Primum membrum alius: *peccatum oris ipsorum sit verbum* cet., quibus vult significari: poenam ipsis contrahant, quae proferunt labiis suis! Quod quaesitum mihi videtur. Alius: *peccatum oris ipsorum, verbum labiorum ipsorum* quod attinet: capiantur cet. בִגְאוֹנָם quomodo capiendum sit, ostendit quod subjicitur וּמֵאָלָה וגו'. יְסַפֵּרוּ sententia relativa omisso אֲשֶׁר. — *Dele in ira, dele*, ingenti eos caede pro- 14.
sterne, *ut non sint amplius, Atque ut cognoscant, deum esse dominum in Jacobo*, Jacobitarum, *Usque ad fines terrae!* —
Repetitur nunc vs. 7., sed ita, ut quae ibi indicative dicta sunt, 15.
hic optative cum irrisione dicantur. *Et redeant vespere, Frement instar canum, Et circumeant urbem!* Redeant jam, si volent, ululent, currant circa urbem furibundi! — *Vagentur isti* 16.
ad vorandum, praedatum exeant! *Profecto satiabuntur*, strage! puta, *et pernoctabunt*, noctem transigent supremam! Quod Masorethae pro יְנוּעוּן legi jubent יְנִיעוּן sensum idoneum non praebet. — *Ego vero canam potentiam tuam, Et celebrabo* 17.
mane (cf. vs. 15. 16: *vespere*) *gratiam tuam, Quod fuisti arx mihi, Et refugium quum versarer in angustiis.* — *O ro-* 18.
bur meum, ad te canam! Nam deus est arx mea, deus meus benignus.

PS. LX. *Praecentori* (4, 1.) *canendum ad modum instru-* 1.
menti Schuschan-Eduth (i. e. *lilium legis*) *dicti* (6, 1. 45, 1.) *carmen* (16, 1.) *Davidis, ad docendum* se. in synagoga, — *compositum, quum bellum gereret cum Syria interamni*, Meso- 2.
potamia, *et cum Syria Zobaea, et reverteretur Joab et per-*

cuteret, vinceret *Idumaeos in valle salis*, *duodecim millia* virorum (2 Sam. 8, 3 sqq. 1 Chron. 18, 3 sqq.). Discrepat in pluribus haec inscriptio cum iis, quae in 2 Sam. et 1 Chron. ll. ll. narrata leguntur. Eas tamen discrepantias nihil moror, quum carmen hoc ad aliam plane aetatem, quam quae in inscriptione est indicata, referendum esse certo certius sit. Tam desperatae enim, quales hic describuntur, res Hebraeorum regnante Davide nunquam fuerunt. Conferenti vs. 3. 12. cum 44, 10. 12., item vs. 14. cum 44, 6. plus quam probabile videri debet, esse hunc Psalmum ad eandem fere aetatem referendum, qua editum vidimus Ps. 44. Eandem illam aetatem prodit etiam quod vs. 8. 9. 10. continetur a vate allatum oraculum, utpote cujus commemoratio non conveniat nisi in tristissima illa tempora. Videtur autem non ut ille durante exsilio, sed primis post exsilium annis compositus esse; cf. vs. 4. et 11. Strophae tres: vs. 3—7: quae civitati nostrae inflixisti vulnera sana, o Jova, 8—10: qui terram sanctam una cum terris adjacentibus nostram
3. esse jussisti. 11—14: te duce vincemus! — *O deus, rejecisti*
nos, disjecisti nos! Iratus fuisti! Restitues res nostras *nobis!*
In תְּשׁוֹבֵב לָנוּ non video cur haesitarint interpretes. Nihil frequentius omissione Objecti, ubi e nexu facili opera suppletur.
4. — *Concussisti terram, disrupisti eam! Sana fracturas ejus,*
5. *nam vacillat!* — *Videre* i. e. experiri *fecisti populum tuum*
dura, acerba, *Bibendum dedisti nobis vinum titubationis*, de
qua imagine cf. not. ad Jer. 13, 12. יֵין תַּרְעֵלָה ut מַיִם לַחַץ
6. 1 Reg. 22, 27. al. cf. E. gr. min. §. 502. — *Dedisti cultoribus*
tuis vexillum, *Ut tollerent sese*, exsurgerent ad bellum, *propter veritatem*, dimicaturi pro sacris avitis. Sensus: tu ipse auctor suasorque nobis exstitisti, ut pro sacris tuis arma caperemus. Quae quam bene conveniant in aetatem proximam post exsilium, intelligitur. הִתְנוֹסֵס *elevavit, extulit se*, ut Zach. 9, 16. Debet enim eodem utroque in loco accipi significatu. מִפְּנֵי de causa, *propter*, ut Jes. 10, 27. al. קֹשֶׁט i. q. chald. קְשׁוֹט, קְשִׁיטוּת *veritas*. Quum tamen קְשׁוֹט omnino idem significet quod hebraicum אֱמֶת, קֹשֶׁט etiam *fides* potest reddi et referri ad בְּטָחוֹת, ut hic prodeat loci sensus, quem nescio an praeferam (cf. vs. 8 sqq.): *dedisti cultoribus tuis vexillum*, *ut tollerent sese*, exsilio redirent in patriam, *Propter fidem*, ut promissa tua impleres; i. e. tu ipse, ut solveres promissum, de exsilio nos

reduxisti; cf. Jes. 62, 10 sqq. Ceterum pro *dedisti* nonnulli
invita grammatica *da* reddant נְתַתָּה, putantes, abhorrere Per-
fectum a vs. 7., in quo judicio quam falsi sint statim videbimus.
— Nexus: Quare quum tu ipse auctor nobis exstiteris, ut ve- 7.
xillum erigeremus: *Ut liberentur dilecti tui, Opem fer dextera
tua et exaudi nos!* De יְמִינְךָ vid. ad 3, 5. Pro וַעֲנֵנוּ Maso-
rethae וַעֲנֵנִי quod minus aptum. — Affert jam antiquius oracu- 8.
lum, quo promisisset deus, fore, ut Hebraei non modo terra
sancta potirentur, vs. 8. 9., verum etiam adjacentes terras im-
perio suo subjicerent, vs. 10. Ex quo ipso argumento intelli-
gitur, exsilii aetate editum fuisse hoc oraculum. Nam de Josuae
aetate quominus cogites, obstant quae vs. 9. de Ephraimo et
Juda dicta leguntur. *Deus dixit per sanctitatem suam*, sancte
promisit: „*Exsultabo! Distribuam* inter vos *Sichemum*, *Et
vallem Succoth metiar*, distribuendam inter vos! בְּקָדְשׁוֹ ut 89,
36., ubi conjunctum est cum נִשְׁבַּע, cujus loco hic positum sim-
plex דִּבֶּר. Alii: *deus dicit in sacrario suo*, in loco sibi sacro,
ita ut deus quae subjiciuntur in praesenti dixisse fingatur. Quod
qui statuunt, non cogitant, potuisse tam magnificas spes in ex-
silio quidem (Jes. 40 sqq.), non autem proximis post exsilium
temporibus concipi ab aliquo. *Sichem* urbs in montanis Ephraimi
inter montes Ebal et Garizim sita. *Succoth* oppidum Gaditarum,
trans Jordanem in Gileaditide situm. „Meminit autem locorum
cis et trans Jordanem sitorum, ut dominium totam super terram
describat, q. d. regiones cis et trans Jordanem mihi parent, et
pro arbitrio cum eis agere possum.“ Ros. — Accuratius nunc 9.
ipsae nominantur provinciae cis et trans Jordanem sitae. *Mihi
est Gileaditis, et mihi Manasse*, trans Jordanem, *Et* cis Jor-
danem *Ephraim munimentum capitis mei*, galea mea, *Juda
sceptrum meum.* Quod Ephraimum *galeam suam*, Judam *scep-
trum suum* vocat, ratio est, quod illae provinciae inter reliquas
potentia et imperio olim longe eminuerant. — Verum etiam ex- 10.
teras regiones Hebraeorum sub potestatem num dicit subjungen-
das esse; cf. Jes. 63, 1 sqq. Jer. 48. Ezech. 25, 8 sqq. *Moab
est olla*, pelvis *mea lotionis*, serviet mihi pro vilissimo mancipio,
In Idumaeam projicio calceum meum, eam occupo, mihi tan-
quam propriam vindico, nam projectio calcei in peregrinam re-
gionem signum erat occupationis, quandoquidem in translatione
dominii symbolice calceus tradi solebat, cf. Ruth. 4, 7., *De me*,

o Philisthaea, vociferare, clamorem lugubrem ede, utpote et
ipsa imperio meo subjicienda!" הִתְרוֹעֲעִי de clamore lugubri,
ut Hi. Jes. 15, 4. Mich. 4, 9. Alii: *de me jubila*, q. d. gratu-
lare tibi novum regem, quod plane alienum est a nexu. Alii
ironice hoc dictum volunt: *de me jubila*, si potes, aut si lubet,
nihil effectura! Quod 108, 10. legitur עֲלֵי פְלֶשֶׁת אֶתְרוֹעָע *de*
11. *Philisthaea jubilo* manifesta est emendatio compilatoris. — Huc-
usque oraculum. Jam vates, si servanda sunt haec tua promissa,
quis, inquit, in subjiciendis hisce populis sua nobis aderit ope?
Quis igitur *ducet me in urbem munitam*, me adjuvabit in ex-
pugnanda urbe munita, *Quis deducit me usque ad Idumaeam?*
Urbem munitam esse *Bozram*, urbem primariam Idumaeorum,
intelligitur ex hemistichio posteriore. Idumaeos vero loco omnium
ponit; Idumaei enim infestissimi erant Hebraeorum hostes; vid.
12. ad Jes. 34. ab init. et vs. 8. — *Nonne tu, o deus, qui rejecisti
nos, Neque exiisti, o deus, cum exercitibus nostris*, instar
13. ducis? וְלֹא־תֵצֵא omisso אֲשֶׁר. — *Da nobis auxilium ab adver-
14. sario! Vanum est auxilium hominum.* — *Per deum*, adjuti
auxilio dei, *agemus fortiter, Isque pedibus comminuet*, penitus
subiget *adversarios nostros*. De בֵּאלֹהִים vid. not. ad 18, 30.

1. PS. LXI. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum in-
strumenti Neginath* (*instrum. pulsatile*, E. gr. ampl. p. 348.,
nomen diversum a נְגִינוֹת 6, 1. al.) dicti (6, 1.) carmen *Davidis.*
In Davidem quae vs. 7. 8. leguntur non conveniunt. Insunt
hominis in exsilio versantis preces pro reditu in patriam vs.
2—6., pro vita et salute regis 7—9. Quod pro rege Hiero-
solymis regnante funduntur preces, id documento est, vixisse
2. vatem non in exsilio Babylonico, verum in Assyrio. — *Audi,
3. o deus, clamorem meum, Attende preces meas!* — *A fine
terrae*, ex remotissimis regionibus *ad te clamo*, *Cum caligine
obvolvitur*, languet, viribus deficit *cor meum; In petram* quae
altior est me, i. e. quam ut meis viribus in eam eniti possim,
ducas me, i. e. eripe me ex miseriis, a quibus meis viribus vin-
4. dicare me nequeo! — *Nam tu es refugium mihi, Turris firma
5. coram hoste.* — *Fac ut commorer in tentorio tuo in per-
petuum*, cf. 15, 1. ibique not., *Sine me confugere in lati-
bulum alarum tuarum*, tua uti tutela et patrocinio, cf. 17, 8.
6. ibique not. — *Nam tu, o deus, auscultas*, auscultabis *votis meis*

i. e. precibus meis conjunctis cum votis, tu deus exaudies preces
meas, *Das*, dabis *possessionem cultorum nominis tui* i. e. cul-
toribus tuis suam reddes possessionem i. e. reduces cultores tuos,
me cum reliquis exsulibus in terram patriam. — *Dies diebus* 7.
regis adjicias! Anni ejus sint *sicut aetates multae*, durent,
continuentur anni vitae ejus per multas aetates! — *Solio insi-* 8.
deat in perpetuum coram deo i. e. deo placens, eum propitium
habens! *Gratia et fides* sc. tua, cf. 40, 12., *constitue*, jube,
fac, *ut custodiant*, tueantur *eum!* — *Sic*, quum tu precibus 9.
meis satisfeceris, *canam nomen tuum perpetuo*, *Ut solvam vota
mea de die in diem!*

PS. LXII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* in- 1.
strumenti *Jeduthun* (39, 1.) dicti (6, 1.) *carmen Davidis*. A quo
editus sit hic Psalmus dici nequit. Strophae tres: vs. 2—5:
in deo reposita est spes mea, insidiantibus mihi improbis.
6—9: in deo reposita est spes mea, deo confidite omnes!
10—13: nolite confidere hominibus, opibus, malis artibus; solus
deus est potens, benignus, justus. — *Soli deo fiducia!* i e. soli 2.
deo confide, *o anima mea! Ab eo* est, proficiscitur *auxilium
meum*. דּוּמִיָּה *silentium*, cum אֶל: *silens exspectatio*, *fiducia*,
cf. 65, 2. et infra vs. 6. דֹּמִּם לְ. Plerique prius hemistichium
sic transferunt: *soli deo confidit anima mea*, putantes, דּוּמִיָּה
ad נַפְשִׁי referendum pro concreto positum esse. Quod durissi-
mum. Veram esse quam nos secuti sumus rationem docet res
ipsa et vs. 6. hemistichium prius: אַךְ לֵאלֹהִים דּוֹמִּי נַפְשִׁי *soli
deo confide, o anima mea!* — *Is solus petra mea et auxilium* 3.
meum est, *Arx mea; non nutabo multum*, licet vacillare forsan
coepero, non tamen prorsus cadam; cf. 37, 24. רַבָּה adverbia-
liter ut saepius רַבַּת. — *Quousque irruitis in virum*, *Contun-* 4.
ditis eum *vos omnes*, *Instar parietis inclinati*, inclinantis ad
ruinam, *muri percussi?* הוֹתְתוּ Po. ex הָתַת i. q. فتّ frangere,
confringere, rumpere, cf. vicina חָתַת et הָדַד, hinc cum עַל:
irrumpere, *irruere* in aliquem. Recte LXX: ἐπιτίθεσθε ἐπ᾽
ἄνθρωπον, Vulg. *irruitis*. תְּרָצְּחוּ Pi. G. gr. ampl. p. 251.
E. gr. ampl. p. 277. scriptura est Aharonis Ben Ascher et Ju-
daeorum occidentalium, תְּרַצְּחוּ scriptura Jacobi Ben Naphthali
et Judaeorum orientalium. כְּקִיר וגו׳ construendum cum Objecto
verbi תְּרָצְּחוּ. Similem imaginem vid. Jes. 30, 13. — *Utique* 5.
de altitudine sua, de fastigio suo *decreverunt depellere* eum,

de statu suo eum deturbare decreverunt, *Delectantur mendacio,*
6. *Suo* quisque *ore benedicunt, et animo maledicunt.* — *Soli deo*
confide, o anima mea! Nam ab eo proficiscitur *spes mea,* id
quod spero, salus mea; cf. vs. 2. דָּמַם לְ ut 37, 7. *silens ex-*
7. *spectavit* aliquem, *confisus est* alicui. — *Is solus petra mea*
et auxilium meum est, *Arx mea; non nutabo;* cf. vs. 3. —
8. *Apud deum* est *salus mea et honor meus; Petra mea firma,*
9. *refugium meum in deo* est. עַל *apud*, ut 7, 11. al. — *Fidu-*
ciam collocate in eo omni tempore, o homines! Effundite coram
eo cor vestrum, animi sensa, cf. 42, 5.! *Deus refugium* est
10. *nobis.* עַם *homines*, ut 18, 44. al. — *Non nisi halitus* sunt
homines, Mendacium, fallaces sunt *mortales; In bilance ad*
adscendendum nati, facti sunt, nullius sunt ponderis, *De halitu,*
nihilo *isti* sunt *ad unum omnes.* Sensus: infirmiores, imbecil-
liores sunt homines, quam ut possint juvare; falluntur qui in
eis fiduciam collocant. בְּנֵי אָדָם et בְּנֵי אִישׁ hic non, ut 49, 3.,
necessario inter se sunt oppositi. Sin autem sunt oppositi,
priorum membrorum sententia haec est: non nisi vani et falla-
ces sunt tam nobiles quam ignobiles, universi ac singuli. לַעֲלוֹת
ad descendendum facti, cf. G. gr. min. §. 129. adn. 1. E. gr.
min. §. 544. Potest tamen etiam cum proxime praegressis con-
strui לַעֲלוֹת hoc nexu: non nisi halitus sunt homines cet., *in*
bilance ut adscendant. הֵמָּה מֵהֶבֶל *isti* sunt *de halitu* i. e. nihil,
vid. not. ad Jes. 40, 16. 17. Ceterum מֹאזְנַיִם *bilancem* nunc
mihi maxime probabile videtur dictam esse ab אֹזֶן, ob magnam
quae lanci est cum aure similitudinem. Sic igitur ab אָזַן acu-
tum esse descendet אֹזֶן, ab אֹזֶן porro מֹאזְנַיִם, a מֹאזְנַיִם arab.
11. وَزَنَ, hebr. אָזַן *ponderare.* — *Ne fiduciam collocetis in op-*
pressione, Et in rapina spem vanam ne ponatis i. e. nolite
confidere bonis oppressione et rapina, vi et injuria partis; *Di-*
12. *vitiae cum creverint, nolite advertere animum!* — *Unum dixit*
deus, Duo sunt *quae audivi* i. e. haec duo scio a deo edoctus,
unum: *Potentiam esse deo*, potentem esse deum ad vindicandos
13. pios, — alterum: *Et tibi, domine, esse gratiam*, et benignum
te esse erga pios, *Nam tu rependis cuique* piorum *secundum*
facta ejus.

1. PS. LXIII. *Carmen Davidis*, compositum, *quum esset in*
deserto Judae (1 Sam. 22, 5. 23, 14. 15. 24. 25. 24, 2.). Re-

pugnant inscriptioni vs. 3. et 12. Argumento simillimum carmen
Psalmo 61., ideoque ad eandem aetatem eundemque scriptorem
referendum. Strophae duae: vs. 2—7: desiderium quo teneatur
cultus sacri; 8—12: exspectatio auxilii divini contra adver-
sarios. — *O deus, deus meus es tu, quaero*, desidero *te; Sitit* 2.
te anima mea, cf. 42, 3., *Desiderio tui conficitur caro mea*,
Velut *in terra arida et languescente sine aquis.* בְּאֶרֶץ omissa
comparandi particula, ut 11, 1. 31, 22. 32, 4. 37, 20. al. cf.
inprimis 32, 4. Veterum nonnulli et plures libri כְּאֶרֶץ ex in-
terpretamento non satis vero, coll. 143, 6. Recentiorum non-
nulli verba haec proprie intellecta volunt, ita ut in terra arida
commorari se dicat vates, aut quod terra, in qua commoraretur,
revera arida (deserta) esset, aut certe arida ipsi videretur, ut-
pote longe remota a loco deo sacro; cf. 61, 2. Sed plus quam
verisimile est, non nisi ad expingendam imaginem proxime prae-
gressam adjecta haec esse, ita ut his quoque vates ardentissimum
quo flagret sacri cultus desiderium exprimat. Ceterum אֶרֶץ
communis generis nomen cum utroque genere hic habes con-
structum, ut רוּחַ 1 Reg. 19, 11: רוּחַ גְּדֹלָה וְחָזָק, E. gr. ampl.
p. 309. — Quum quae vs. 2. et 7. dicit vates, statum ejus prae- 3.
sentem describant, facile profecto intelligitur, quae interjecta sunt
3—6. non posse non respicere eundem. Errant igitur, qui
vatem hisce versibus felicitatem describere existimant, quam
percepturus sit, si conventibus sacris interesse ei licuerit iterum.
A qua perversa explicatione vel hoc debebat revocare interpretes,
quod ita vs. 3. et 5. praemissa כֵּן particula sensum praebet
nullum aut valde quaesitum. *Sic*, in tali conditione, animi statu,
in hoc meo ardentissimo desiderio (vs. 2.) *in sacrario contem-
plor te* animi mei oculis (cf. vs. 7.!), *Ut videam splendorem
tuum et majestatem tuam*; cf. 42, 5. — *Nam melior est gratia* 4.
tua quam vita, omnibus bonis potior est mihi gratia tua, *Labia
mea laudant te.* — *Sic* hoc meo flagrans tui desiderio *celebro* 5.
te per vitam meam, *In nomine tuo tollo manus meas* i. e. ad
te, non ad alios deos precor. — *Ut adipe et pinguedine satia-* 6.
tur anima mea, cibis optimis et delicatissimis satiari videor,
i. e. plena gaudia percipio, sc. ex consuetudine quae mihi est
tecum; *Et labiis jubilantibus laudes canit os meum.* שִׂפְתֵי
רְנָנוֹת ut קוֹלִי 3, 5. ubi cf. not. — *Si recordor tui in strato* 7.
meo: Per vigilias, per integras vigilias *meditor de te* sc.

animum abs te abducere nullo modo possum. Alii haec cum proxime praegressis construunt in hunc modum: et labiis jubilantibus laudes canit os meum, *Si recordor tui in strato meo, Si per vigilias meditor de te*, ita ut verba haec reddant caussam, cur tantopere laetetur vates. Verum quam nostra interpretatio praebet sententia multo est elegantior (similia vide 139, 18.), eoque certius praeferenda, quod, qua ex re tantam laetitiam capiat vates, jam supra est dictum. Ceterum tres apud veteres Hebraeos erant vigiliae, quarum primam habes Thren.
8. 2, 19., mediam Jud. 7, 19., tertiam Exod. 14, 24. — *Nam tu es auxilium mihi, Et in umbra alarum tuarum*, tua utens
9. tutela et patrocinio 61, 5. 17, 8., *jubilo.* — *Adhaeret anima mea tibi, Me sustentat dextera tua.* דָּבְקָה אַחֲרֶיךָ E. gr.
10. ampl. p. 612. — *Isti vero*, mei adversarii, qui *ad perniciem*, ut perniciem mihi parent, *quaerunt animam meam*, vitae meae insidiantur, *Venient in infima terrae*, detrudentur in orcum! לְשׁוֹאָה וגו׳ sententia relativa. שׁוֹאָה *pernicies*, ut 35, 8. —
11. *Tradentur in potestatem gladii*, interficientur, *Portio vulpium aureorum*, praeda canibus aureis *erunt*, devorabuntur eorum cadavera a feris. De הִגִּיר עַל יְדֵי חֶרֶב locutione vide quae observavimus ad Jer. 18, 21. יַגִּירֻהוּ propr. *tradent*, quod impersonaliter est dictum, *eum*, adversarium. Ad Suff. sing. cf. 5, 10. Bene Graecus interpres: *παραδοθήσονται εἰς χεῖρας ῥομφαίας.*
12. — *Et rex laetabitur de deo; Gloriabitur quicunque jurat per eum*, deum, puta, i. e. quicunque deum colit, *Quando clausum fuerit os loquentium mendacium*, quando obstructa fuerint ora calumniantium. Sensus: deo laetabuntur et gloriabuntur mecum rex et quicunque Jovam colant, quando ad silentium ab illo redactos viderint eos, qui falsis criminationibus me insectabantur. Videtur vates homo illustris fuisse, qui magna auctoritate valeret apud regem, bonosque cives omnes. Porro perlucet ex hoc versu, quod exularet vates, in caussa fuisse malignas adversariorum criminationes. Quae alii hoc loco vota pro rege sibi vident, reperire equidem non possum.

1. PS. LXIV. *Praecentori* (4, 1.) canendum, *carmen Davidis.* Videtur potius e recentioribus esse. Strophae duae: vs. 2—7: orat, ut deus ipsum defendat a scelestis molitionibus hominum insidiatorum; 8—11: sperat fore, ut subito isti in

perniciem agantur, quo facto omnes bonos deo ait gloriaturos
esse magisque ac magis fiduciam in illo collocaturos. — *Audi,* 2.
o deus, vocem meam, cum queror! A terrore hostis, i. e. ab
hoste terrorem mihi incutiente *defendas vitam meam!* שִׂיחַ non
est Nomen substantivum, sed Infinitivus שִׂיחַ verbi. — *Occultes* 3.
me a consessu maleficorum prava consilia agitantium! *A turba
sceleste agentium!* — *Qui acuunt ut gladium linguam suam,* 4.
Tendunt sagittam suam, verbum amarum, acerbum. דָּרַךְ חֵץ
vid. ad 58, 8. דָּבָר מָר appositione conjunctum est cum חִצָּם.
— *Ad petendum in latibulis integrum,* innocuum, *Subito pe-* 5.
tunt eum, nec timent, nec timent deum injuriae vindicem. יָרָה
cum לְ pers. *jacere* sagittam *in aliquem* 11, 2., cum Acc. per-
sonae: *petere* sagitta *aliquem.* — *Confirmant sibi,* i. e. stat iis 6.
perficere *rem malam, Sermonem conferunt de occultandis la-
queis, Dicunt: quis cognoscet de iis?* לָמוֹ posterius dubium
est sitne referendum ad laqueos an ad ipsos insidiatores. Utrum-
que enim convenit. Ad laqueos si pertinet, verba ut fecimus
explicabis; sin ad insidiatores, oratio ex parte est obliqua, ut
saepius. Ceterum non dixerim לָמוֹ esse pro אֹתָם positum.
רָאָה לְ est *cognoscere de* aliqua re, propr. quod nostrates dicunt
sehen nach etwas. — *Excogitant scelera;* quibus excogitatis 7.
„*Perfecimus!* inquiunt, *consilium excogitatum est!*“ *Et inti-
mum cujusque et cor est profundum,* quae pectore volvunt
a nemine possunt investigari. Alii חֵפֶשׂ מְחֻפָּשׂ Objectum esse
volunt תַּמְנוּ verbi. תַּמְנוּ ad formam עֹר, ut Jer. 44, 18. Thren.
3, 22. — *Tum petit eos,* tum securos petit *deus sagitta; Su-* 8.
bito, subitanea *est caedes,* clades *eorum.* הוֹרָה cum duplici
Accusativo. Alii חֵץ conjunctum cum פִּתְאֹם Praedicatum efficere
putant מַכּוֹתָם vocis in hunc sensum: *Tum telo petit eos deus;
Sagitta subita est clades eorum* i. e. subitanea est clades eorum
tanquam sagitta subito ex alto decidens atque incautos feriens.
— *Et corruunt. Ipsis supervenit lingua eorum* i. e. quae mihi 9.
perniciem parare debebat lingua eorum maligna, ipsis perniciei
causa est, *Fugiunt quicunque vident eos.* וַיַּכְשִׁילֻהוּ propr. *et
corruere faciunt,* quod impersonaliter dictum est, *eum,* adversa-
rium, adversarios, prorsus ut יַגִּירֻהוּ 63, 11. Alii: *et corruere
faciunt eum,* eos *super se ipsos lingua,* linguae *eorum* i. e.
uniuscujusque lingua unum super alterum praecipitat. Quod
quaesitum mihi videtur. Durior etiam duplex numeri discre-

pantia in verbis arctissime connexis. Magis placeret alius, qui:
et labi faciunt eum, eos ii, *contra quos* fuerat *lingua eorum*,
ut עָלֵימוֹ לְשׁוֹנָם sententiam faciat relativam. Simplicior tamen
10. ea ratio est, quam nos sumus secuti. — *Et timent*, reverebun-
tur deum, causae meae vindicem (40, 4. 52, 8.) *omnes homines*,
11. *Et praedicant facinus dei*, *Et opus ejus attendunt*. — *Lae-
tatur justus de Jova*, *et fiduciam collocat in eo*; *Et glorian-
tur omnes integri cordis*, animi.

1. PS. LXV. *Praecentori* (4, 1.) canendum *carmen Davidis*,
canticum (30, 1.). Decantatum esse videtur ineunte messe, vs.
10 sqq. Nam quae vs. 2—5. dicuntur non nisi exordium sunt
carminis, et quae vs. 6—9. habentur divinae potentiae laudes
transitum parant ad id quod praecipuum Psalmo continetur.
Strophae tres: vs. 2—5: animo demisso et fiducia pleno tem-
plum sacrum adimus Jovae, 6—9: totius naturae domini,
2. 10—14: datoris largae messis. — *Tibi sit fiducia*, *laus*,
o deus in Sione! Et tibi persolvatur votum! דֻּמִיָּה vid. ad
3. 62, 2. — *Qui audis preces*, *Ad te omnis caro*, omnes mortales
4. *veniunt!* — Fatemur autem, indignos nos esse, qui te adeamus.
Peccata superant me, *Delicta nostra, tu condonabis ea!* דִּבְרֵי
per periphrasin, ut 105, 27. al. Quod nunc Singularis nunc
5. Pluralis ponitur, docet, totum coetum loqui. — *O felicem* illum,
quem *eligis et admittis*, cui aditum ad te patefacis, Qui *ha-
bitat atria tua*, frequens in iis adest (15, 1.) rem divinam fa-
ciens! *Satiemur felicitate domus tuae* i. e. ea felicitate, qua
fruuntur, quibus interesse licet sacris tuis (36, 9. 43, 4. al.),
Loco sacro palatii tui! תִּבְחַר cet. sententiae relativae. קְדוֹשׁ
6. ut 46, 5. — *Admirandum in modum cum felicitate*, felicitatem
afferens *exaudis nos*, *o deus salutis nostrae*, *Fiducia omnium
finium terrae marisque remotorum*, tu, in quo spem repositam
habent qui terrae marisque incolunt remotissimas oras! נוֹרָאוֹת
adv. ut 139, 14. E. gr. ampl. p. 501. צֶדֶק *salus*, *felicitas*, de
quo significatu vid. ad Jes. 41, 2. Hinc בְּצֶדֶק i. q. בְּשָׁלוֹם 55,
19. מִבְטָח de eo, in quo fiducia collocatur. רְחֹקִים construen-
dum est cum קְצוֵי. Adjectivum Genitivo postponi notissima
7. res est. — *Qui stabilit montes vi*, potentia *sua*, *Cinctus est
robore*. מֵכִין alii: *qui fundavit*. Sed prius, quoniam, quid in
praesenti agat deus, describit, ad ea quae subjiciuntur accom-

modestius est. — *Qui compescit fremitum marium, Fremitum* 8.
fluctuum eorum, Et strepitum populorum. — *Et timent*, cum 9.
pavore, stupore contemplantur *incolae finium*, terrae puta, extremarum terrae regionum (cf. vs. 5.) *signa tua*, mirabiliter a te facta, potentiae tuae documenta; *Ortus mane et vesperae* i. e. regiones quae sitae sunt i. e. homines qui agunt ad solis ortum quique ad occasum, *jubilare facis.* קְצוֹת κατ' ἐξοχὴν de *terrae finibus.* מוֹצָאֵי בֹקֶר וָעֶרֶב miror interpretes dictum velle pro מוֹצָא בֹקֶר וּמָצוֹא עֶרֶב, utpote quod sensu plane careret. Fraudi fuit interpretibus, quod cogitarunt de מְבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ. Verba scriptoris recte se habent. Quemadmodum enim sidera (Neh. 4, 15.), sic *vespera* quoque et *nox oriri* recte dicuntur. Alius: *fontes mane* (coll. מוֹצָאֵי מַיִם) i. e. orientem, ubi tanquam ex multis millibus fontium prorumpit lux, *et vesperam*, occidentem *jubilare facis.* Quae interpretatio longius petita mihi videtur. —
Visitas terram, curam ejus geris, *et redundare*, abundare *facis* 10.
eam, Multum, copiose *ditas eam*, magna fructuum quorumvis copia eam auges et ornas; *Rivus dei plenus est aquarum*, i. e. largam pluviam demittis; *Paras frumentum eorum*, hominum qui incolunt terram. *Nam sic* (vs. 11.) *paras eam*, terram ad proferendos fructus. שׁוֹק *currere*, ut vic. שָׁקַק, Hi. *redundare* Joel. 2, 24., Pil. *redundare facere.* Alii שׁוֹקֵק significare putant *irrigare*, hanc significationem repetentes ab תַּשְׁקֶה, coll. בּוּז, בָּזָה. Sed nulla apparet causa, cur ab eo significatu, qui שׁוק verbo est proprius, recedas. רַבַּת adv. *multum*, ut 120, 6. al. G. gr. ampl. p. 627. E. gr. ampl. p. 501. תַּעְשְׁרֶנָּה ut 1 Sam. 17, 25. E. l. l. p. 386. *Rivus dei:* pluviae, ut apud Arabes quoque. דְּגָנָם *frumentum eorum*, hominum terram incolentium, quod nomen colligendum est e nexu; cf. 9, 13. 18, 15. Alius (qui non dubitavit Hupfeldum excellentissimum virum insigni ad h. v. injuria laedere) negat posse ad terrae incolas referri Suffixum, quia suo nomine loquatur populus. Quasi vero hoc illum impediat, ne dicat, *hominibus* deum parare frumentum! Ipse ָם- Suff. referendum putat ad *terram!* כִּי כֵן תְּכִינֶהָ plerique sic interpretantur: *quando sic* i. e. irrigando *paras eam*, כֵּן referentes ad ea quae praecesserunt; alii: *nam sic* cet. et ipsi ad praegressa trahentes haec verba. Sed ita misere illa languent. Copulanda illa sunt cum vs. 11. eoque certius, quod is incipit ab Infinitivis absolutis, qui verbis vs. 10. postremis aptissime

11. introducuntur. — (Nam sic paras eam:) *Sulcos ejus irrigare, deprimere* i. e. complanare *glebas ejus*, copiose demissis pluviis, quibus illae desident; i. e. sulcos ejus irrigas, complanas glebas ejus; *Imbribus diffluere facis*, liquefacis, dissolvis *eam*, sicubi est arida, *germen ejus prosperas*. De Infinitivis absolutis (quae in hemistichio posteriore in Verba finita transeunt) vid. G. gr.
12. min. §. 128, 1. E. gr. min. §. 540. — *Coronas*, ornas beneficiis tuis *annum benignitatis tuae* i. e. annum benignitate tua, a te deo benigno nobis concessum, *Et orbitas tuas*, vestigia tua *stillant pinguedinem* i. e. ubicunque modo es praesens, ibi maxima est fecunditas. שָׁנַת nonnulli pro forma absoluta habent (cf. E. gr. min. §. 365. p. 230.), ita ut עִטֵּר cum duplici Accusativo sit constructum (8, 6.) in hanc sententiam: *coronas annum benignitate tua* i. e. bonis tuis. Qua conjectura non
13. opus esse, nostra, opinor, ostendit interpretatio. — *Stillant* pinguedinem (vs. 12.) i. e. eximia fecunditate gaudent *pascua deserti*, *Et jubilo colles se cingunt*, laetissimum exhibent vul-
14. tum, cf. vs. 14. — *Vestita sunt arva ovibus*, *Et valles tectae sunt frumento*, *Jubilantque canuntque*, laetis vocibus omnia resonant.

1. PS. LXVI. *Praecentori* (4, 1.) *cantandum canticum*, *carmen* (30, 1.). Videtur cantatum esse a reductis de exsilio Babylonico, vs. 10 sqq., eo quidem tempore, quo reparatum erat templum, vs. 13 sqq., fortasse in ipsa reparati templi consecratione. Strophae quinque: vs. 1—4: celebrate deum, omnes populi, 5—7: qui potentiam suam ostendit in ducendis ex Aegypto majoribus! 8—12: celebrate deum, populi, qui de exsilio nos revocavit! 13—15: promissa deo offeramus sacrificia, 16—20: qui preces, quibus quum in miseriis versaremur ipsum appellavimus, audivit! — Stropha prima cum secunda efficit
2. prooemium. *Jubilate deo*, *universa terra!* — *Canite gloriam nominis ejus*, *Reddite gloriam* i. e. gloriosum *hymnum ejus*, i. e. glorioso eum celebrate hymno! שִׂים cum duplici Accusativo. Male nonnemo hic laudat quam Jos. 7, 19. legimus locu-
3. tionem plane alienam ab ea quae h. l. habetur. — *Dicito deo: Quam admiranda sunt facinora tua! Propter magnitudinem potentiae tuae adulantur tibi hostes tui.* נוֹרָא Praedicatum in Sing potuit poni, quod Subjecto praecedit. Sic 119, 137: יָשָׁר
4. מִשְׁפָּטֶיךָ, E. gr. ampl. p. 638 sq. G. gr. min. §. 144. — *Un-*

versa terra se prosternit tibi, coram te, te veneratur, *Et canit*
tibi, *canit nomen tuum*. — *Agite et videte*, contemplamini 5.
opera dei, *Admirandi facinore*, admirandorum facinorum dei,
admiranda patrantis facinora, *in hominibus!* נוֹרָא עֲלִילָה ut
גְּדֹל הָעֵצָה וְרַב הָעֲלִילִיָּה Jer. 32, 19. al. G. gr. min. §. 110.
E. gr. min. §. 490. — *Convertit mare*, sinum Arabicum puta, 6.
in aridum, terram aridam, siccam, *Fluvium*, Jordanem intellige,
transiere majores nostri *pede*, pedibus, sine pontis aut navis
subsidio; *Tunc laetati sumus eo*, deo. יַעַבְרוּ, נִשְׂמְחָה *trans-*
ierunt, *laetati sumus* E. gr. ampl. p. 529. נִשְׂמְחָה est *commu-*
nicative dictum, prorsus ut in eadem re עָבְרֵנוּ Jos. 5, 1. et לָנוּ
ibid. vs. 6. Itaque non est opus, ut cum alio interprete postrema
verba in hunc sensum trahas: *ea in re* (coll. Hos. 6, 7.) i. e.
in contemplatione admirandi illius transitus *laetemur eo*, deo!
— *Dominatur* ille *potentia sua perpetuo*, *Oculi ejus in po-* 7.
pulos prospectant, eos observant; *Refractarii*, populi qui deo
ejusque populo adversantur, *non audebunt efferre se sibi*. אַל
h. l. est subjectivum, quod dicitur, ut 34, 6. 41, 3. 50, 3. cf.
supra vs. 3. hemistichium posterius. Quod *efferre se* interpretati
sumus הֵרִים propr. significat *tollere se*. caput vel manum vel
pedem, cf. G. gr. ampl. p. 851. Masorethae sensum sublevantes:
יָרוּמוּ. לָמוֹ ut 58, 8. — Venit jam ad id, quod praecipuum 8.
Psalmo continetur. *Celebrate*, *populi*, *deum nostrum*, *Et edite*
vocem laudis ejus! — *Qui posuit animam nostram in vita*, in 9.
vitam nos revocavit mortuos quasi in exsilio, cf. 68, 21. 107, 20.,
Nec dedit, tradidit *nutando* s. *ad nutandum pedem nostrum*
i. e. nec permisit nutare pedem nostrum (cf. eadem structura
16, 10.) i. e. nec permisit, ut miseriae succumberemus. — *Nam* 10.
explorasti nos, inflictis nobis calamitatibus, *o deus*, *Probasti*
nos, in fornace miseriae, ut apud Jes. 48, 10. dicitur, *sicut pro-*
bátur argentum. כִּצְרֹף *sicut probant*, impers. E. gr. min.
§. 545. — *Induxisti nos in rete*, in angustias, *Posuisti grave* 11.
onus in lumbis nostris. Hemistichium prius alius sic reddidit:
duxisti nos in speculam, quod quid hic sibi velit difficile intel-
lectu est. מוּעָקָה *grave onus* ab עוּק coarctari, premi; cf. vic.
צוּק et derivata. *Lumbis* vero onus impositum dicitur, non quod
lumbis nituntur onera gestanda, ut putant viri docti, ut quod
quaesitum, sed quod imago petita est a *jumentis*; cf. vs. 12.
Alii מוּעָקָה *pressuram* positam hic volunt pro *catenis*, *vinculis*,

quae interpretatio firmari potest auctoritate Chaldaei. Sed lumbis
12. catenae rarius injiciuntur. — *Inequitare fecisti homines capiti*
nostro, nobis, imagine ducta ab equis, qui ab equite insidente
domantur, *Intravimus in ignem et in aquam*, vel si mavis:
ivimus per ignem cet., venimus in extrema pericula; *Et*, sed
eduxisti nos ad abundantiam, ereptos e periculis recreasti omni-
gena felicitate. Dicitur רָכַב לְרֹאשׁ, quia qui equitat, capiti
quasi insidet jumenti. Alii: *curru vehi fecisti homines in*,
super *caput nostrum*, quod ad versum proxime praegressum
minus accommodatum videtur quam quod supra dedimus. *Ignis*
13. et *aqua* periculorum imagines, cf. Jes. 43, 2. al. — *Veniam in*
domum tuam cum holocaustis, *Persolvam tibi vota mea*. De
14. Sing. vid. ad 65, 4. Ad בְעוֹלוֹת cf. 35, 2. ibique not. — *Quae*
(vota) *aperuerunt*, enuntiarunt *labia mea*, *Et locutum est os*
meum, *cum in angustiis versarer*. פָּצָה, alias cum פֶּה, h. l.
cum Acc. ejus quod quis proloquitur constructum i. q. *proloqui*,
enuntiare, *promittere*, quo significatu latini quoque aliique utun-
tur aperiundi verbo. Quod 49, 5. habetur פָּתַח conferri nequit,
15. ut quod ibi significet *incipere*, *exordiri*. — *Holocausta ovium*
pinguium offeram tibi cum suffitu i. e. adolendo adipe *arietum*,
Faciam, parabo tibi offerendos *boves cum hircis*. מֵחַ *pinguis*,
praesertim de ove, ut arab. مُخِيخٌ. Qui significatus hic non
est extenuandus; optime enim ovibus conveniunt אֵילִים *arietes*.
Verba enim עִם קְטֹרֶת אֵלִים alii sic struunt: *cum suffitu arietes*
16. (offeram tibi). — *Agite*, *audite*, *et narrabo*, *omnes cultores dei*,
Quae fecit animae meae, mihi, quanta in me contulerit bene-
17. ficia! — *Ad eum ore meo clamavi*, *Et celebratio* erat *sub*
lingua mea, opem ejus imploravi, paratas habens dignas ope
laudes. פִּי קָרָאתִי vid. ad 3, 5. רוֹמָם Nom. subst. *elatio*, *ce-*
lebratio, cujus Pluralem habes 149, 6. תַּחַת לָשׁוֹן, תַּחַת שְׂפָתַיִם,
sub lingua, *sub labiis* dicuntur esse verba, quae quis in ore
parata habet, 10, 7. 66, 17. 140, 4. Cant. 4, 11.; contra עַל
לָשׁוֹן *super lingua* est id, quod quis in praesenti proloquitur,
15, 3. Prov. 31, 26. cf. Ps. 16, 4. 50, 16. Eccl. 5, 1. Hemi-
stichium posterius ab aliis ad tempus praesens refertur in hanc
sententiam: *Ad deum ore meo clamavi*, *Et celebratio* est *sub*
lingua mea, et jam in eo sum ut laudibus efferam illum, i. e.
et precibus meis ille satisfecit. Verum quum posterius hemisti-

chium nihil habeat, ex quo praesens tempus respici certo possit
colligi, cauti, opinor, interpretis erit, referre illud ad idem tem-
pus, ad quod pertinet prius. — *Vana* i. e. deos falsos *si spe-* 18.
ctassem in corde meo, i. e. animum si diis fictitiis dedissem,
Non auditurus fuisset dominus. אָזַן ut Jes. 66, 3. al. Confe-
renda ad hunc locum sunt quae leguntur 44, 18 sqq. — *Verum* 19.
audivit deus, *Attendit ad vocem precum mearum.* — *Cele-* 20.
bratus sit deus, *Qui non recedere fecit*, rejecit *preces meas*,
et gratiam suam non recedere fecit *a me!*

PS. LXVII. *Praecentori* (4, 1.) *fidibus* (ibid.) canendum 1.
carmen, canticum (30, 1.). Fusum videtur occasione largae messis, vs. 7. Strophae tres: vs. 2—3: res nostras deus fortunet, ut benignitatem ejus cognoscant omnes populi! 4—5: te, o deus, celebrent omnes populi, quod ipsos recte judicas et gubernas! 6—8: te celebrent omnes populi, quod terra reddit
fructum suum! — *Deus propitius sit nobis et fortunet nos*, 2.
Illustret faciem suam nobiscum, sereno, propitio vultu, gratiose
nos respiciat! cf. 31, 17. 4, 7. — *Ut cognoscant in terra viam* 3.
tuam, tuam agendi rationem, *Inter omnes populos auxilium*
tuum, ut intelligant omnes mortales, quomodo agere soleas cum
tuis cultoribus, quomodo eos serves et tuearis. — *Celebrent te* 4.
populi, o deus, Celebrent te populi omnes! Optative, non
indicative haec et quae subjiciuntur accipienda esse docet vs. 2.
— *Laetentur et jubilent nationes, Quod judicas populos recte*, 5.
Et nationes, quod *in terra ducis eas*, eas gubernas! — *Cele-* 6.
brent te populi, o deus, Celebrent te populi omnes! — *Terra* 7.
dedit proventum suum. Fortunet nos, pergat nos fortunare
deus, deus noster! — *Fortunet nos deus*, *Et timeant*, vene- 8.
rentur *eum omnes fines terrae!*

PS. LXVIII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Davidis car-* 1.
men, canticum (30, 1.). Artificiosius quam elegantius carmen, in quo quae prae ceteris nitent depromta sunt ex antiquioribus carminibus, cantatum, ut videtur, post reparatum a defunctis exsilio templum, vs. 7. 20 sqq., in solenni pompa vs. 25 sqq. ad recolendam liberationis ab exsilio memoriam instituta. Strophae novem, quarum prima exordii instar praemissa est, vs. 2—4: si deus exsurgit, fugiunt ejus hostes, exsultant pii. 5—7: munite viam Jovae, duci nostro per deserta, qui mise-

rorum causam agit, captivorum solvit vincula! 8—11: tu,
o deus, eduxisti nos ex Aegypto, 12—15: possidendam nobis
dedisti terram Cananaeam, 16—19: dignum habuisti Sionem,
quo sedem tuam collocares; 20—24: mortuos quasi in exsilio
jam tu revocas in vitam, hostes nostros tu prosternis. 25—28:
descriptio pompae solennis. 29—32: te revereantur, 33—36:
2. te celebrent omnes populi! — Exordium 2—4. *Exsurgit deus:
dispergunt se hostes ejus* i. e. si exsurgit deus, dispergunt se
cet., *Et fugiunt osores ejus a facie ejus.* Utitur vates iisdem
verbis, quibus Moses, quum populum ex Aegypto duceret, uti
consueverat, quotiescunque arca locum mutaret, Num. 10, 35. —
3. *Sicut dispellitur fumus, dispellis; Sicut liquescit cera coram
igne, pereunt improbi,* Jovae adversarii, *coram deo.* תִּנְדֹּף pro
תִּנָּדֵף paronomasiae causa, G. gr. ampl. p. 311., E. gr. ampl.
p. 257. תִּנְדֹּף sc. eos, hostes tuos, quae Objecti omissio non
video quid habeat difficultatis; cf. vs. 2. et quae subjiciuntur.
Omissionis causa et ipsa quaerenda est in paronomasia, plane
4. ut 40, 4. 52, 8. al. — *Et,* sed *justi* i. e. Israelitae, cf. 14, 5.,
laetantur, jubilant coram deo, Et exsultant in laetitia. —
5. Canit jam id quod praecipuum Psalmo continetur, liberationem
ab exsilio 5—7., ad quam interpositis tribus quibus beneficia
a Jova pristino tempore accepta laudat strophis, redit stropha
20—24. *Canite deo, fidibus canite nomen ejus! Viam com-
planate vehenti per deserta, cujus in Jah est nomen,* cujus
nomen est Jah, *Et jubilate coram eo!* In praesenti fieri fin-
gitur, cujus memoria recolitur populi de exsilio reductio; cf.
Jes. 40, 3. סֹלּוּ omisso דֶּרֶךְ. לָרֹכֵב *vehenti* imperatoris instar.
Cogitandum de exsulibus ex Babylonia in patriam migrantibus
duce et auspice Jova. בְּיָהּ שְׁמוֹ relative capienda esse docet
6. quod subjicitur וְעִלְזוּ *et jubilate,* copulandum cum סֹלּוּ. — *Pater
orphanorum et vindex viduarum Deus est in domicilio suo
sancto,* in coelo. Orphani et viduae: miseri, iique exsules, cf.
7. vs. 7. — *Deus habitare facit solitarios,* domo extorres, *domi,
Educit vinctos in omnigenam prosperitatem, Non nisi refracta-
rii,* qui deo ejusque populo adversantur, *habitant aridum,* iis
non licet eadem uti felicitate. אֲסִירִים ,יְחִידִים: exsules. בַּיְתָה
domi, G. gr. ampl. p. 633. E. gr. ampl. p. 513. כּוֹשָׁרוֹת Nomen
formae כּוֹשָׁרָה, *prosperitas,* in Plur. *omnigena prosperitas,*
a כָּשֵׁר rectum esse, hinc bene cedere Eccl. 11, 6., Hi. prosperare

ibid. 10, 10. cf. כִּשְׁרוֹן successus prosper, commodum, ab eadem
rad. בַּכּוֹשָׁרוֹת *in omnigenam prosperitatem*, cum בְּ motus. Re-
spondet quod 66, 12. legitur לָרְוָיָה eodem nexu. סוֹרְרִים ut
66, 7. צְחִיחָה *aridum*, regio arida, miseriae imago. Oppositum
כּוֹשָׁרוֹת. Ceterum cf. ad hunc versum Jes. 61, 1. — Reductio- 8.
nis de exsilio Babylonico memoriam recolenti se offert cogitatio
similis illius majorum eductionis ex Aegypto 8—11. *O deus,*
cum exires ex Aegypto *coram populo tuo*, cum majores nostros
duceres ex Aegypto, *Cum incederes per desertum* Arabicum:
— *Terra contremuit, et coeli stillarunt coram deo, Hic Sinai* 9.
contremuit *coram deo, deo Israelis.* Quibus verbis praesentis-
simi numinis majestas et potentia describitur. Depromta haec
duo commata ex Jud. 5, 4. 5. זֶה סִינַי *hic Sinai* (24, 8.), quia
digito quasi monstratur. — *Pluvia larga conspersisti, o deus,* 10.
possessionem tuam i. e. populum tuum migrantem per desertum
Arabicum, *Et fessam, tu confirmasti eam*, et fatigatum rerum
necessariarum penuria populum tu sustentasti, recreasti. גֶּשֶׁם
נְדָבוֹת *pluvia larga*, propr. *imbre liberalitatum* nonnulli signi-
ficari putant mannam, coll. Exod. 16, 4. Ps. 78. 23 sq., quorum
locorum tamen aliam rationem esse, statim videbit, qui illos in-
spexerit. Alii *imbrem* i. e. copiam *donorum* verba reddunt, in-
telliguntque multifaria quibus Jeva Israelitas per desertum iter
facientes ornavit beneficia, ut aquam, mannam, coturnices. Equi-
dem non video, cur noluerint interpretes in significatu proprio
pluviae largae adquiescere, quum migrantibus per loca deserta
Arabiae nihil optatius cadere possit quam pluvia larga. נַחֲלָתְךָ
possessio tua i. e. Israelitarum populus, ut 28, 9. 94, 5. al.
Alii terram Cananaeam intellectam volunt, haud convenienter ad
nexum, quum cur dicatur *fessa fuisse* terra Cananaea, antequam
occuparetur ab Israelitis ratio appareat nulla. Existimant illi
interpretes, populus si intelligatur, quod vs. 11. legitur בָּהּ non
habere quo referatur. In quo quam falsi sint videbimus ad חַיָּתְךָ
vs. 11. Vix dubium vero est, quin נַחֲלָתְךָ cum LXX, Vulg. et
Syro quamquam invito accentu referendum sit ad membrum prius,
ita ut תָּנִיף, quemadmodum alia tegendi, vestiendi verba, cum
duplici Accusativo constructum sit, uno נַחֲלָתְךָ, altero גֶּשֶׁם נְדָבוֹת.
Sic enim facillima et maxime commoda nascitur sententia, im-
peditior, si ad וְנִלְאָה trahitur נַחֲלָתְךָ. — *Tabernaculum tuum,* 11.
habitarunt Israelitae *in eo; Parasti* illud *benignitate tua af-*

flicto, afflictis i. e. per deserta iter facientes tua tutela, tuo praesidio usi sunt, vel חַיָּה *tabernaculo*, poetice pro habitatione qualibet posito (cf. אֹהֶל): *Tabernaculum tuum, consederunt in eo* cet. i. e. occuparunt quam tua benignitas afflictis paravit habitationem i. e. terram Cananaeam. חַיָּה neutraliter: *vivum*, collective: *vivi*, *homines*, hinc *turma*, *agmen* (2 Sam. 23, 11: וַיֵּאָסְפוּ פְלִשְׁתִּים לַחַיָּה *et congregaverunt se Philistaei in agmen*, vs. 13: וְחַיַּת פְּלִשְׁתִּים חֹנָה *et agmen Philistaeorum castra posuerat*, pro quo in loco parallelo 1 Chron. 11, 15: וּמַחֲנֵה פְלִשְׁתִּים ח׳), *tribus minor*, *familia* Nomadum, ut arab. حَىّ; deinde *tabernaculum*, *tentorium* (cf. cognatum חַוָּה), ut vice versa أَهْل, אֹהֶל *tentorium*, deinde *familia*. Plerique חַיָּה hic eo significatu accipiunt, quem habet locis supra allatis, voluntque poetice dictum esse de populo Israelitico (קְהָלְךָ Aben Esra, עַמְּךָ Raschi); בָּהּ vero, quod ad נַחֲלָתְךָ vs. 10. referri non posse vidimus supra, alii ad terram desertam referunt „non diserte expressam, sed facile intelligendam tam ex omni serie orationis, quam ex יְשִׁימוֹן vs. 8.“, in hanc sententiam: *agmen tuum habitavit*, commoratum est *in ea*, terra deserta, *Parasti* sc. victum (coll. 1 Chron. 12, 39. 2 Chron. 35, 14 sq., in quibus tamen locis expressis verbis dicitur de assando et coquendo, edendo et bibendo) *benignitate tua afflicto*, afflictis; alii ad terram Cananaeam, et ipsam e contextu sermonis cognoscendam (cf. vs. 12 sqq.) in hunc sensum: *agmen tuum consedit in ea*, terra Cananaea, *Parasti* eam cet.; alii ad eandem hanc terram,
sed (invita grammatica) sic struentes verba: *agmen tuum con-*
12. *sedit in ea*, *Quam paraveras* cet. — A liberatione a servitute
Aegyptiaca transit jam ad expugnationem terrae Cananaeae 12—15. *Dominus dedit vocem*. *Mulierum laeta nuntiantium exercitui magno*, vel si mavis: *Dominus dedit hymnum* (cf. 19, 3.), *Dedit mulieres laeta nuntiantes* cet. צָבָא רָב Accusativus ejus, cui laeta nuntiantur. „Non id agit vates, ut rem gestam omnem ex ordine multis exponat, quod historici erat, non poetae: choros tantum videt auribusque percipit feminarum ovantium carminibusque celebrantium victorias modo ex hostibus relatas. Feminarum enim permagnas partes fuisse in ejusmodi laetitia publica, intelligitur ex locis Exod. 15, 20 sq. Jud. 11, 34. 1 Sam. 18, 6 sq. 21, 12. 29, 5. 2 Sam. 1, 20.“ Schnurrer. —

Sequitur epinicium ipsum 13—15. „*Reges exercituum*, Cana- 13.
naeorum, *fugiunt*, *fugiunt*; *Et matrona partitur praedam*, —
Quum recumbitis, quum bello feliciter gesto domum reduces facti 14.
iterum, o heroes, dulci otio indulgetis *inter caulas*, *Alas* partitur *columbae obductae* v. *obductas argento*, *Et pennas ejus cum pallore auri*, aureas s. auro obductas, i. e. signa quibus
potiti estis militaria argento et auro facta. — *Cum dispergeret*, 15.
ad internecionem caederet *omnipotens reges in ea*, terra Cananaea, *Canduit* (impers.) *instar nivis in Zalmone*" i. e. tum terra Cananaea eandem niveam faciem habuit, qualem habuit Zalmon mons, i. e. tum tanta fuit regum strages, ut terra obtecta truncatis caesorum cadaveribus alberet, quemadmodum albuit Zalmon mons excisis ab Abimelecho illius arboribus Jud. 9, 48 sq. cf. Joel. 1, 7. Conferri quodammodo possunt Virg. Aen. 5, 865: albi ossibus scopuli, 12, 36: campi ossibus albent, Ovid. Fast. 1: humanis ossibus albet humus. נְוַת בַּיִת vs. 13. *habitatrix* (נְוַת fem. constr. נָוֶה vocis) *domus* i. e. οἰκουρός, matrona, quae domi se continet, in illis maxime regionibus, nec in celebritate hominum versatur. „Feminis, non viris, quod tribuitur praedae partitio, elegantissimum est, atque ad rem ipsam accommodatissimum. Nempe viris satis est, hostes prostravisse, proelioque vicisse: praedam vero, ipsorum virtute partam, ejusque aequabilem partitionem non admodum curare sinit animi elatio atque liberalitas." Schnurrer. Ceterum cf. ad hunc et proximum versum Jud. 5, 11. 16. שְׁפַתַּיִם vs. 14. *stabula*, *caulas*, i. q. מִשְׁפְּתַיִם Jud. 5, 16. Gen. 49, 14., ubi cf. not. Verba כַּנְפֵי יוֹנָה נֶחְפָּה בַכֶּסֶף propr. sic sonant: *alas columbae obductae argento*, possitque in hac interpretatione adquiesci. Quum vero in sententiis, quarum Subjectum efficitur Nominibus duobus statu constructo conjunctis, Praedicatum ad Nomen prius referendum haud raro construatur cum Nomine posteriore, G. gr. ampl. p. 720 sq. E. gr. ampl. p. 641 sq., verba etiam hoc modo accipi possunt: *alas columbae obductas argento*, quae ratio propter parallelismum videtur praeferenda esse. Pendent autem, nisi egregie fallor, et haec et quae subjiciuntur, prorsus ut שָׁלָל vs. 13., ex תְּחַלֵּק ibidem, suntque alae istae et pennae columbinae obductae vel factae auro et argento nihil aliud quam signa militaria nunc auro nunc argento modo facta modo obducta (cf. Comment. ampl. ad Jos. p. 84.), columbae expansis

alis habentia speciem, qualem habuisse traduntur signa Assyriorum et Babyloniorum, de quibus cf. Buxt. Lex. chald. p. 960 cf. Romanorum al. *aquilas.* בָּהּ vs. 15. sine negotio ad terram Cananaeam refertur hoc nexu; cf. Jes. 8, 21. תַּשְׁלֵג denom. a שֶׁלֶג propr. *nivem facere,* hinc *nivei coloris esse, candere, albere nivis instar,* cf. G. gr. min. §. 52, 2. תַּשְׁלֵג fem. impersonaliter capiendum. *Albuit in Zalmone* iterum mirandum est neminem vidisse esse locutionem proverbialem, ortam ex Jud. 9, 48 sq. eamque habentem sententiam, quam subjiciendam vidimus supra. Observa etiam haud inelegantem significatuum, qui in תַּשְׁלֵג בְּצַלְמוֹן inest, lusum, quum צַלְמוֹן propr. significet *umbrosum, tenebricosum.* Sic equidem ego expediendos putavi difficiliores hos versus. Aliorum maxime quaesitas interpretationes ut [illegible]-
16. rem a me impetrare nequeo. — Ab expugnationis terrae Cananaeae mentione transit ad id, quod Jova dignum prae [illegible] montibus habuerit Sionem, quo sedem suam collocaret. 16—19. *Montes dei, montes Basanitidis* i. e. vos, praealti montes Basanitici, *Montes cacuminum, montes Basanitidis,* vos multorum
17. cacuminum montes Basanitici, — *Cur invidiose observatis, o montes, cacumina, Montem,* quem *petiit deus in habitationem suam,* quo sedem suam collocaret? *Imo vero Jova habitabit* eum *in perpetuum!* הַר vs. 16. ut saepius montium tractum, montana, montes significare videtur; cf. vs. 17. הַר אֱלֹהִים *montes dei:* praealti; cf. 36, 7. ibique not. Nonnulli: *Montes dei* sunt *montes Basanitidis, Montes cacuminum* sunt *montes Basanitidis* i. e. praealti quidem et multorum cacuminum sunt montes Basanitidis: *Tamen* cet. Nescio tamen an rectius הַר אֱלֹהִים *Sinai* montem esse dicam, הַר בָּשָׁן *Hermonem,* uterque enim pluribus *cacuminibus* (גַּבְנֻנִּים) constabat. Tum sic habebit locus: *Mons dei,* Sinai, *mons Basanitidis,* Hermon, *Mons cacuminum* (Sinai), *mons Basanitidis* (Hermon) cet. [illegible] vs. 17. i. q. رصد *observare, insidiari,* Pi. oculis intentis, insidiare, *invidiose observare.* הָרִים גַּבְנֻנִּים vel asyndeton, vel גַּבְנֻנִּים [illegible] Adjectivi in appositione est positum, E. gr. min. §. 481. הָהָר *Sion.* חָמַד וגו' relative accipienda. אַף ut 58, 3. 44, 10. Ceterum quod montes *Basanitidis* invidere finguntur Sioni honorem illum eximium, quod dignus habitus esset, quo sedem suam regiam collocaret deus, ratio est, quod regiones transjordanenses ante quam cisjordanenses ab Israelitis erant expugnatae, ita ut

spes esset montibus trans Jordanem altis, fore, ut ex ipsis aliquem Jova sibi deligeret sedem. — Describitur nunc solennis 18.
pompa Jovae e Sinai monte in Sionem transmigrantis, imperatoris triumphantis instar invehentis innumeris stipati curribus, populorum alios vi subjicientis suo imperio, ab aliis, qui ultro se subjiciunt, promissionem fidei in se accipientis vs. 18. 19. In qua descriptione non modo Josuae aetatis ratio habetur, sed quaecunque inde ab illa aetate usque ad Davidem et Salomonem gesta sunt comprehenduntur. *Currus dei, duae myriades, millia iterationis,* millia iterata, multa millia; *Dominus inter eos est. Sinai in sacrario est*, Sionis puta, q. d. Sinai in Sionem transiit; cf. illud Martialis 4, 60: in medio Tibure Sardinia est, vel Themistii or. 31: μετελήλυθεν ὁ Ἑλικὼν εἰς τὸν Βόσπορον, transiit Helicon in Bosporum. רֶכֶב ut plerumque collective est positum. „Sicut magni olim reges suam ostentare potentiam solebant magna curruum bellicorum copia, veluti Pharao, qui currus eduxit sexcentos Exod. 14, 7., Jabin, qui nongentos Jud. 4, 13. (vid. et 1 Sam. 13, 5. 2 Reg. 6, 14. 1 Chron. 19, 7. Ps. 20, 8.): ita vates regem supremum Israelitici populi, Jovam, inducit tanquam victorem triumphantem, spirituum coelestium exercitu infinito stipatum, in Sionem, locum, quem sedem sibi elegit (vs. 17.) ascendentem. Currus tribuuntur coelesti exercitui, quo Jova utitur, etiam Hab. 3, 8. 2 Reg. 2, 10. 11. 16, 17.“ Ros. Cf. etiam Ps. 103, 20 sq. et Deut. 33, 2., ubi: וְאָתָה מֵרִבְבֹת קֹדֶשׁ *et venit a myriadibus sanctitatis*, sanctis, vel *sacrarii*. Quum scriptor Psalmi semel atque iterum in suos usus converterit antiquiores scriptores, atque etiam hoc loco, ut modo vidimus, ante oculos habuisse videatur Deut. 33, 2., haud male recentiorum interpretum aliquis pro סִינַי בַּקֹּדֶשׁ legendum conjecit בָּא מִסִּינַי in hanc sententiam: *dominus venit de Sinai in sanctitate*, coll. l. l., ubi: יְהוָה מִסִּינַי בָּא. Quam conjecturam qui admittet, poterit etiam *in sacrarium*, Sionis puta, reddere בַּקֹּדֶשׁ. — *Adscendis altitudinem* i. e. Sionem, *ducis capti-* 19.
vos, *Accipis dono homines*, dono tibi dantur, se dant homines, i. e. ultro tuo imperio se subjiciunt populi, *Atque adeo refractarios*, qui imperio tuo adversantur populis *habitandum est cum Jah deo*; coguntur illi quoque adire templum Jovae, Jovae in fidem et clientelam se conferre. עָלִיתָ לַמָּרוֹם *adscendis*, *ducis* [illegible]. Loquitur vates, tanquam si praesens spectator sit rerum,

quas describit. Alii: *adscendisti*, *duxisti* cet. Qua ratione si interpretaris, scriptor ex eo, quo scripsit, tempore rem metitur. מָרוֹם *altitudo* i. e. Sion mons; cf. הַר מְרוֹם יִשְׂרָאֵל *mons altitudinis*, mons altus *Israelis* i. e. Sion Ezech. 17, 23. 20, 40. לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם ad verbum: *accipis dona* quae *ad homines* pertinent, propr. quod germ. dicimus *an Menschen*, ut Gen. 7, 21. al. De sensu vid. supra. Aliis בָּאָדָם est *inter* vel *apud homines*. Ita generatim Jova munera accepisse dicitur obsequii et observantiae causa oblata. Aptum hoc quoque, nisi quod ita בָּאָדָם est otiosius. סוֹרְרִים לִשְׁכֹּן propr. *refractarii* (הָיוּ *sunt*) *ad habitandum*, debent habitare G. gr. min. §. 129. E. gr. min. §. 544. cf. Ps. 49, 15. שָׁכַן cum Acc. ut vs. 7. 65, 5. al. שָׁכַן יָהּ i. q. גּוּר יָהּ 5, 5. Alii: *et refractariis quiescendum est* (Jud. 5, 17. Prov. 7, 11.), *o Jah, deus!* Alii לִשְׁכֹּן יָהּ אֱלֹהִים ad עָלִיתָ referunt, סוֹרְרִים vero construunt cum בָּאָדָם in hanc duriorem, ut mihi videtur, sententiam: *Adscendis* (al. *adscendisti* et sic porro) *altitudinem*, — *ducis captivos*, *Accipis dona inter homines*, *Atque adeo inter refractarios*, — *ad habitandum* ibi (in altitudine, Sione), *o Jah, deus!* Ceterum
20. cf. ad vs. 18. init. — Absoluta tribus strophis descriptione eductionis Israelitarum ex Aegypto, expugnationis terrae Cananaeae, occupationis montis Sionici, jam eo redit, unde est egressus (5—7.), id est, ad liberationem ab exsilio 20—24., in qua recolenda iterum incipit a celebratione numinis divini. *Celebretur dominus quotidie! Onus imponit* aliquis *nobis*: i. e. si quis onus imponit nobis, cf. vs. 2., *deus* est *auxilium nostrum*. Sic quidem יַעֲמָס impersonaliter accepimus. Fortasse tamen rectius ad deum referes in hanc sententiam: *onus si imponit nobis, deus*, ipse, est *auxilium nostrum*; cf. eadem sententia 66, 11. 12. Alii eundem hunc sensum faciunt, sed sic struunt verba: Qui *onus imponit nobis*, *deus* est *auxilium nostrum*, qui onus imponit nobis deus, idem est cet. Sed dubito vehementer, possitne unquam ab initio sententiae omitti אֲשֶׁר. Alii: *portat deus pro nobis*, sublevat onus nobis impositum, *deus* est cet. cf. vs. 29. Ceterum vix est quod moneam, *onera* significari ser-
21. vitutis Babylonicae jugum. — *Deus nobis* est *deus ad salutem*, salutem afferens, *Et Jovae*, *domino* sunt i. e. et in potestate Jovae, domini sunt *pro morte exitus* i. e. habet Jova vias modosque, quibus suos possit morti subducere. Ad תּוֹצָאוֹת cf. יָצָא

Eccl. 7, 18: יְרֵא אֱלֹהִים יֵצֵא אֶת־כֻּלָּם *timens deum evadit ex*
his omnibus. Morte significatur exsilium, in quo quasi mortuus
erat populus, ut 66, 9. — Mactandi hostes ultioni Israelitarum 22.
22 sqq. *Certe deus percutiet caput hostium suorum, Verticem*
capilli, capillatum *ejus qui incedit in delictis suis*, ejus qui in
Jovam delinquit, Jovae (populo ejus) adversatur. In posteriore
hoc membro מָחַץ cum duplici Accusativo est constructum, uno
totius personae, מִתְהַלֵּךְ בַּאֲשָׁמָיו, altero partis quae percutitur,
קָדְקֹד שֵׂעָר; cf. ad 3, 8. קָדְקֹד שֵׂעָר i. q. alibi simplex קָדְקֹד id
quod perlucet ex radice קָדְקֹד vocis. Itaque desinant in hoc
loco argutari interpretes! — *Dixit dominus: „ex Basanitide* 23.
reducam, Reducam ex profundo maris i. e. undecunque cogam
qui olim in hac tua terra te, Israel, afflixerunt hostes, mactan-
dos tuae ultioni (vs. 24.); cf. vs. 30 sqq. „מִמְּצֻלוֹת יָם“ poetice
dictum est pro מִיָּם (nisi quod *profundum maris* videtur ad-
junctam habere notionem *latendi*, cf. Am. 9, 3.), cumque *mare*
hoc loco oppositum sit Basanitidi, regioni ad orientem sitae,
haud difficulter intelligitur, significari mare occidentale, seu me-
dium. Neque vel maris vel Basanitidis mentio aliam hic vim
habet, quam quae posita est in plaga designanda. Adeoque
sensus est, hostiles copias a deo utrimque (i. e. undecunque)
adductum, atque Israelitico populo traditum iri ad internecio-
nem.“ Schnurrer. Alii eos, qui undique cogendi dicuntur, non
hostes, sed Israelitas esse volunt, coll. Jes. 49, 12. Quae sen-
tentia propterea videtur rejicienda esse, quod et in iis quae
proxime praecesserunt, et in iis quae proxime sequuntur, Ob-
jectum efficiunt hostes. Ad hoc minus favet isti interpretationi,
quod vs. 24. vates usus est persona secunda. — *Ut agites,* 24.
o Israel (cf. vs. 29.), *pedem tuum in sanguine*, hostium puta,
Lingua canum tuorum, de hostibus sit *pars ejus*“ i. e. atque
ut lingua canum tuorum habeat partem in hostibus, voranda
carne lambendoque sanguine eorum. מָחַץ *agitavit, vehementer*
commovit, concussit (hinc percussit vs. 22.), ut arab. مَخَضَ
id. v. e. urnam in puteo, lac in utre ad colligendum butyrum al.
Praeter omnem necessitatem nonnulli pro תִּמְחַץ legi jubent תִּרְחַץ
ut *laves*, coll. 58, 11: *gressus suos lavat in sanguine improbi*,
quasi *agitare* pedem in sanguine minus aptum sit quam *lavare*
pedem in sanguine. LXX et Vulg. *ut intingatur.* לְשׁוֹן כְּלָבֶיךָ
Nomin. absol. מִנֵּהוּ est nomen מֵן *pars, portio* (a rad. מָנַן)

cum Suff. masc. tertiae pers. ad לְשׁוֹן nomen generis communis relato. Prorsus damnanda est eorum ratio, qui posterius hemistichium subintellecto תִּשְׁתֶּה in hunc sensum trahunt: *ut lingua canum tuorum* bibat *de hostibus*, *de iis*, coll. 2 Sam. 23, 17. Ejus enim loci plane alia ratio est, utpote quo *bibendi* verbum sine ullo negotio compleatur ex duobus qui proxime praecedunt versiculis. Ibi enim scriptor Davidem optasse dicit, ut sibi aliquis aquam *bibendam* afferret ex puteo, qui esset Bethlehemi. Tum tres heroes prorupisse per castra Philistaeorum, hausisse aquam ex illo puteo, eamque ad Davidem attulisse. Verum noluisse eam *bibere* Davidem, sed dixisse: *horumne virorum san-*
25. *guinem* (ego bibam)? cet. — Sequitur jam descriptio ipsius
pompae institutae ad recolendam memoriam liberationis ab exsilio 25 — 28: *Spectant incessus tuos*, pompam tuam solennem, *o deus*, *Incessus dei mei, regis mei in sacrario.* רָאוּ *spectant* spectatores, in quo nihil equidem video languidi, quandoquidem
26. multitudine spectatorum augetur pompae solennitas." — *Praece-*
dunt cantores, *post fidicines*, *In medio virginum pulsantium tympana*, quod instrumentum etiamnunc a feminis tractari solet
27. in oriente. אַחַר Adverbium. — „*In concionibus celebrate deum*,
Dominum, vos *ex fonte Israelis*, qui stirpis estis Israeliticae!" מִמְּקוֹר יִשְׂרָאֵל breviter dictum pro אֲשֶׁר מ׳ י׳; cf. simillima Jes.
28. 48, 1. — *Ibi*, in solenni pompa, adest *Benjamin*, *natu mini-*
mus, *dominus eorum*, i. e. tribus Benjaminitarum adest una cum principe eorum, *Principes Judae*, *agmen eorum*, principes tribus Judae cum civibus suis, *Principes Sebulon*, *principes Naphthali*. רֹדֵם propr. *dominans* (רֹדֶה) *eis*, cum Accusativo Suffixi, ut saepius. Suffixum vero est ad בִּנְיָמִן Nomen collectivum referendum. רִגְמָה *acervus*, hinc *caterva*, *agmen* a רָגַם, arab. رَكَمَ congessit, coagmentavit, coacervavit. Male nonnulli *lapidem* reddunt eumque pro *fulcro* positum volunt, coll. Gen. 49, 24. Potest enim רִגְמָה *acervum* quidem *lapidum* (ut رُكَام, acervum arenae, nubium, رُكْمَة, acervum luti), minime vero *lapidem* significare. ־ָם referendum est ad יְהוּדָה, plane ut ־ֵם ad בִּנְיָמִן. Duo paria tribuum nominat instar omnium: nam Benjamin et Juda in finibus terrae australibus sitae erant, Sebulon et Naphthali in finibus septentrionalibus. Similia vidimus 60, 8. 9. Cessaverat quidem post exsilium accuratior tribuum separatio;

vates vero eo qui fuerat pristino tempore delectatur rerum statu. Primo loco nominatur Benjamin, quod ea in tribu urbs Hierosolymitana erat sita. — Adjiciuntur nunc vota pro confirmando 29
atque augendo imperio Jovae, 29 — 32. *Decrevit deus tuus*, o Israel, *potentiam tuam*, te potentem esse jussit, oraculis puta pristino tempore editis. Itaque *potens esto*, potentem te praesta firmando atque amplificando imperio nostro, *o deus*, *qui praesentem te exhibes*, exhibere soles *nobis!* Suffixa in אֱלֹהֶיךָ et עֻזֶּךָ referenda sunt ad Israelem; cf. vs. 24. Antiqui interpretes sic interpretantur, ut si pro צִוָּה אֱלֹהֶיךָ legerint צַוֵּה אֱלֹהִים, quos secuti recentiorum nonnulli locum hunc sic sunt interpretati: *demanda* (cf. 42, 9. 44, 5.), *o deus*, *potentiam tuam!* Qua ratione evitatur subita personarum mutatio, sed praeter necessitatem, quum vates hic talia mirifice amet; cf. vs. 2. et 3., 8. 9. 10., 18. et 19. פָּעַל ut עָשָׂה 22, 32. 37, 5. 52, 11. —
Ex palatio, templo *tuo super Hierosolymis*, imminente Hiero- 30
solymis! *Tibi offerant reges munera!* Hemistichium prius manifeste construendum est cum עוּזָּה vs. 29. in hunc nexum: potentem te praesta ...., *ex palatio tuo* cet. cf. vs. 36. et 110, 2. Languidum, si quid aliud, est quod plerisque placuit *Propter templum tuum .. Tibi offerent* rel. — *Increpa*, terre *bestiam* 31
arundinis, leonem i. e. hostem saevum, *Turbam taurorum cum vitulis populorum*, turbam hostium ferocium una cum populis qui illos sequuntur! *Prosternens sibi cum frustis argenti* i. e. faciens ut argenti frusta pro tributo supplices offerant, *Dispergit*, in fugam conjicit deus *populos*, qui *bella amant*. חַיַּת קָנֶה *bestia arundinis*: leo, qui in illis regionibus cubile haud raro in arundinetis habet; cf. Jer. 49, 19. 50, 44. Zach. 11, 3. coll. not. ad Jer. 12, 5 sq. p. 553. *Leones* autem et qui subjiciuntur *tauri* pro *hostibus* sunt positi; cf. 22, 13. 14. 17. 22. al. Quod dicit turbam *taurorum cum vitulis populorum*, in eo haud eleganter tropicis miscet propria. Plerisque חַיַּת קָנֶה est crocodilus i. e. Aegyptus. Quam sententiam quo minus meam faciam vel hoc me impedit, quod quae membro secundo dicuntur, generatim intelligenda sunt. Alius non *bestiam*, sed *turbam* (coll. vs. 11.) *arundinis* (leones, tauros) intelligit, neque hoc quidem male: sic enim חַיַּת voci responderet עֲדַת. Neque tamen idonea causa haec videtur, cur a vulgari significatu recedas. In explicandis verbis מִתְרַפֵּס בְּרַצֵּי כָסֶף interpretes ad unum omnes

a vero aberrasse video. Non potest מִתְרַפֵּס cum praegressis construi ullo modo. Conjungendum est cum Subjecto בִּזַּר verbi, deo, inquam. מִתְרַפֵּס (רָפַס pedibus calcare) non significat hoc loco *se pedibus calcandum praebere*, *se prosternere*, sed *sibi* aliquem *pedibus calcandum praebere*, *sibi* aliquem *prosternere*, de qua vi Hithpael formae vid. G. gr. min. §. 53. E. gr. min. §. 243.; *sibi* vero *prosternere* aliquem *cum frustis argenti*, nihil hic est aliud, quam facere, ut argenti frusta supplex offerat aliquis i. e. ut tributum submisse solvat. Pro בִּזַּר haudquaquam opus est ut בַּזֵּר Imperativum restituas. Quemadmodum enim personarum numerorumque sic etiam modorum subita mutatione delectatur vates. קְרָבוֹת יֶחְפָּצוּ sententia relativa. —
32. *Venient magnates ex Aegypto*, *Aethiopia accurret*, *manibus suis ad deum* directis, expansis, eum adoratura. חַשְׁמַן *pinguis*, hinc *dives*, *nobilis*, a rad. חָשַׁם, حَشَمَ *pinguis fuit*, hinc dives, opulentus fuit, *multum famulitium multosve asseclas et clientes habuit*. „Bene ad sensum Kimchius: אנשים גדולים ונגידים, et recte jam Pfeifferus contulit arab. حَشِيمٌ (et مُحْتَشَمٌ) sec. Dschauhar. vir magnus et magni famulitii, propr. ni fallor, vir pinguis, cf. حَشَمٌ, حَشَمَةٌ, أَحْشَامٌ famulitium, servi, propr. pinguedo, opulentia alicujus. Eandem significationem haberes, si חשמנים idem esse statueres quod שמנים, addito ח (cf. חַנָמַל i. q. נְמָלָה al. [vid. etiam G. gr. ampl. p. 863.]), sed illud commendatur tum nominibus hebraeis חָשֻׁם, חֶשְׁמוֹן, חַשְׁמֹנָה, tum linguae arabicae usu, aliudque ejus vocabuli vestigium est in n. pr. Ἀσαμωναῖος, quod gessit avus Mattathiae (Jos. Arch. 12, 6, 1.), et postea universae Maccabaeorum familiae tributum est.“ Ges. Thes. ןַ- syllaba est formativa. חַשְׁמַנִּים ut רַעֲנַנִּים, שַׁאֲנַנִּים al. In hemistichio posteriori verum iterum video fugisse interpretes. Sic illi interpretantur: *Aethiopia accurrere faciet*, accelerabit *manus suas ad deum*, vel ad eum adorandum, vel ad dona offerenda. Quam incommode vero dicatur *accurrere facere manum* nemo non videt. Hi. רוּץ verbi hic non est *accurrere facere*, sed idem quod Kal *currere*, *accurrere*, propr. *cursum*, *accursum facere*, cf. G. gr. min. §. 52, 2. E. gr. min. §. 239., יָדָיו לֵאלֹהִים vero non cum תָּרִיץ construenda sed seorsum capienda sunt, ita ut sententiam efficiant secundariam hanc:

manibus suis ad deum directis, expansis, prorsus ut עָלֶיךָ עֵינָי in verbis אִיעֲצָה עָלֶיךָ עֵינִי *consulam tibi*, *in te* directo *oculo meo* 32, 8., ubi cf. not. Quod ad rem cf. Jes. 45, 14. et quae
ibi observavimus. — Sequitur ultima stropha, qua ad celebran- 33.
dam Jovae potentiam omnes populi excitantur 33 — 36. *Regna*
terrae, canite deo, Fidibus canite dominum! — Canite *vehenti* 34.
per coelos coelorum sempiternos, per sempiterna qua late patent spatia coelorum! *En, edit voce sua vocem validam*, ingentem tonitruum fragorem. לָרֹכֵב pendet ex שִׁירוּ לֵאלֹהִים vs. 33., vel si mavis, mutata structura ex זַמְּרוּ אֲדֹנָי ibid., cum זִמֵּר etiam cum Dativo construatur. שְׁמֵי שָׁמַיִם *coeli coelorum*, id est, omnia coelorum spatia utut vasta et infinita; cf. Deut. 10, 14. 1 Reg. 8, 27. Perverse struere videntur, qui יִתֵּן בְּקוֹלוֹ קוֹל sic transferunt: *edit voce sua* sonitum, tonitru, *voce valida*, quasi קוֹל עֹז appositione cohaereat cum בְּקוֹלוֹ. Videtur potius קוֹל עֹז efficere Objectum, ita ut נָתַן בְּקוֹלוֹ קוֹל sit plena locutio pro frequentiore elliptica נָתַן בְּקוֹל, de qua diximus ad Jer. 12, 8. Causa vero expressi קוֹל quaerenda est in עֹז, quamquam eodem
sensu etiam בְּקוֹלוֹ עֹז dici recte poterat. — *Date honorem deo*, 35.
Cujus super Israelem magnificentia est, cujus majestas protegit, regit Israelem, consulit rebus Israelitarum, *Et cujus potentia est in nubibus*, se exserit in tempestatibus pendentibus ex ipsius
nutu (vs. 34.)! עַל יִשְׂרָאֵל וגו׳ relative accipienda. — *Terri-* 36.
bilis, o deus, e sacrariis tuis tu es, terribilem te exhibes, ostendis e templo tuo, terrens inde hostes, cf. vs. 29. 30. *Deus Israelis, is dat potentiam et vires populo; Laudetur deus!* Primum membrum alius sic transtulit: *Terribilis* est *deus*, o Israel (cf. vs. 24. 29.), *e sacrariis tuis*, eodem sensu, sed Suffixo ad populum relato. Sic vero non amant loqui scriptores Hebraeorum sacri, nisi ubi sacraria *illicita* intelligunt, velut Am. 7, 9. Ceterum notum est, מִקְדָּשׁ etiam in Plurali dici de sacrario Jovae, ut quod pluribus partibus constaret, Jer. 51, 51.

PS. LXIX. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* in- 1.
strumenti *Schoschannim (lilia)* dicti (6, 1. 45, 1.) carmen *Davidis*. In exsilio, fortasse ab homine qui e prophetis esset (vs. 7. 8. 10.) carmen compositum esse docent vs. 34. 36. 37., quos temere nonnulli ab aliena manu adjectos putant ea de causa, quod totum populum illi respiciant, quum in reliquis omnibus

flicto, afflictis i. e. per deserta iter facientes tua tutela, tuo praesidio usi sunt, vel חַיָּה *tabernaculo*, poetice pro habitatione qualibet posito (cf. אֹהֶל): *Tabernaculum tuum, consederunt in eo* cet. i. e. occuparunt quam tua benignitas afflictis paravit habitationem i. e. terram Cananaeam. חַיָּה neutraliter: *vivum*, collective: *vivi, homines*, hinc *turma, agmen* (2 Sam. 23, 11: וַיֵּאָסְפוּ פְלִשְׁתִּים לַחַיָּה *et congregaverunt se Philistaei in agmen*, vs. 13: וְחַיַּת פְּלִשְׁתִּים חֹנָה *et agmen Philistaeorum castra posuerat*, pro quo in loco parallelo 1 Chron. 11, 15: וּמַחֲנֵה פְּלִשְׁתִּים ח'), *tribus minor, familia* Nomadum, ut arab. حَيّ; deinde *tabernaculum, tentorium* (cf. cognatum חַוָּה), ut vice versa أَهْل, אֹהֶל *tentorium*, deinde *familia*. Plerique חַיָּה hic eo significatu accipiunt, quem habet locis supra allatis, voluntque poetice dictum esse de populo Israelitico (קְהָלְךָ Aben Esra, עַמְּךָ Raschi); בָּהּ vero, quod ad נַחֲלָתְךָ vs. 10. referri non posse vidimus supra, alii ad terram desertam referunt „non diserte expressam, sed facile intelligendam tam ex omni serie orationis, quam ex יְשִׁימוֹן vs. 8.", in hanc sententiam: *agmen tuum habitavit*, commoratum est *in ea*, terra deserta, *Parasti* sc. victum (coll. 1 Chron. 12, 39. 2 Chron. 35, 14 sq., in quibus tamen locis expressis verbis dicitur de assando et coquendo, edendo et bibendo) *benignitate tua afflicto*, afflictis; alii ad terram Cananaeam, et ipsam e contextu sermonis cognoscendam (cf. vs. 12 sqq.) in hunc sensum: *agmen tuum consedit in ea*, terra Cananaea, *Parasti* eam cet.; alii ad eandem hanc terram, sed (invita grammatica) sic struentes verba: *agmen tuum con-*
12. *sedit in ea, Quam paraveras* cet. — A liberatione a servitute Aegyptiaca transit jam ad expugnationem terrae Cananaeae 12—15. *Dominus dedit vocem* . *Mulierum laeta nuntiantium exercitui magno*, vel si mavis: *Dominus dedit hymnum* (cf. 19, 3.), Dedit *mulieres laeta nuntiantes* cet. צָבָא רָב Accusativus ejus, cui laeta nuntiantur. „Non id agit vates, ut rem gestam omnem ex ordine multis exponat, quod historici erat, non poetae: choros tantum videt auribusque percipit feminarum ovantium carminibusque celebrantium victorias modo ex hostibus relatas. Feminarum enim permagnas partes fuisse in ejusmodi laetitia publica, intelligitur ex locis Exod. 15, 20 sq. Jud. 11, 34. 1 Sam. 18, 6 sq. 21, 12. 29, 5. 2 Sam. 1, 20." Schnurrer.

Sequitur epinicium ipsum 13—15. „*Reges exercituum*, Cana- 13.
naeorum, *fugiunt*, *fugiunt; Et matrona partitur praedam*, —
Quum recumbitis, quum bello feliciter gesto domum reduces facti 14.
iterum, o heroes, dulci otio indulgetis *inter caulas*, *Alas* par-
titur *columbae obductae* v. *obductas argento*, *Et pennas ejus*
cum pallore auri, aureas s. auro obductas, i. e. signa quibus
potiti estis militaria argento et auro facta. — *Cum dispergeret*, 15.
ad internecionem caederet *omnipotens reges in ea*, terra Cana-
naea, *Canduit* (impers.) *instar nivis in Zalmone*" i. e. tum
terra Cananaea eandem niveam faciem habuit, qualem habuit Zalmon mons, i. e. tum tanta fuit regum strages, ut terra obtecta truncatis caesorum cadaveribus alberet, quemadmodum albuit Zalmon mons excisis ab Abimelecho illius arboribus Jud. 9, 48 sq. cf. Joel. 1, 7. Conferri quodammodo possunt Virg. Aen. 5, 865: albi ossibus scopuli, 12, 36: campi ossibus albent, Ovid. Fast. 1.: humanis ossibus albet humus. נְוַת בַּיִת vs. 13. *habitatrix* (נְוַת fem. constr. נָוֶה vocis) *domus* i. e. *οἰκουρός*, matrona, quae domi se continet, in illis maxime regionibus, nec in celebritate hominum versatur. „Feminis, non viris, quod tribuitur praedae partitio, elegantissimum est, atque ad rem ipsam accommodatissimum. Nempe viris satis est, hostes prostravisse, proelioque vicisse: praedam vero, ipsorum virtute partam, ejusque aequabilem partitionem non admodum curare sinit animi elatio atque liberalitas." Schnurrer. Ceterum cf. ad hunc et proximum versum Jud. 5, 11. 16. שְׁפַתַּיִם vs. 14. *stabula*, *caulae*, i. q. מִשְׁפְּתַיִם Jud. 5, 16. Gen. 49, 14., ubi cf. not. Verba כַּנְפֵי יוֹנָה נֶחְפָּה בַכֶּסֶף propr. sic sonant: *alas columbae obductae argento*, possitque in hac interpretatione adquiesci. Quum vero in sententiis, quarum Subjectum efficitur Nominibus duobus statu constructo conjunctis, Praedicatum ad Nomen prius referendum haud raro construatur cum Nomine posteriore, G. gr. ampl. p. 720 sq. E. gr. ampl. p. 641 sq., verba etiam hoc modo accipi possunt: *alas columbae obductas argento*, quae ratio propter parallelismum videtur praeferenda esse. Pendent autem, nisi egregie fallor, et haec et quae subjiciuntur, prorsus ut שָׁלָל vs. 13., ex תְּחַלֵּק ibidem, suntque alae istae et pennae columbinae obductae vel factae auro et argento nihil aliud quam signa militaria nunc auro nunc argento modo facta modo obducta (cf. Comment. ampl. ad Jos. p. 84.), columbae expansis

alia habentia speciem, qualem habuisse traduntur signa Assyriorum et Babyloniorum, de quibus cf. Buxt. Lex. chald. p. 960 cf. Romanorum ad. *aquilas.* בָּהּ vs. 15. sine negotio ad terram Cananaeam refertur hoc nexu; cf. Jes. 8, 21. תַּשְׁלֵג denom. a שֶׁלֶג propr. *nivem facere*, hinc *nivei coloris esse, candere, albere nivis instar*, cf. G. gr. min. §. 52, 2. תַּשְׁלֵג fem. impersonaliter capiendum. *Albuit in Zalmone* iterum mirandum est neminem vidisse esse locutionem proverbialem, ortam ex Jud. 9, 48 sq. eamque habentem sententiam, quam subjiciendam vidimus supra. Observa etiam haud inelegantem significatuum, qui in תַּשְׁלֵג בְּצַלְמוֹן inest, lusum, quum צַלְמוֹן propr. significet *umbrosum, tenebricosum.* Sic equidem ego expediendos putavi difficiliores hos versus. Aliorum maxime quaesitas interpretationes ut enar-
16. rem a me impetrare nequeo. — Ab expugnationis terrae Cananaeae mentione transit ad id, quod Jova dignum prae aliis montibus habuerit Sionem, quo sedem suam collocaret 16—19. *Montes dei, montes Basanitidis* i. e. vos, praealti montes Basanitici, *Montes cacuminum, montes Basanitidis*, vos multorum
17. cacuminum montes Basanitici, — *Cur invidiose observatis, o montes, cacumina, Montem*, quem *petiit deus in habitationem suam*, quo sedem suam collocaret? *Imo vero Jova habitabit* eum *in perpetuum!* הַר vs. 16. ut saepius montium tractum, montana, montes significare videtur; cf. vs. 17. הַר אֱלֹהִים *montes dei:* praealti; cf. 36, 7. ibique not. Nonnulli: *Montes dei* sunt *montes Basanitidis*, *Montes cacuminum* sunt *montes Basanitidis* i. e. praealti quidem et multorum cacuminum sunt montes Basanitidis: *Tamen* cet. Nescio tamen an rectius הַר אֱלֹהִים *Sinai* montem esse dicam, הַר בָּשָׁן *Hermonem*, uterque enim pluribus *cacuminibus* (גַּבְנֻנִּים) constabat. Tum sic habebit locus: *Mons dei*, Sinai, *mons Basanitidis*, Hermon, *Mons cacuminum* (Sinai), *mons Basanitidis* (Hermon) cet. רָצַד vs. 17. i. q. رصد *observare, insidiari*, Pi. oculis intentis, insidiose, *invidiose observare.* הָרִים גַּבְנֻנִּים vel asyndeton, vel גַּבְנֻנִּים loco Adjectivi in appositione est positum, E. gr. min. §. 481. הָהָר *Sion.* חָמַד וגו' relative accipienda. אַף ut 58, 3. 44, 10. Ceterum quod montes *Basanitidis* invidere finguntur Sioni honorem illum eximium, quod dignus habitus esset, quo sedem suam regiam collocaret deus, ratio est, quod regiones transjordanenses ante quam cisjordanenses ab Israelitis erant expugnatae, ita ut

spes esset montibus trans Jordanem sitis, fore, ut ex ipsis ali-
quem Jova sibi deligeret sedem. — Describitur nunc solennis 18.
pompa Jovae e Sinai monte in Sionem transmigrantis, impera-
toris triumphantis instar invehentis innumeris stipati curribus,
populorum alios vi subjicientis suo imperio, ab aliis, qui ultro
se subjiciunt, promissionem fidei in se accipientis vs. 18. 19.
In qua descriptione non modo Josuae aetatis ratio habetur, sed
quaecunque inde ab illa aetate usque ad Davidem et Salomonem
gesta sunt comprehenduntur. *Currus dei, duae myriades, millia
iterationis*, millia iterata, multa millia; *Dominus inter eos est.
Sinai in sacrario est*, Sionis puta, q. d. Sinai in Sionem
transiit; cf. illud Martialis 4, 60: in medio Tibure Sardinia est,
vel Themistii or. 31: μετελήλυθεν ὁ Ἑλικὼν εἰς τὸν Βόσπορον,
transiit Helicon in Bosporum. רֶכֶב ut plerumque collective est
positum. „Sicut magni olim reges suam ostentare potentiam
solebant magna curruum bellicorum copia, veluti Pharao, qui
currus eduxit sexcentos Exod. 14, 7., Jabin, qui nongentos Jud.
4, 13. (vid. et 1 Sam. 13, 5. 2 Reg. 6, 14. 1 Chron. 19, 7. Ps.
20, 8.): ita vates regem supremum Israelitici populi, Jovam,
inducit tanquam victorem triumphantem, spirituum coelestium
exercitu infinito stipatum, in Sionem, locum, quem sedem sibi
elegit (vs. 17.) ascendentem. Currus tribuuntur coelesti exer-
citui, quo Jova utitur, etiam Hab. 3, 8. 2 Reg. 2, 10. 11. 16, 17.“
Ros. Cf. etiam Ps. 103, 20 sq. et Deut. 33, 2., ubi: וְאָתָה
מֵרִבְבֹת קֹדֶשׁ *et venit a myriadibus sanctitatis*, sanctis, vel
sacrarii. Quum scriptor Psalmi semel atque iterum in suos
usus converterit antiquiores scriptores, atque etiam hoc loco, ut
modo vidimus, ante oculos habuisse videatur Deut. 33, 2., haud
male recentiorum interpretum aliquis pro בָּם סִינַי legendum
conjecit בָּא מִסִּינַי in hanc sententiam: *dominus venit de Sinai
in sanctitate*, coll. l. l., ubi: יְהוָה מִסִּינַי בָּא. Quam conjectu-
ram qui admittet, poterit etiam *in sacrarium*, Sionis puta, red-
dere בַּקֹּדֶשׁ. — *Adscendis altitudinem* i. e. Sionem, *ducis capti-* 19.
vos, *Accipis dono homines*, dono tibi dantur, se dant homines,
i. e. ultro tuo imperio se subjiciunt populi, *Atque adeo re-
fractarios*, qui imperio tuo adversantur populis *habitandum est
cum Jah deo*, coguntur illi quoque adire templum Jovae, Jovae
in fidem et clientelam se conferre. עָלִיתָ וגו' *adscendis*, *ducis*
etc. Loquitur vates, tanquam si praesens spectator sit rerum,

quas describit. Alii: *adscendisti, duxisti* cet. Qua ratione si interpretaris, scriptor ex eo, quo scripsit, tempore rem metitur. מָרוֹם *altitudo* i. e. Sion mons; cf. הַר מְרוֹם יִשְׂרָאֵל *mons altitudinis*, mons altus *Israelis* i. e. Sion Ezech. 17, 23. 20, 40. לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם ad verbum: *accipis dona* quae *ad homines* pertinent, propr. quod germ. dicimus *an Menschen*, ut Gen. 7, 21. al. De sensu vid. supra. Aliis בָּאָדָם est *inter* vel *apud homines*. Ita generatim Jova munera accepisse dicitur obsequii et observantiae causa oblata. Aptum hoc quoque, nisi quod ita בָּאָדָם est otiosius. סוֹרְרִים לִשְׁכֹּן propr. *refractarii* (הָיוּ *sunt*) *ad habitandum*, debent habitare G. gr. min. §. 129. E. gr. min. §. 544. cf. Ps. 49, 15. שָׁכַן cum Acc. ut vs. 7. 65, 5. al. שָׁכַן יָהּ i. q. גּוּר יָהּ 5, 5. Alii: *et refractariis quiescendum est* (Jud. 5, 17. Prov. 7, 11.), *o Jah, deus!* Alii לִשְׁכֹּן יָהּ אֱלֹהִים ad עָלִיתָ referunt, סוֹרְרִים vero construunt cum בָּאָדָם in hanc duriorem, ut mihi videtur, sententiam: *Adscendis* (al. *adscendisti* et sic porro) *altitudinem*, — *ducis captivos*, *Accipis dona inter homines*, *Atque adeo inter refractarios*, — *ad habitandum* ibi (in altitudine, Sione), *o Jah*, *deus!* Ceterum cf. ad vs. 18. init. — Absoluta tribus strophis descriptione
20. eductionis Israelitarum ex Aegypto, expugnationis terrae Canaaneae, occupationis montis Sionici, jam eo redit, unde est egressus (5—7.), id est, ad liberationem ab exsilio 20—24., in qua recolenda iterum incipit a celebratione numinis divini. *Celebretur dominus quotidie! Onus imponit* aliquis *nobis*, i. e. si quis onus imponit nobis, cf. vs. 2., *deus* est *auxilium nostrum*. Sic quidem יַעֲמָס, impersonaliter accepimus. Fortasse tamen rectius ad deum referes in hanc sententiam: *onus si imponit nobis, deus*, ipse, est *auxilium nostrum*; cf. eadem sententia 66, 11. 12. Alii eundem hunc sensum faciunt, sed sic struunt verba: Qui *onus imponit nobis*, *deus* est *auxilium nostrum*, qui onus imponit nobis deus, idem est cet. Sed dubito vehementer, possitne unquam ab initio sententiae omitti אֲשֶׁר. Aliis: *portat deus pro nobis*, sublevat onus nobis impositum, *deus* est cet. cf. vs. 29. Ceterum vix est quod moneam, *onere* significari ser-
21. vitutis Babylonicae jugum. — *Deus nobis* est *deus ad salutem*, salutem afferens, *Et Jovae, domino* sunt i. e. et in potestate Jovae, domini sunt *pro morte exitus* i. e. habet Jova vias modosque, quibus suos possit morti subducere. Ad תּוֹצָאוֹת cf. יָצָא

Eccl. 7, 18: יְרֵא אֱלֹהִים יֵצֵא אֶת־כֻּלָּם *timens deum evadit ex his omnibus.* *Morte* significatur exsilium, in quo quasi mortuus erat populus, ut 66, 9. — Mactandi hostes ultioni Israelitarum 22.
22 sqq. *Certe deus percutiet caput hostium suorum, Verticem capilli,* capillatum *ejus qui incedit in delictis suis*, ejus qui in Jovam delinquit, Jovae (populo ejus) adversatur. In posteriore hoc membro מָחַץ cum duplici Accusativo est constructum, uno totius personae, מִתְהַלֵּךְ בַּאֲשָׁמָיו, altero partis quae percutitur, קָדְקֹד שֵׂעָר; cf. ad 3, 8. קָדְקֹד שֵׂעָר i. q. alibi simplex קָדְקֹד id quod perlucet ex radice קָדַד vocis. Itaque desinant in hoc loco argutari interpretes! — *Dixit dominus:* „*ex Basanitide* 23.
reducam, Reducam ex profundo maris i. e. undecunque cogam qui olim in hac tua terra te, Israel, afflixerunt hostes, mactandos tuae ultioni (vs. 24.); cf. vs. 30 sqq. „מִמְּצֻלוֹת יָם poetice dictum est pro מִיָּם (nisi quod *profundum maris* videtur adjunctam habere notionem *latendi*, cf. Am. 9, 3.), cumque *mare* hoc loco oppositum sit Basanitidi, regioni ad orientem sitae, haud difficulter intelligitur, significari mare occidentale, seu medium. Neque vel maris vel Basanitidis mentio aliam hic vim habet, quam quae posita est in plaga designanda. Adeoque sensus est, hostiles copias a deo utrimque (i. e. undecunque) adductum, atque Israelitico populo traditum iri ad internecionem." Schnurrer. Alii eos, qui undique cogendi dicuntur, non hostes, sed Israelitas esse volunt, coll. Jes. 49, 12. Quae sententia propterea videtur rejicienda esse, quod et in iis quae proxime praecesserunt, et in iis quae proxime sequuntur, Objectum efficiunt hostes. Ad hoc minus favet isti interpretationi, quod vs. 24. vates usus est persona secunda. — *Ut agites,* 24.
o Israel (cf. vs. 29.), *pedem tuum in sanguine*, hostium puta, *Lingua canum tuorum, de hostibus sit pars ejus*" i. e. atque ut lingua canum tuorum habeat partem in hostibus, voranda carne lambendoque sanguine eorum. מָחַץ *agitavit, vehementer commovit, concussit* (hinc percussit vs. 22.), ut arab. مخض id. v. c. urnam in puteo, lac in utre ad colligendum butyrum al. Praeter omnem necessitatem nonnulli pro תִּמְחַץ legi jubent תִּרְחַץ ut *laves*, coll. 58, 11: *gressus suos lavat in sanguine improbi*, quasi *agitare* pedem in sanguine minus aptum sit quam *lavare* pedem in sanguine. LXX et Vulg. *ut intingatur.* לְשׁוֹן כְּלָבֶיךָ Nomin. absol. מִנֵּהוּ est nomen מָן *pars, portio* (a rad. מָנָה)

cum Suff. masc. tertiae pers. ad לְשׁוֹן nomen generis communis
relato. Prorsus damnanda est eorum ratio, qui posterius hemistichium subintellecto תִּשְׁתֶּה in hunc sensum trahunt: *ut lingua canum tuorum* bibat *de hostibus*, *de iis*, coll. 2 Sam. 23, 17. Ejus enim loci plane alia ratio est, utpote quo *bibendi* verbum sine ullo negotio compleatur ex duobus qui proxime praecedunt versiculis. Ibi enim scriptor Davidem optasse dicit, ut sibi aliquis aquam *bibendam* afferret ex puteo, qui esset Bethlehemi. Tum tres heroes prorupisse per castra Philistaeorum, hausisse aquam ex illo puteo, eamque ad Davidem attulisse. Verum noluisse eam *bibere* Davidem, sed dixisse: *horumne virorum san-*
25. *guinem* (ego bibam)? cet. — Sequitur jam descriptio ipsius
pompae institutae ad recolendam memoriam liberationis ab exsilio 25—28: *Spectant incessus tuos*, pompam tuam solennem, *o deus*, *Incessus dei mei*, *regis mei in sacrario*. רָאוּ *spectant* spectatores, in quo nihil equidem video languidi, quandoquidem
26. multitudine spectatorum augetur pompae solennitas." — *Praece-*
dunt cantores, *post fidicines*, *In medio virginum pulsantium tympana*, quod instrumentum etiamnunc a feminis tractari solet
27. in oriente. אַחַר Adverbium. — „*In concionibus celebrate deum*,
Dominum, vos *ex fonte Israelis*, qui stirpis estis Israeliticae!" מִמְּקוֹר יִשְׂרָאֵל breviter dictum pro אֲשֶׁר מ׳ י׳; cf. simillima Jes.
28. 48, 1. — *Ibi*, in solenni pompa, adest *Benjamin*, *natu mini-*
mus, *dominus eorum*, i. e. tribus Benjaminitarum adest una cum principe eorum, *Principes Judae*, *agmen eorum*, principes tribus Judae cum civibus suis, *Principes Sebulon*, *principes Naphthali*. רֹדֵם propr. *dominans* (רֹדֶה) *eis*, cum Accusativo Suffixi, ut saepius. Suffixum vero est ad בִּנְיָמִן Nomen collectivum referendum. רִגְמָה *acervus*, hinc *caterva*, *agmen* a רָגַם, arab. رَكَمَ congessit, coagmentavit, coacervavit. Male nonnulli *lapidem* reddunt eumque pro *fulcro* positum volunt, coll. Gen. 49, 24. Potest enim רִגְמָה *acervum* quidem *lapidum* (ut رُكَامٌ acervum arenae, nubium, رُكْمَةٌ acervum luti), minime vero *lapidem* significare. ־ָם referendum est ad יְהוּדָה, plane ut ־ָם ad בִּנְיָמִן. Duo paria tribuum nominat instar omnium: nam Benjamin et Juda in finibus terrae australibus sitae erant, Sebulon et Naphthali in finibus septentrionalibus. Similia vidimus 60, 8. 9. Cessaverat quidem post exsilium accuratior tribuum separatio;

vates vero eo qui fuerat pristino tempore delectatur rerum statu.
Primo loco nominatur Benjamin, quod ea in tribu urbs Hieroso-
lymitana erat sita. — Adjiciuntur nunc vota pro confirmando 29.
atque augendo imperio Jovae, 29 — 32. *Decrevit deus tuus*,
o Israel, *potentiam tuam*, te potentem esse jussit, oraculis puta
pristino tempore editis. Itaque *potens esto*, potentem te praesta
firmando atque amplificando imperio nostro, *o deus*, *qui prae-
sentem te exhibes*, exhibere soles *nobis!* Suffixa in אֱלֹהֶיךָ et
עֻזֶּךָ referenda sunt ad Israelem; cf. vs. 24. Antiqui interpretes
sic interpretantur, ut si pro צִוָּה אֱלֹהֶיךָ legerint צַוֵּה אֱלֹהִים,
quos secuti recentiorum nonnulli locum hunc sic sunt interpre-
tati: *demanda* (cf. 42, 9. 44, 5.), *o deus*, *potentiam tuam!*
Qua ratione evitatur subita personarum mutatio, sed praeter
necessitatem, quum vates hic talia mirifice amet; cf. vs. 2. et 3.,
8. 9. 10., 18. et 19. פָּעַל ut עָשָׂה 22, 32. 37, 5. 52, 11. —
Ex palatio, templo *tuo super Hierosolymis*, imminente Hiero- 30.
solymis! *Tibi offerant reges munera!* Hemistichium prius mani-
feste construendum est cum עֻזָּה vs. 29. in hunc nexum: po-
tentem te praesta ...., *ex palatio tuo* cet. cf. vs. 36. et 110, 2.
Languidum, si quid aliud, est quod plerisque placuit *Propter
templum tuum .. Tibi offerent* rel. — *Increpa*, terre *bestiam* 31.
arundinis, leonem i. e. hostem saevum, *Turbam taurorum cum
vitulis populorum*, turbam hostium ferocium una cum populis
qui illos sequuntur! *Prosternens sibi cum frustis argenti* i. e.
faciens ut argenti frusta pro tributo supplices offerant, *Dis-
pergit*, in fugam conjicit deus *populos*, qui *bella amant*. חַיַּת
קָנֶה *bestia arundinis*: leo, qui in illis regionibus cubile haud
raro in arundinetis habet; cf. Jer. 49, 19. 50, 44. Zach. 11, 3.
coll. not. ad Jer. 12, 5 sq. p. 553. *Leones* autem et qui sub-
jiciuntur *tauri* pro *hostibus* sunt positi; cf. 22, 13. 14. 17. 22.
al. Quod dicit turbam *taurorum cum vitulis populorum*, in eo
haud eleganter tropicis miscet propria. Plerisque חַיַּת קָנֶה est
crocodilus i. e. Aegyptus. Quam sententiam quo minus meam
faciam vel hoc me impedit, quod quae membro secundo dicuntur,
generatim intelligenda sunt. Alius non *bestiam*, sed *turbam*
(coll. vs. 11.) *arundinis* (leones, tauros) intelligit, neque hoc
quidem male: sic enim חַיַּת voci responderet עֵדָה. Neque tamen
idonea causa haec videtur, cur a vulgari significatu recedas. In
explicandis verbis מִתְרַפֵּס בְּרַצֵּי כָסֶף interpretes ad unum omnes

a vero aberrasse video. Non potest מִתְרַפֵּס cum praegressis construi ullo modo. Conjungendum est cum Subjecto בִּזַּר verbi, deo, inquam. מִתְרַפֵּס (רָפַס pedibus calcare) non significat hoc loco *se pedibus calcandum praebere*, *se prosternere*, sed *sibi* aliquem *pedibus calcandum praebere*, *sibi* aliquem *prosternere*, de qua vi Hithpael formae vid. G. gr. min. §. 53. E. gr. min. §. 243.; *sibi* vero *prosternere* aliquem *cum frustis argenti*, nihil hic est aliud, quam facere, ut argenti frusta supplex offerat aliquis i. e. ut tributum submisse solvat. Pro בִּזַּר haudquaquam opus est ut בַּזֵּר Imperativum restituas. Quemadmodum enim personarum numerorumque sic etiam modorum subita mutatione delectatur vates. קְרָבוֹת יֶחְפָּצוּ sententia relativa. —
32. *Venient magnates ex Aegypto*, *Aethiopia accurret*, *manibus suis ad deum* directis, expansis, eum adoratura. חַשְׁמַן *pinguis*, hinc *dives*, *nobilis*, a rad. חָשַׁם, حَشَمَ *pinguis fuit*, hinc dives, opulentus fuit, *multum famulitium multosve asseclas et clientes habuit*. „Bene ad sensum Kimchius: אנשים גדולים ונגידים, et recte jam Pfeifferus contulit arab. حَشِيم (et مُحْتَشِم) sec. Dschauhar. vir magnus et magni famulitii, propr. ni fallor, vir pinguis, cf. حَشَم, حَشَمَة, أَحْشَام famulitium, servi, propr. pinguedo, opulentia alicujus. Eandem significationem haberes, si חשמנים idem esse statueres quod שְׁמֵנִים, addito ח (cf. חֲנָמַל i. q. נְמָלָה al. [vid. etiam G. gr. ampl. p. 863.]), sed illud commendatur tum nominibus hebraeis חָשַׁם, חֶשְׁמוֹן, חַשְׁמוֹנָה, tum linguae arabicae usu, aliudque ejus vocabuli vestigium est in n. pr. Ἀσαμωναῖος, quod gessit avus Mattathiae (Jos. Arch. 12, 6, 1.), et postea universae Maccabaeorum familiae tributum est." Ges. Thes. ןַ- syllaba est formativa. חַשְׁמַנִּים ut רַעֲנָנִים, שַׁאֲנַנִּים al. In hemistichio posteriori verum iterum video fugisse interpretes. Sic illi interpretantur: *Aethiopia accurrere faciet*, accelerabit *manus suas ad deum*, vel ad eum adorandum, vel ad dona offerenda. Quam incommode vero dicatur *accurrere facere manum* nemo non videt. Hi. רוּץ verbi hic non est *accurrere facere*, sed idem quod Kal *currere*, *accurrere*, propr. *cursum*, *accursum facere*, cf. G. gr. min. §. 52, 2. E. gr. min. §. 239., יָדָיו לֵאלֹהִים vero non cum תָּרִיץ construenda sed seorsum capienda sunt, ita ut sententiam efficiant secundariam hanc:

manibus suis ad deum directis, expansis, prorsus ut עָלֶיךָ עֵינַי,
in verbis אִיעֲצָה עָלֶיךָ עֵינִי *consulam tibi*, *in te* directo *oculo*
meo 32, 8., ubi cf. not. Quod ad rem cf. Jes. 45, 14. et quae
ibi observavimus. — Sequitur ultima stropha, qua ad celebran- 33.
dam Jovae potentiam omnes populi excitantur 33—36. *Regna*
terrae, canite deo, Fidibus canite dominum! — Canite *vehenti* 34.
per coelos coelorum sempiternos, per sempiterna qua late patent
spatia coelorum! *En, edit voce sua vocem validam*, ingentem
tonitruum fragorem. לָרֹכֵב pendet ex שִׁירוּ לֵאלֹהִים vs. 33.,
vel si mavis, mutata structura ex זַמְּרוּ אֲדֹנָי ibid., cum זַמֵּר
etiam cum Dativo construatur. שְׁמֵי שָׁמַיִם *coeli coelorum*, id
est, omnia coelorum spatia utut vasta et infinita; cf. Deut. 10,
14. 1 Reg. 8, 27. Perverse struere videntur, qui יִתֵּן בְּקוֹלוֹ קוֹל
sic transferunt: *edit voce sua* sonitum, tonitru, *voce valida*,
quasi קוֹל עֹז appositione cohaereat cum בְּקוֹלוֹ. Videtur potius
קוֹל עֹז efficere Objectum, ita ut נָתַן בְּקוֹלוֹ קוֹל sit plena locutio
pro frequentiore elliptica נָתַן בְּקוֹל, de qua diximus ad Jer. 12, 8.
Causa vero expressi קוֹל quaerenda est in עֹז, quamquam eodem
sensu etiam בְּקוֹלוֹ עֹז dici recte poterat. — *Date honorem deo*, 35.
Cujus super Israelem magnificentia est, cujus majestas protegit,
regit Israelem, consulit rebus Israelitarum, *Et cujus potentia*
est *in nubibus*, se exserit in tempestatibus pendentibus ex ipsius
nutu (vs. 34.)! עַל יִשְׂרָאֵל וגו׳ relative accipienda. — *Terri-* 36.
bilis, o deus, e sacrariis tuis tu es, terribilem te exhibes,
ostendis e templo tuo, terrens inde hostes, cf. vs. 29. 30. *Deus*
Israelis, is dat potentiam et vires populo; Laudetur deus!
Primum membrum alius sic transtulit: *Terribilis* est *deus*,
o Israel (cf. vs. 24. 29.), *e sacrariis tuis*, eodem sensu, sed
Suffixo ad populum relato. Sic vero non amant loqui scriptores
Hebraeorum sacri, nisi ubi sacraria *illicita* intelligunt, velut
Am. 7, 9. Ceterum notum est, מִקְדָּשׁ etiam in Plurali dici de
sacrario Jovae, ut quod pluribus partibus constaret, Jer. 51, 51.

PS. LXIX. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* in- 1.
strumenti *Schoschannim (lilia)* dicti (6, 1. 45, 1.) carmen *Da-*
vidis. In exsilio, fortasse ab homine qui e prophetis esset (vs.
7. 8. 10.) carmen compositum esse docent vs. 34. 36. 37., quos
temere nonnulli ab aliena manu adjectos putant ea de causa,
quod totum populum illi respiciant, quum in reliquis omnibus

de se ipso suaque miseria questus esset vates. Nequaquam enim
abrupta a praegressis ultima ista commata jacent, sed nexa ex
illis sunt, ita, ut omnia optime inter se cohaereant. Transitum
parant vs. 30 sqq. cf. infra argumenti significatio. Ceterum haud
pauci hujus carminis loci ex aliis carminibus collecti videntur.
Strophae quinque: vs. 2—6: succurre, o deus, ad extremam
miseriam redacto ab adversariis immeritis! 7—13: succurre
mihi, nam tua causa injuriam patior. 14—22: opem fer mi-
sero, cujus nemo hominum miseretur! 23—29: in perniciem
age adversarios meos! 30—37: quod ubi feceris, laudibus te
efferam ego, efferentque qui mecum sunt miseri omnes, spe im-
pleti, fore, ut in patriam tandem a te restituantur omnes: id
2. quod ego te facturum esse firmiter spero. — *Adjuva me, o deus,*
Nam venerunt aquae usque ad animam, vitam i. e. nam in eo
jam sum, ut hauriar aquis i. e. nam in maximo periculo, vitae
periculo versor. Qui idem sensus subest vs. 3. 15. 16. cf. ad
3. 40, 3. 18, 5. — *Immersus sum in lutum profundum* (propr.
profundi), *Nec possum consistere*, nec reperiunt pedes, quo
nitantur; *Veni in profunda aquarum*, *Et fluctus obruit me.*
Praeter necessitatem מָעֳמָד Participium pro Nomine substantivo
positum habent, quod *firmum*, *stabile* quid, *locum ad consisten-*
dum significet. Est potius purum putum Participium propr.
4. significans *stare factus.* — *Fessus sum clamando*, cf. 6, 7.,
Adustum, arefactum, exsiccatum *est guttur meum*, *contabuere*
desiderio opis divinae, 119, 82. Thren. 4, 17., ut statim dicitur,
oculi mei, *Exspectans deum meum*, ejus auxilium. מְיַחֵל וגו'
referendum est ad יָגַעְתִּי, ita ut נִחַר גְּרוֹנִי כָּלוּ עֵינַי velut in
parenthesi interposita sint. Alii construendum putant cum Ge-
nitivo Suffixi nominis antegressi in hanc sententiam: *Contabuere*
oculi mei, *exspectantis deum meum.* Sed nihil probat quod
5. afferunt exemplum 9, 14. — *Plures sunt quam capilli capitis*
mei (cf. 40, 13.) *osores mei immeriti* (cf. 35, 19. 38, 20.),
Numerosi sunt perditores mei, *hostes mei immeriti*; *Quod non*
rapui, *tunc jubeor restituere* i. e. plectuntur in me, quae non
admisi. De שֹׂנְאַי חִנָּם, אֹיְבַי שֶׁקֶר vid. ad 35, 19. Pro מַצְמִיתַי
Syrus parallelismi studio ductus מֵעַצְמוֹתַי legendum conjecit.
אֲשֶׁר לֹא גָזַלְתִּי וגו' locutio proverbialis ejus quem supra expres-
simus sensus. Simile est illud 35, 11: *Quorum non sum con-*
scius, *interrogant me.* אָז *tum*, *tunc*, ut alias, q. d. quod antea

non rapui, postea jubeor restituere. Alius tertium membrum
cum secundo conjungit hoc modo: *Quos (hostes) non spoliavi:*
alioquin (propr. *tunc*) *restituerem.* Sed ita intellecta in pro-
phetam haud conveniunt haec verba. — *O deus, tu nosti stul-* 6.
titiam meam, vitia mea (cf. ad Jes. 11, 2.), *Et delicta mea te*
non latent, quibus verbis hoc sibi vult: qui delicta mea bene
cognita habes, scis, o deus, me nihil deliquisse dignum tantis
injuriis. Alii nil nisi delictorum confessionem hoc versu con-
tineri putant, qua ad misericordiam deum adducere studeat vates.
Quod qui faciunt, versum ad stropham secundam trahunt. Verum
quum statim dicat vates, Jovae causa pati se tanta mala (vs. 8.),
prior ratio praeferenda videtur, eoque certius, quod qui ex illa
nascitur sensus ad vs. 5. maxime est aptus. Praemissam אִוַּלְתִּי
voci לְ particulam nonnulli pro signo Accusativi habent. Malo
esse *quod attinet ad* vel *de*, ita ut יָדַע לְ idem fere sit quod
יָדַע בְּ germ. *wissen um etwas.* — *Ne pudore afficiantur,* spe 7.
et exspectatione sua excidant *per me,* si viderint me a te ne-
glectum, *qui exspectant te,* tuum auxilium, spem in te reposi-
tam habent, *domine, Jova exercituum! Ne contumelia affician-*
tur per me, qui quaerunt te, tui cultores, *deus Israelis!* —
Nam tua causa fero, patior *probrum, Operit contumelia fa-* 8.
ciem meam. עָלֶיךָ *tua causa* quomodo intelligendum sit, per-
spicitur ex vs. 10. — *Alienus factus sum fratribus meis, Et* 9.
peregrinus filiis matris meae, non agnoscunt me amplius, ab-
ominantur me mei quoque. Causam ipse contumeliam esse dicit,
qua afficiatur, vs. 10. Ceterum cf. 38, 12. — *Nam studium* 10.
domus tuae i. e. sacrorum tuorum *consumit me,* perdit me, ut-
pote odium et ludibrium mihi conflans eorum, qui te tuaque
sacra contemtui habent, ut statim dicit, *Et probra probris*
afficientium te cadunt super me, probris me afficiunt, qui probris
afficiunt te. — *Et fleo, in jejunio est anima mea* (35, 13.): 11.
Et est probris mihi, i. e. quando lacrymis me do, cibo me
abstineo, id mihi cedit in contumeliam; — *Et facio vestimen-* 12.
tum meum saccum (35, 13. 30, 12.): *Et sum iis proverbio*
(44, 15.), et quum facio cet. ut antea. — *Loquuntur* (vid. ad 13.
55, 3.) *de me sedentes in porta, Et* (loquuntur de me) *cantica*
potantium temetum. Portam constat fuisse locum, in quo otiosi
convenire solerent ad spectandum confabulandumque. In poste-
riore hemistichio cogitando repetendum est יָשִׂיחוּ בִי. Alius:

Loquuntur de me sedentes in porta, *Canunt cantica potantes temetum*, ita ut שִׂיחַ in priore hemistichio significatum habeat *loquendi*, in posteriore *canendi*. Mallem utroque loco canendi notionem verbo subjicere, praesertim quum de ludibrio agatur.
14. — *Ego vero*, *preces meae ad te*, *o Jova*, sunt directae *tempore
benevolentiae*, cum tu te benevolum praebes, statis quibus vis
precibus adiri temporibus ac locis; *O deus*, *pro magnitudine
gratiae tuae exaudi me*, *pro fide tua salutifera!* Alii עֵת רָצוֹן
et ipsi ad praecedentia referunt, sed optative capiunt, ut hic
sensus prodeat: *Ego vero*, *preces meae ad te*, *o Jova*, directae
sunt, utinam *tempore benevolentiae!* Alii ad sequentia illud
trahunt hoc modo: *Ego vero*, *preces meae ad te*, *o Jova*, di-
rectae sunt! *Tempore benevolentiae* i. e. quo tibi libet te ex-
orandum praebere hominibus, *o deus*, ... *exaudi me* cet. Cete-
15. rum עֵת est Accusativus, i. q. alibi לְעֵת. — *Libera me ex coeno*,
neve sinas me immergi! Fac ut liberer ab osoribus meis atque
16. *ex profundis aquarum!* cf. ad vs. 2. — *Ne obruat me fluctus
aquarum*, *Neve devoret me profundum*, vorago aquarum, *Neque*
17. *claudat super me puteus* s. *fovea os suum!* — *Exaudi me*,
o Jova, *nam bona*, praestans, eximia est *gratia tua! Secundum
magnitudinem misericordiae tuae converte te ad me!* טוֹב ut
18. 109, 21. — *Neve obveles faciem tuam a servo tuo*, *Nam an-*
19. *gustiae mihi*, in angustiis versor; *propere exaudi me!* — *Ad-
propinqua ad animam meam*, adsis ei, *vindica eam! Propter*
20. *hostes meos*, ne de me glorientur, *serva me!* — *Tu nosti pro-
brum meum et ignominiam meam et contumeliam meam*; *Coram*
21. *te*, tibi noti sunt *omnes adversarii mei.* — *Probrum*, quod pa-
tior, *frangit cor meum*, *et aeger sum*; *Et exspecto misera-
tionem*, *et non praesto est*, non tribuitur, praestatur, *Et con-
solantes*, *et non invenio.* נוּשׁ i. q. אָנַשׁ. קִוָּה לָנוּד propr. *ex-*
22. *spectare miserari.* — *Et indunt in cibum meum plantam vene-
niferam*, *Et pro siti mea bibendum dant mihi acetum.* Sensus:
tantum abest, ut praestet mihi aliquis talia humanitatis officia
23. (vs. 21.), ut data opera augeant meos dolores. — *Fiat mensa*,
cibus *eorum coram ipsis in laqueum*, exitium, *Et securis in*
24. *tendiculam!* In ipsos recidat quod mihi parant (22.)! — *Ob-
scurentur oculi eorum*, *ita ut non videant*, *Et lumbos eorum
perpetuo fac nutare*, i. e. fac ut caeci ruant in perniciem! —
25. *Effunde super eos furorem tuum*, *Et ardor irae tuae pre-*

hendat eos! — *Sit pagus eorum desolatus, In tentoriis eorum* 26.
ne sit habitans! — *Nam tu quem percussisti*, afflixisti, illi 27.
persequuntur, *Et de dolore confossorum tuorum*, a te affecto-
rum vulnere mortifero, graviter afflictorum, *loquuntur* irridentes
(vs. 13.). Praeter omnem necessitatem pro יְסַפֵּרוּ nonnulli יֹסִיפוּ
vel simile quid legi volunt. Quod in priore membro de se ipso
loquitur, in posteriore de hominibus suae conditionis omnibus,
ejus rationis exemplum vid. 16, 10. Quoad sensum totius com-
matis cf. Jes. 53, 3. 4. — *Da culpam super culpam eorum*, sine 28.
eos cumulare scelera sceleribus, ruant ex uno in alterum, *Nec
veniant ad justitiam tuam*, neque unquam redeant ad eam pie-
tatem, quam tu exigis, quae tibi probatur! cf. Jes. 6, 10. צִדְקַת
יְהוָה *justitia*, *pietas*, qualis deo probatur, prorsus ut 5, 9.,
non *gratia dei*, ut volunt interpretes. Nec magis placet, quod
alii prius עָוֹן *poenam*, posterius *culpam* significare volunt, ut-
pote quod quaesitum, et quo nervus sententiae temere infringa-
tur. — *Deleantur ex libro viventium*, *Et cum justis ne scri-* 29.
bantur! cf. ad Dan. 12, 1. — *Ego vero*, redit enim ad rem 30.
propositam, sum *afflictus et dolore affectus*; *Auxilium tuum,
o deus, tutum me praestet!* — *Laudabo* pro lato mihi auxilio 31.
nomen dei cantico, *Celebrabo illud gratiarum actione!* — *Et* 32.
placebit id, illa mea celebratio *Jovae magis quam bos*, Quam
taurus cornutus, *ungulatus*, quam victima utut perfecta. תִּיטַב
neutraliter accipe. Ante פָּר cogitatione repetendum מִן, quod
miror nonnullos latuisse. — *Videbunt* id, has meas laudes, vel 33.
opem divinitus mihi latam *afflicti*, *laetabuntur*, spei pleni, fore,
ut et ipsi eripiantur ex miseriis; *Qui quaeritis deum*, ejus
cultores, *vivat*, vigeat, hilare sit *cor vestrum!* רָאוּ Praet.
proph. quod dicitur. וִיחִי propr. germ. *so lebe*, E. gr. min.
§. 613. 618. Potest etiam in vulgari *et* notione adquiesci,
quum Vocativus copulae praemitti possit, ut, *qui deum quae-
ritis*, *et* cet. dictum sit pro: *et*, *qui deum quaeritis*, *vivat* cet.
Quid? quod sic quoque strui possunt verba: *Videbunt* id *af-
flicti*, *Laetabuntur quaerentes deum*, *Et vivat cor vestrum!*
Sed non opus est, ut a Masorethica distinctione recedamus.
Ceterum cf. 22, 27. — *Nam*, nisi mavis *quod attendit ad pau-* 34.
peres, eorum curam habet *Jova*, *Et vinctos suos non spernit*.
— *Laudent eum coeli et terra*, *Maria et quaecunque repunt* 35.
in iis! — *Nam deus opem feret Sioni*, *Et aedificabit*, repa- 36.

rabit *urbes Judae*, *Et habitabunt ibi*, *et occupabunt eam*,
37. Judam, cf. vs. 37. — *Et semen*, posteri *servorum ejus possi-
debunt eam*, *Et qui amant nomen ejus habitabunt in ea.*

PS. LXX. Quae hoc Psalmo continentur repetita sunt
e Ps. 40, 14 sqq. ubi vid. coll. not. ad vs. 1. ibid.

PS. LXXI. Videtur editus esse proxima ante exsilium
aetate (cf. vs. 20., quo nullo modo efficitur, totius populi que-
relas et preces contineri hoc Psalmo) a viro aliquo insigni (21.),
fortasse a Jeremia vate, in quem tum reliqua omnia, tum maxime
quae vs. 3. 7. 21. dicuntur egregie conveniunt. Strophae duae:
vs. 1.—13: ab adversariis vitae meae insidiantibus defende me
senem, o Jova, in quo inde ab initio aetatis spem repositam
habui! 14—24: pro hoc tuo beneficio summis te efferam lau-
1. dibus, maximas agam gratias. — *In te*, *o Jova*, *fiduciam col-
loco*; *Ne pudore afficiar in perpetuum*, noli committere, ut
spe mea excidam perpetuo! cf. vs. 4. 10 sq. coll. 31, 2. ibique
2. not. — *Justitiâ tua eripe me et libera me! Inclina ad me
aurem tuam et serva me!* Ad hunc versum et eum qui proxime
3. sequitur cf. 31, 2—4. — *Esto mihi petra domicilii*, habitatio-
nis, *ad veniendum* illuc *perpetuo*, in quam semper possim con-
fugere! Nam *constituisti servare me*, *Nam rupes mea et ca-
cumen meum tu* es. Pro לְצוּר מָעוֹן, quocum bene convenit
quod subjicitur לָבוֹא תָּמִיד, Chaldaeus et libri multi: לְצוּר מָעוֹז,
quomodo scriptum legimus in loco parallelo 31, 3. Cum dicit
צִוִּיתָ לְהוֹשִׁיעֵנִי *constituisti servare me*, respicere videtur, si-
quidem Jeremia is est, qui Psalmum scripsit, opem promissam
4. Jer. 1, 18. 19. — *Mi deus*, *libera me e manu improbi*, *E manu
5. agentis prave et violenter!* — *Nam tu es spes mea*, *domine*,
Tu, *o Jova*, *fiducia mea a pueritia mea.* יְהוָה trahendum ad
6. hemistichium posterius. — *Te innixus sum ab utero*, cf. 32, 11.,
E visceribus, ex utero *matris meae tu* fuisti *transire meum*,
egredi meum in lucem i. e. auctor ortus mei; *De te* est, canit
hymnus meus perpetuo. גּוֹזִי Infin. cum Suffixo a גּוּז 90, 10.,
transire meum, i. e. ejus auctor per eandem metonymiam, quam
vidimus in loco parallelo 22, 10. Alii גוז transitive capientes
(Num. 11, 31.) habentesque גּוֹזִי pro Participio: *ex utero matris
meae tu fuisti transire me faciens.* Quorum sententiae obstat
גּוֹז forma, de qua vid. ad 22, 10. Quem laudant Chaldaeus,
qui: *egredi me fecisti*, sensum expressit, non significatum.

Alius: *ab utero matris meae tu fuisti ducere meum* i. e. ductor
meus. Quae explicatio eadem difficultate premitur, qua laborat
quam modo memoravimus. Alii: *ab utero matris meae tu fuisti*
tributor meus, i. e. beneficiis me afficiens, גּוֹזִי referentes ad גָּזַר
secare, hinc, ut putant, *tribuere*, coll. arab. جَزَا retribuere,
pensare (cf. etiam جَزَأَ distribuere), et LXX atque Vulg. qui:
σκεπαστής, *protector*. Habet haec et quam ante hanc protuli-
mus explicandi ratio hoc quidem commodi, quod מִמְּעֵי אִמִּי haud
alio significatu accipitur, quam is est, quem habet מִבֶּטֶן. Quum
vero quae ex nostra interpretatione prodit sententia et ipsa apta
sit ad parallelismum: dubito equidem, an possit quod istae in-
terpretationes praebent commodi idonea causa videri, cur formae
intransitivae vim tribuas transitivam, aut ad גָּזַר relato גּוֹזִי
significatum subjicias minus certum. Accedit, quod maxime pro-
babile est, voluisse scriptorem idem fere exprimere his verbis,
quod subesse vidisset 22, 10. hemistichio priori. בְּךָ *de te*,
בְּ de Objecto, ut post verba loquendi. — *Prodigii instar sum* 7.
multis, in tot ac tantis periculis haesi, ex tot ac tantis periculis
idem sum ereptus, ut portenti instar habear a multis; *Tu vero*
es refugium meum firmum! Si cui alii, Jeremiae conveniunt,
quae priore hemistichio dicta sunt; cf. quae adnotavimus ad
Jer. 32, 3. מַחֲסִי־עֹז *refugium meum firmum*, ut דַּרְכֵּךְ זִמָּה
via tua scelesta Ezech. 16, 27. al. G. gr. ampl. p. 733. E. gr.
min. §. 506. — *Plenum est os meum laudis tuae, Quotidie* 8.
gloriae tuae. Male alii: *plenum sit* cet. cf. vs. 6. extr. — *Ne* 9.
rejicias me tempore senectutis, Cum consumuntur vires meae,
ne deseras me! זָקֵן *senem esse* recte statuunt saniores etymo-
logi propr. significare *pendulo mento* esse a זָקָן *mentum bar-*
batum (arab. ذَقَنٌ, ذَقْنٌ *mentum*, syr. ܕܩܢܐ *mentum* et *barba*);
sed, unde tandem זָקָן *mentum barbatum?* Dictum hoc, nisi
fallor, a barbae pilis acutis, longius prosilientibus, a זָקָן, in-
quam, hunc sibi primarium significatum sumente a vicino זָנַק
jacere sagittas (a quo est זִקִּים sagittae). Sic graecum ἀνθερεών
mentum dictum est ab ἀνθεῖν. — *Nam loquuntur hostes mei* 10.
de me (לִי 3, 3. 22, 31. 41, 6.), *Et qui observant animam*
meam, me i. e. et qui insidiantur mihi (56, 7.), *deliberant una*,
— *Dicentes: „deus deseruit eum, Persequimini, prehendite* 11.

eum, nam non est qui liberet!" In errore sunt, qui ad אָמְרוּ
vs. 10. supplendum putant רָעָה vel simile quid. Nam quod lo-
12. quuntur, id dicitur vs. 11. — *O deus, ne sis procul a me,*
13. *Mi deus, ad auxilium meum festina!* — *Pudore afficiantur,*
excidant consiliis, *pereant, qui adversantur*, insidiantur *animae*
meae, mihi! *Induant probrum et contumeliam*, infamia et de-
decore operiantur, *qui quaerunt malum meum*, interitum mihi
14. parare student! cf. 35, 4. 26. al. — *Ego vero perpetuo sperabo*,
nullo unquam tempore spem abjiciam, quam in te repositam
15. habeo, *Et augebo omnes laudes tuas.* — *Os meum enarret*
justitiam tuam, Quotidie auxilium tuum, Nam non novi nu-
16. *meros*, innumera sunt beneficia tua. — *Veniam cum facinoribus*
domini, Jovae i. e. in templum veniam cum laudibus facinorum,
laudaturus facinora Jovae, *Celebrabo justitiam tuam solam.*
Hemistichium prius sine dubio explicandum est ad instar ver-
borum אָבוֹא בֵיתְךָ בְעוֹלוֹת 66, 13. Nam cum plenus sit Psalmus
laudum divini nominis, atque etiam in iis ipsis, quae huic loco
proxime praecedunt eumque proxime sequuntur, deum a se lau-
dandum dicat vates: nec בוֹא positum pro בֵּית יְיָ בוֹא nec גְּבֻרוֹת
dictum pro *facinoribus laudandis* ullam potest habere difficul-
tatem. Alii: *veniam cum laudibus*, hymnis, *o domine, Jova,*
גְּבוּרוֹת hic idem significare jubentes, quod saepius significat עֹז.
Eo tamen significatu גְּבוּרוֹת nusquam alias gaudet. Alii: *veniam*
potentia adjutus domini, Jovae, quae interpretatio aliena est
a consilio Psalmi, utpote quo nusquam vates desiderio templi
se teneri dicat, rogetve deum, velit ipsi ad se aditum patefacere.
17. — *O deus, docuisti me*, admirabili tua rerum mearum guberna-
tione docuisti me celebrare te (cf. membrum posterius et vs. 18.)
a pueritia mea, Et hucusque praedico mirabiliter a te facta.
18. — *Atque etiam usque ad senectutem et canitiem, O deus,*
ne deseras me, Donec praedicaverim brachium tuum, facinora
tua *aetati*, aequalibus meis, *Omnibus, qui venturi sunt, poten-*
tiam tuam, donec facinora tua et potentiam tuam praedicaverim
et iis qui nunc vivunt et iis qui venturi sunt, posteris! וְגַם
respicit vs. 17. hemistichium prius. לְדוֹר poetice omisso arti-
19. culo; cf. 22, 31. ibique not. יָבוֹא relative accipiendum. — *Et*
justitia tua, o deus, usque ad altitudinem, coelos, pertingit,
cf. 36, 6. 57, 11., *Qui patrasti magna, O deus, quis est*
20. *sicut tu*, tui similis? — *Qui videre*, i. e. experiri (ut 60, 5.)

fecisti nos aerumnas multas et calamitates, *Iterum vitae restitues nos*, exstinctos paene miseriis refocillabis, *Et de abyssis terrae iterum adscendere nos facies*, ex profundissimis malis nos retrahes. Pro הִרְאִיתָנוּ, תְּחַיֵּינוּ, תַּעֲלֵנוּ Masorethae reponi volunt הִרְאִיתַנִי et sic porro. „Nos vero, Rosenmüllerus, haud dubitamus, inquit, illam Suffixorum pluralium in singularia mutationem factam esse a criticis male sedulis, qui, quod in reliquo carmine unus tantum de se loquens inducitur, minus congruens existimarunt, ut hoc solo versu plures loquantur. Nec perspexisse videntur, totum populum Hebraeum sub unius persona hoc Psalmo sisti, id quod poetam Suffixis pluralibus hoc versu significare voluisse credibile est.“ In quibus vir beatus recte monuit retinendam esse scripturam receptam; sed de vi ac ratione Suffixorum pluralium idem judicavit festinantius. Amant enim qui pro sua ipsorum salute preces fundunt Psalmorum scriptores, sub finem maxime carminis, totum populum respicere, atque ut sua salus cum publica omnium salute conjungatur optare, 25, 22. 28, 8. 9. al. Quod idem hunc hoc loco fecisse intelligimus ex eo, quod in reliquis omnibus unus tantum loquitur. רַבּוֹת dubium est sitne Nomen substantivum an adjectivum referendum ad צָרוֹת. Si adjectivum, *aerumnas multas et acerbas* verba
reddes. שׁוּב utroque loco adverbialiter est capiendum. — *Au-* 21.
geas dignitatem meam, labefactatam ab adversariis (quod rursus optime convenit in Jeremiam), *Et convertas te*, mei iterum rationem habeas, *consoleris me*, vel תִּסֹּב adverbialiter accepto: *et iterum consoleris me*, quod, quoniam a תְּנַחֲמֵנִי abest copula, praeferendum videtur; cf. vs. 20. — *Etiam ego celebrabo te* 22.
instrumento lyrae, *Fidem tuam*, *mi deus!* *Canam tibi harpa*, *Sancte Israelis!* גַּם אֲנִי q. d. Quibus precibus (21.) si tu satisfeceris, *etiam ego* cet. בְּכִנּוֹר, נֶבֶל 33, 2. — *Jubilabunt labia* 23.
mea, *cum canam tibi*, *Et anima mea*, *quam liberaveris!* —
Etiam lingua mea quotidie canet justitiam tuam, *Quod pudore* 24.
affecti fuerint, quod *erubuerint*, consiliis suis exciderint, *Qui quaererent malum meum*, exitium meum intenderent. גַּם non arctius jungendum cum לְשׁוֹנִי, quasi dicat, *etiam lingua mea*, praeter *labia mea et animam meam* (23.), sed eo modo intelligendum, quo vs. 22., ex quo loco hic est cum vi repetitum.

PS. LXXII. *Salomonis carmen.* Insunt vota pro rege 1.
aliquo accedente ad regnum. Quem regem ut investigent inter-

pretes, regum qui Hebraeorum imperium tenuerunt omnium anxie scrutantur res gestas. Quasi vero votis debuerint respondere fortuna et voluntas! Ex votis nihil unquam colliges! Piis votis et magnificis quandoque salutantur impii futuri tyranni. Vota vero, nec nisi vota contineri hoc Psalmo, videt cujus aperti sunt oculi. Vs. 1. Imperativum habes; post per totum carmen pura puta Futura, eorumque multa apocopata, Praeteritum nullum! De Messia nonnulli cogitant. Non vehementer repugnabo: modo ne velint persuadere, non posse nisi ad Messiam referri quae leguntur vs. 5. 7—11. 17. Nam simillima his legimus 45, 3 sqq. Strophae quinque: vs. 1—4: faciat deus, ut rex agat juste, 5—7: ut sit diuturnum, salutare ejus imperium, 8—11: amplissimum ejus regnum, 12—14: ut miserorum curam gerat, 15—17: ut ipso regnante floreant res omnium, ejusque memoria omnium sermone celebretur! — *O deus, judicia tua* i. e. tuum judicandi modum *regi da, Et justitiam tuam filio regis*, regio genere nato! In מֶלֶךְ voce articulo non munita noli argutari! Deest articulus in eadem voce 45, 2., deest apud poetas in sexcentis aliis, in quibus prosa oratio carere illo non potuisset.
בֶּן־מֶלֶךְ eodem modo accipiendum, ut בַּת־מֶלֶךְ 45, 14., בְּנוֹת
2. מְלָכִים ibid. vs. 10. — *Judicet populum tuum juste, Et afflictos*
3. *tuos* i. e. afflictos populi tui, cf. vs. 4., *legitime!* — *Ferant*,
proferant *montes salutem populo, Et colles justitia* i. e. sint
plena omnia salutis justitia partae! cf. 85, 12. Jes. 45, 8. —
4. *Judicet afflictos populi*, eorum causam agat, *Opem ferat pau-*
peribus, Et conterat oppressorem! בְּנֵי אֶבְיוֹן G. gr. ampl.
5. p. 649. — *Revereantur te cum sole*, quamdiu sol erit, *Et*
coram luna, et quoad erit luna, *per omnes aetates!* Miror eos,
qui dubium esse moneant, deusne sit, quem alloquatur vates, an
rex. Appellatur is, de quo agitur hoc carmine, rex; cf. in-
primis vs. 17. De עִם־שֶׁמֶשׁ, לִפְנֵי יָרֵחַ vid. not. ad Dan. 3, 33.
6. coll. etiam E. gr. ampl. p. 609. — *Descendat ut pluvia super*
pratum detonsum, Ut imbres, adspersio terrae, i. e. quemad-
modum pluvia salutaris est terrae, sic populo saluti sit rex! —
7. *Floreat diebus ejus*, eo regnante *justus, Et multitudo salutis*,
8. *usque dum non erit luna*, luna esse desinet! — *Et dominetur*
a mari ad mare, ab uno mari ad alterum, *Atque a flumine* i. e.
Euphrate *usque ad fines terrae!* Verba *a mari ad mare* alii
significare volunt *a mari rubro usque ad mare medium*, coll.

Exod. 23, 31., quorum sententiam commendare potest quod in altero hemistichio *et ab Euphrate* dicitur, alii: *ab una terrae ora (aquis conclusa) ad alteram*, existimantes, in magnifica, qualem hoc carmen contineat, regis super reliquos omnes elati descriptione nihil jejunius cogitari posse et tenuius ista limitum finitione. Ego quamquam nihil video jejuni in limitibus terrae Israeliticae, quales Davidis aetate fuerunt, tamen latius patere prius hemistichium puto et ipse, tum ob posterioris hemistichii verba *usque ad fines terrae*, quae temere de deserto arabico intelligunt, qui alteram rationem sequuntur, tum ob ea quae subjiciuntur vs. 9 sqq. Sic vero *Euphrate* in altero hemistichio indicari necesse est extremum orbis terrarum limitem orientem versus, ita ut scriptor utroque in hemistichio regem longe lateque dominaturum esse spem exprimat. Ceterum cf. Zach. 9, 10., ubi eadem habentur verba, nec non Ps. 2, 8. Dan. 4, 19. —
Coram eo incurvent se venerabundi *deserticolae*, *Et hostes ejus* 9
pulverem lingant, supplices in pulverem coram illo se prosternant! — *Reges Tartessi et insularum* (maris medii) *tributa* 10
referant, *Reges Sabaeae et Meroës dona afferant*, tributa faciant ac dona offerant reges terrarum remotissimarum earumque ditissimarum! הֵשִׁיב מִנְחָה *facere tributa* 2Reg. 3, 4. 17, 3. 2Chron. 27, 5., adhibito *referendi* verbo, non ob rei iterationem, ut putant, nam הֵשִׁיב non significat *repetere*, *iterare*, sed propterea, ut mihi quidem videtur, quod, qui tributa facit, *debita refert*. אֶשְׁכָּר *pretium* (vid. ad Ezech. 27, 15.), hinc *do-*
num. — *Et prosternant se ei*, coram eo *omnes reges*, *Omnes* 11.
populi serviant ei! — Redditur jam causa, cur debeat tantopere 12.
rex coli. In quo loco quae leguntur Futura et ipsa optative accipienda sunt. *Nam liberabit* (i. e. speramus liberaturum esse, et sic porro) *pauperem implorantem auxilium*, *Et afflictum cui non est adjutor!* „Non tam justum et lene imperium, quo suum ipsius populum rex ille moderatur, quam potius aequitas et clementia, qua erga alios populos utitur, describi videtur. Non permittet, ut exiles nationes a potentioribus, minores a majoribus proterantur et subjugentur." Ros. Quam sententiam etiam alios recentiorum interpretum video secutos esse. Dubito autem, num possint haec verba aliter hic accipi, atque vs. 2. 4. Causas illi suae interpretationis afferunt duas: unam כִּי particulam, alteram, quod vs. 15. non possit non intelligi de populis a rege

servatis eique ea de causa offerentibus dona. Sed qui erga suos cives insigni clementia utitur rex, is exterorum quoque admirationem venerationemque sibi conciliabit. Quare כִּי praemissum vs. 12. non obstat, quominus verba ad eosdem referas, de quibus dictum vs. 2. et 4. Ad alterum autem argumentum quod attinet, illud falsa nititur interpretatione, de qua videbimus ad vs. 15.
13. וְאֵין עֹזֵר לוֹ E. gr. min. §. 607. — *Miserebitur miseri et pau-*
14. *peris*, *Et animas*, vitam *pauperum servabit*. — *Ab oppressione et violentia vindicabit animam eorum*, eos, *Et pretiosus erit sanguis eorum in oculis ejus*, in magno pretio habebit eorum vitam, non feret, ut impune quisquam eos occidat, violet.
15. תּוֹךְ pro תֹּךְ; sic תּוֹכִים Prov. 10, 9. al. — *Et vivat*, incolumis ab oppressione et violentia (14.) sit regis beneficio miser (12. 13.), *et det ei rex de auro Sabaeo*, et impertiat ei rex ab oppressione eum vindicaturus (cf. 49, 8 sqq.) de auro Sabaeo ipsi ab exteris populis oblato (10.)! *Et oret* miser a rege servatus *pro eo perpetuo*, pro salute ejus continuas ad deum preces fundat, *Quotidie celebret eum!* Alii: *et vivat et det* pauper *ei*, regi *de auro Sabaeo* cet. Sed miseriis erepti a rege cives grati animi sensus non solent significare offerendo auro! Putat quidem e recentioribus aliquis, sperare vatem, illius sub imperio regis pauperes quoque evasuros esse beatioris sortis homines coll. vs. 16. Sed fac esse, ut vult vir doctissimus, cur tandem *Sabaeum* illi oblaturi dicuntur aurum? Ex qua nova difficultate ut se expediant interpretes, afflictos, de quibus agitur, populos *exteros* esse jubent (cf. ad vs. 12.). Quorum tamen sententiae praeter alia obstat vs. 16., ubi in media Israelitarum terra versamur. Quid multa? Nebulae instar evanescent difficultates omnes, simulatque Subjectum יִתֶּן verbi mecum feceris regem, לוֹ vero ad miserum referas. Quam commode rex cives afflictos et oppressos, quorum magno in pretio vitam habet, ab hominibus violentis vindicare dicitur *auro!* Quam commode idem auro *Sabaeo*, utpote ipsi antea oblato a populis exteris! Leve est, quod ex hac mea interpretatione יְחִי Subjectum habet miserum, יִתֶּן regem, יִתְפַּלֵּל rursus miserum. Quis enim nescit, mirifice delectari vates hebraicos numerorum ac personarum subita mu-
16. tatione? — *Sit abundantia frumenti in terra*, *In cacumine montium*, et in ipsis montium cacuminibus! *Strepat instar Libani fructus ejus*, frumenti, strepant agitatae vento segetes

proinde atque Libani cedri et arbores! *Et floreant*, efflorescant
ex urbibus cives, *ut herba terrae*, laete crescat soboles populi
in civitatibus, ut gramina campi! פִּסַּת *diffusio*, hinc *abun-*
dantia, a פָּסַס ejusdem significatus verbo, cujus est פָּשָׂה, chald.
פְּסָא, פְּסַת *expandere, diffundere se*, a quo est פְּסִיוֹן extensio,
expansio, diffusio. יָצִיצוּ sc. homines. Alius: *floreant οἱ ἐκ*
πόλεως, coll. 68, 27. — *Sit, duret nomen ejus in perpetuum;* 17.
Coram sole, quamdiu sol erit, *sobolescat*, propagetur *nomen ejus!*
Et bene sibi precentur per eum i. e. ejus felicitatem sibi ad-
precentur, *omnes populi felicem praedicent eum!* לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ
vid. ad vs. 5. נִין Hi. probabiliter *sobolescere*, cf. deriv. נִין
soboles, nam primaria verbi significatio dubia est. De הִתְבָּרֵךְ
seq. בְּ vid. ad Gen. 22, 18. יִתְבָּרְכוּ impers. ut יִירָאוּךָ vs. 5.
— Quae vs. 18. et 19. continentur δοξολογία sunt, addita a col- 18.
lectore libro qui hic desinit secundo; cf. 41, 14. *Laudetur*
Jova, deus, deus Israelis, qui facit admiranda solus! — *Et* 19.
laudetur nomen ejus gloriosum in sempiternum, *et impleat se*
gloria ejus per universam terram (cf. ad Num. 14, 21.), vel
quod magis placet: *et impleant* (G. gr. min. §. 140.) *gloriâ ejus*
universam terram! Amen! et Amen! — *Finem habent preces* 20.
Davidis, filii Isai. כָּלּוּ ut כָּלָה 80, 11. G. gr. ampl. p. 315.

PS. LXXIII. *Carmen Asaphi.* Argumentum Psalmi idem 1.
fere est, quod Pss. 37. et 49. Fatetur vates, conspecta felicitate
impiorum, piorum miseria, in eo se fuisse, ut irritum haberet
omne pietatis studium vs. 1—15., sed utrorumque rationes quum
accuratius considerasset, vidisse sese, improbos tandem perire,
probos vero deum servare atque tueri 16—28. — *Non nisi*
benignus erga Israelem, erga suos, est *deus*, *Erga eos qui*
sunt puri cordis! Eleganter recentiorum aliquis manifestum esse
monuit, vatem ita hoc carmen inchoantem veluti emergere ex
profunda aliqua meditatione, in qua mens ejus inter minus pias
cogitationes jactata aliquamdiu aestuasset, donec tandem meliores
animi sensus praevaluissent. — *Ego vero, haud multum abfuit* 2.
quin inclinarent ad lapsum *pedes mei*, *Nihil abfuit, quin la-*
berentur gressus mei i. e. ego vero, quum de Jovae erga pios
animo perverse judicassem, paene defecissem a fide erga illum.
Pro נְטוּי Masorethae praeter necessitatem reponi volunt נָטָיוּ,
de qua forma vide ad 57, 2. 36, 8. Ad verbum נְטוּי רַגְלָי est:

fuerunt inclinantes, inclinarunt *pedes mei*, cf. hemistichium po-
sterius et de Nomine plurali constructa cum Verbo singulari
G. gr. min. §. 144. E. gr. min. §. 567., vel: *fui inclinans quoad
pedes meos*, ita ut רַגְלָי habeatur Accusativus. Alii non נָטוּי
efferunt, sed נְטוּי statum constructum. Tum vero molestum est
Suffixum in רַגְלָי; cf. קָרוּעַ כֻּתָּנְתּוֹ 2 Sam. 15, 32. cum קְרוּעֵי
בְגָדִים 2 Reg. 18, 37. שָׁפַךְ *fundi*, *effundi*, de gressu: *labi*; cf.
latinorum *fundi* pro *prosterni*. Pro שֻׁפְּכָה Masorethae iterum
nulla urgente necessitate: שֻׁפְּכוּ; vid. G. gr. min. §. 143, 3.
3. E. gr. min. § 568. — *Nam invidebam insolentibus*, cf. 37, 1.,
Salutem improborum intuebar. Precario et praeter necessitatem
4. nonnulli posterius hemistichium: cum *intuerer* cet. — *Nam
nulli dolores usque ad mortem eorum! Et pinguis est venter
eorum*. חַרְצֻבּוֹת Jes. 58, 6. *vincula*, hoc loco *tormenta*, *dolores*
ab חַרְצֵב *valide constringere funem* (arab. transpositis literis
حَضْرَبَ), fortasse, ut ingeniose conjecit Gesenius, ex חָרְצַב,
conflato ex חָרַץ acrem esse et חָרַם contrahere, hinc acriter
contrahere; cf. quod accurate respondet חֲבָלִים *funes* et *tormenta*
ab חָבַל *adstringere funem*. לְ *usque ad*, ut Jes. 7, 15. et sae-
pius. Alii: *nam nulli dolores* sunt *morti eorum*, nullos dolores
habet mors eorum. Quod non convenit. Nam longa est et
plena dolorum vita mortalium, ut, si nihil aliud dixisset vates,
quam doloribus vacuam esse improborum *mortem*, haud profecto
apta dixisset. Quod idem valet in alius interpretationem hanc:
nam nulli dolores sunt *in mortem eorum* i. e. tales qui ipsis
mortem afferant, quum praeter mortiferos multi sint dolores,
ex parte illis longe graviores. Alii denique pro לְמוֹתָם reponen-
dum putant לָמוֹ תָּם, ita quidem, ut לָמוֹ trahatur ad hemisti-
chium prius, תָּם ad posterius in hanc sententiam: *Nam nulli
dolores iis sunt*, *Sanum et pingue est corpus eorum*. Non male
hoc quidem, sed praeter necessitatem. Nam quod in priore he-
mistichio, si reddatur *nam nulli dolores usque ad mortem eorum*,
dicunt desiderari לָמוֹ, in eo errant, quum possit propter Suffi-
5. xum, quod in לְמוֹתָם est, salvo sensu abesse. — *In aerumnis
mortalium non sunt*, non urgentur malis, quibus ceteri morta-
les, *Et cum hominibus non percutiuntur*, quibus alii afficiuntur
6. plagae ipsos non attingunt. בְּרַע ut מֵעָמָל 10, 6. — *Hinc tor-
quis instar cingit eos*, vestit collum eorum *superbia* i. e. hinc
erecto, resupino collo incedunt secunda fortuna ad superbiam

prolapsi, cf. 75, 6. Jes. 3, 16., *Tegit vestis violentiae eos*,
vel plane accommodate ad hemistichium prius: *tegit* tanquam
vestis violentia eos, violentiae habitum prae se ferunt. עָטַף
cum לְ, prorsus ut כִּסָּה Jes. 11, 9., ubi cf. not., et כִּפֵּר pluri-
bus in locis. Falluntur itaque, qui לָמוֹ pro Accusativo habent.
Alii posterius hemistichium sic interpretantur: *induit* improbus
vestem violentiae sibi, vel: *induit* tanquam *vestem violentiam
sibi*, in quibus interpretationibus molestum est לָמוֹ Pluralis. —
Prodit, prominet, turget *ex adipe* i. e. vultu obeso *oculus* 7.
eorum, quae est elegans descriptio divitum bene saginatorum
(vs. 4.) superbia intumescentium, cf. Job. 15, 27., *Redundant*,
erumpunt, apparent *imaginationes cordis*, eorum magnae de se
opiniones in verbis quae loquuntur et gestibus quos faciunt com-
parent. De יָצָא עֵינֵמוֹ vid. ad נָטוּי רַגְלָי vs. 2. Hemistichium
prius hoc modo nonnulli convertunt: *prodit prae adipe oculus
eorum*. *Adipem* vero eorum alii proprie intelligunt de *obesitate
vultus*, alii improprie de *opulentia*, *divitiis*. Quorum tamen
neutrum ad posterius hemistichium satis aptum est. *Cordis
pinguis* i. e. *torpentis* significatum, quem חֵלֶב habet 17, 10.,
quemque illum ad locum etiam huic qui prae manibus est sub-
jiciendum putavimus, hic locum habere non potest nisi hac con-
ditione, ut pro עֵינֵמוֹ cum LXX (qui: ἡ ἀδικία αὐτῶν), Vulg.
Syr. legas עֲוֹנֵמוֹ, quod avide arreptum video a pluribus recen-
tiorum interpretum. Quamquam vero qui sic nascitur sensus:
prodit ex corde eorum *torpente delictum eorum* aptus est ad
parallelismum, tamen adquiescendum equidem puto in scriptura
vulgata, utpote sensum fundente haud sane minus convenientem.
Qui posterioris membri sensum hunc faciunt: *transgrediuntur
cogitationibus* (!) *cordis* sc. omnes recti et aequi fines, digni
qui confutentur non sunt. — *Subsannant*, ludibrio laedunt, *et* 8.
loquuntur in malitia, malitiose; *Oppressionem ex alto* i. e.
superbientes *loquuntur*. Justo brevius et ita ut non satisfaciant
etymologi atque interpretes הֵמִיק idem esse monent, quod aram.

מִיק *deridere*, *irridere*. מוּק, مَاقَ, nisi fallor, 1) proprie
significat *levis pretii esse*, *leve esse* (qui significatus est in مَاقَ,
cf. chald. מוּק *tabescere*); 2) transl. *vecordem*, *fatuum esse*
(arab.). Hinc in Hi. 1) *leve reddere* aliquid (cf. arab. IV. *com-
minuere*); 2) *stultum reddere*, *habere ludibrio*, *ridere* aliquem

(arab. X. *stultum reputare* aliquem, aram. Pa. et Aph. *deridere*,
irridere). Vicina sunt מָקַק, מָכַךְ, מוּךְ, מוּג. Quod a plerisque
ad hemistichium prius refertur עֹשֶׁק, rectius trahi videtur ad
9. posterius. — *Admovent coelis os suum, Et lingua eorum per-
vadit terram* i. e. ut vere observavit recentiorum aliquis, „de
summis pariter atque imis loquuntur,“ nihil est in tota natura
rerum, quod superbi isti a putida sua censura alienum putent.
10. — *Hinc*, quod tam prospere omnia succedunt huic hominum
generi, *convertit se populus ejus*, Jovae, puta (vs. 1.), *huc*, in
partes improborum, derelicto Jova cum improbis facit, horum
studia sequens et mores; *Et aquae plenitudinis*, plenae, abun-
dantes, *exsuguntur*, hauriuntur *iis*, ab iis, obcaecatis illis, qui
improborum turbae se adjungunt, id est, et in eadem illi, in
qua improbi, omnium rerum abundantia vivunt. Pro יָשִׁיב cum
Masorethis interpretes legendum putant יָשׁוּב, qua emendatione
facile caremus. יָשִׁיב dictum pro יָשִׁיב פָּנָיו, omisso Accusativo,
ut Ezech. 14, 6. 18, 30. 32., cf. G. gr. ampl. p. 851. Sic Latini
revertere dicunt pro *revertere se*. יִמָּצוּ לָמוֹ *exsuguntur iis*,
id est, ab iis, G. gr. min. §. 140, 2. E. gr. min. §. 527, 2.
לָמוֹ ad עַמּוֹ Nomen collectivum est referendum, ut 28, 8. Sunt
qui posterius hemistichium ad *improbos* referendum existiment,
utpote quorum sermones inducantur vs. 11. Sed unde tandem
sciunt interpretes, qui vs. 11. loquentes introducuntur esse im-
probos istos? Debebant e contrario viri docti Subjectum illius
versus elicere ex hujus quem tractamus versus hemistichio po-
steriore, posterioris vero hujus commatis hemistichii Subjectum
11. cognoscere ex Subjecto hemistichii prioris. — Loquentes jam
vates facit non improbos, sed eos, qui deficientes a Jova partes
sequuntur improborum; cf. ad vs. 10. Eorum vero pro sermo-
nibus habenda sunt non tantum quae vs. 11. dicuntur, sed quae
inde ab hoc versu usque ad vs. 14. leguntur omnia. Id quod
intelligimus ex vs. 15. *Et dicunt* perturbati illi, qui impiorum
turbae se aggregant: „*quomodo scit deus* aliquid, *Atque est
scientia in altissimo?* putatisne deum eorum quidquam nosse,
12. quae nos facimus in terra? cf. 10, 4. 11. 13. — *En hosce im-
probos! Et* tamen *securi in perpetuum*, tranquille viventes
perpetuo, *augent opes!* אֵלֶּה Nomini suo ut saepius alias cum
vi praemissum est. Alii: *en, hi* sunt *improbi! Et* tamen *se-
curi* cet. Alii: *en, hi*, tales sunt *improbi*, ita se habent im-

probi; *Et securi est.* — *Non nisi frustra mundavi cor meum,* 13.
Et lavi in puritate manus meas, culpa vacuum me servavi, de
qua locutione vide quae disputavimus ad 26, 6. — *Et fui per-* 14.
cussus, omnigenis plagis affectus *quotidie,* *Et castigatio mea*
adfuit *quovis mane.*" Male nonnemo: *et* tamen *fui percussus.*
Tamen enim quomodo tandem cohaeret cum *frustra* vs. 13.?
Explicatur potius hoc versu quod supra dictum *frustra.* — Huc- 15.
usque verba partes sequentium improborum. Jam vates: *Si di-*
xissem, cogitassem: *loquar ita,* ut isti loquuntur (vs. 11—14.),
En familiam filiorum tuorum, cultorum tuorum (o Jova) *perfide*
deseruissem. כְמוֹ jam Graecus Alexandrinus interpres reddidit
οὕτως, et recte quidem. Ea enim significatio tantum abest
ut incerta sit, ut primaria haberi debeat. Nam כְּמוֹ compositum
ex כְּ et מוֹ proprie nihil aliud significat, quam *tale quid,* vel
potius quod germ. dicimus *so was.* כְּ enim decurtatum ex כֵּן
(a rad. כּוּן), ut אַךְ ex אָכֵן (ab eadem radice) propr. significat
ita, sic, so (hinc dupliciter positum *sicut — ita,* pr. *so — so*);
מוֹ vero idem est quod מָה indefinitum, *quidquam* (cf. כֹּה et כָּה),
quocum ad eandem מָנָה radicem est referendum; cf. nuper a me
editus liber qui inscribitur *Cursus* in כּוּן et מָנָה radicibus.
Neque igitur כָּמֹשׁ est legendum nec כְּמוֹהֵנָּה. Utinam mallent
interpretes dubiarum vocum primigeniam vim scrutari, quam
non intellectas corrigere! בָּגַד cum Accusativo idem quod cum בְּ.
— *Et meditatus sum, ut intelligerem hoc,* ut quid causae sit 16.
intelligerem, quod impiis omnia prospere cedant, pii vero in
miseriis versentur; *Labor id fuit in oculis meis,* id vero mihi
maximus labor videbatur, difficillimum opus. הִיא neutraliter est
positum. — *Donec intrarem in sacraria dei,* i. e. in sacra, 17.
arcana dei, quibus in administratione rerum utitur, consilia, cf.
77, 14., Donec *attenderem ad exitum,* ultimam sortem *eorum,*
hominum improborum rebus omnibus adfluentium. מִקְדְּשֵׁי אֵל
sunt qui intelligant de *sacrariis templi.* Quae significatio usitata
est quidem sed aliena ab hujus loci nexu. — *Non nisi in locis* 18.
lubricis collocas eos, ut brevi praecipites agantur, *Cadere eos*
facis, ut fiant ruinae, cf. vs. 19., facis ut evertantur. שִׁית
absolute hic positum significat *locum parare, assignare.* מַשּׁוּאוֹת
i. q. מַשֻּׁאוֹת 74, 3., a שָׁאָה, contractum ex מַשְׁאוּאוֹת; cf. מַכֹּלֶת
ex מַאֲכֹלֶת. — *Quomodo sunt in vastationem,* fiunt vastatio 19.
repente, quam subito evertuntur, *Auferuntur, absumuntur,*

pereunt *subita pernicie!* מִן de causa efficiente. Alii: *prae*
20. *terroribus.* — *Sicut somnium ab evigilando* i. e. statim post-
quam aliquis evigilavit, Sic, *o domine, cum expergefeceris,*
cum excitaveris improbos e tranquillitatis suae dulci somno,
imaginem eorum i. e. imaginariam eorum felicitatem *contemtim*
abolebis. Similem imaginem vid. Jes. 29, 7 sq. חֲלוֹם Accusa-
tivus, respondens צַלְמָם voci in hemistichio posteriori. מֵהָקִיץ
ab evigilando i. e. *statim post* evigilandum, quo significatu con-
stat מִן saepius dici. בָּעִיר pro בְּהָעִיר Infin. Hi. Objectum *eos*,
improbos, salvo sensu potuit omitti, quum statim subjiciatur
צַלְמָם. Alius: *cum evigilaverint.* Sed qui somnia improborum
dissipaturus dicitur deus, idem apte dormientes dicitur experge-
facturus. Ad hoc הֵעִיר rarissime tantum est *evigilare.* Quod
idem valet in eos, qui sic interpretantur: *cum evigilaveris ad*
judicium. Accedit, quod qui hanc interpretationem sequuntur,
imaginem turbant. Quemadmodum enim inter se respondent חֲלוֹם
21. et צַלְמָם, sic respondeant necesse est מֵהָקִיץ et בָּעִיר. — *Quum*
conspecta felicitate improborum *exacerbaretur cor meum, Atque*
22. *in renibus meis pungerer,* dolor renes meos pungeret: — *Tunc*
ego brutus, stupidus eram, *neque intelligens*, *Hippopotamus*
i. e. tam stupidus ut hippopotamus *ego eram tecum*, erga te.
יִתְחַמֵּץ metaph. *exacerbari*, cf. chald. Pa. et Aph. *exacerbare*,
exasperare, *acerbitatem*, *dolorem*, *tristitiam afferre.* כִּלְיוֹתַי
Acc. partis, E. gr. ampl. p. 590. יָדַע absolute: *sapere*, ut sae-
pius. בְּהֵמוֹת *hippopotamus* (Job. 40, 15.), stupiditate insignis
bestia. *Bestias* in genere quominus intelligas, obstat Pluralis,
23. qui non convenit. — *Ego vero continuo* sum *tecum*, tibi dedi-
tus, *Prehendis manum meam dexteram*, quibus verbis hoc sibi
vult: verum idem ille ego, qui, quae est mea caecitas, in eo
eram, ut a te deficerem, tamen neque nunc a te defeci, neque
deficiam unquam, idque tuo beneficio, qui auxilio tuo me ad-
24. juvas atque sustentas. — *Consilio tuo duces me*, *Et postea*
cum honore, honorifice, *accipies me*, suscipies me i. e. quem-
admodum usque ad hoc tempus consilio tuo me duxisti, sic etiam
deinceps me duces, et pro eo, quod quamquam versans in mi-
seriis tamen non a te defeci, tandem ad decus et gloriam me
perduces, quemadmodum qui nunc quidem felicitate utuntur im-
probi idem tandem in perniciem ages. כָּבוֹד Acc. adverbialis.
Nescio, quid sibi velint interpretes sollicitantes וְאַחַר et quae

sequuntur verba. Ea enim tantum abest ut non conveniant, ut
non possint convenire melius eo quo accepimus accepta sensu.
In hoc enim totius carminis cardo vertitur, quod impii omnibus
rebus affluentes tandem perituri, pii vero servandi a deo dicun-
tur. Violenta si quae alia est explicatio eorum, qui hemistichium
posterius sic interpretantur: *atque ad honorem deduces me*, coll.
Zach. 2, 12., cujus loci et alia ratio et insuper perquam dubia
interpretatio est. — *Quis mihi in coelis?* i. e. nemo mihi est in 25.
coelis, sc. quem aeque ac te diligam; complendum enim, ut
saepissime, hemistichium prius ex posteriore, *Et tecum*, juxta
te *non diligo* quicquam *in terra.* Sensus: tu es summum meum
bonum in coelo et in terra. — *Consumitur caro mea et cor* 26.
meum i. e. fiat, consumatur caro mea cet., cf. 46, 7., *Petra*,
refugium *cordis mei et portio mea deus* est *in perpetuum!* De
שְׁאֵר vocis origine nihil definiunt etymologi. Itaque audendum
est aliquid. Est vero, nisi fallor, שָׁאַר verbi, quod constat
significare *reliquum esse*, *superesse*, primaria significatio: *rece-
dere*, *remanere*, ut vicinum sit שׂוּר == סוּר Hos. 9, 12. Hinc
arab. سار med. Je II. et V. (== Pi. Hi. et Pass.) recedere facere,
removere, velut operimentum ab equo, *decorticare*, *decoriare*
cutem. Vide jam, an non שְׁאֵר sit id, quod detracta cute est
reliquum ac statim comparet, *caro* inquam; cf. inprimis Mich.
3, 2. et simile etymon בָּשָׂר nominis (ad 40, 10.). — *Nam ecce*, 27.
qui recedunt a te, *pereunt*, *Ad silentium redigis*, perdis *omnem
scortantem* deficiendo *a te*, universos, qui te relicto deos alienos
prosequuntur. De רְחֵקֶיךָ vid. ad קָמַי 18, 40. — *Ego vero*, *ap-* 28.
propinquatio ad deum mihi est *bonum*, *Pono in domino Jova*,
eum facio *refugium meum*, *Ut* servatus tuo beneficio *enarrem
omnia opera tua*, facinora tua gloriosissima. קִרְבַת אֱלֹהִים sub-
jective accipiendum; cf. oppositum רְחֵקֶיךָ vs. 27. טוֹב neutr.
ut Subst. est positum, *boni quid*, *bonum*.

PS. LXXIV. *Carmen* (vid. ad 14, 1.) *Asaphi*. Scriptum 1.
potius putamus, quum expugnata urbe Hierosolymitana templum
antea profanatum exspoliare, destruere et comburere Chaldaei
inciperent; cf. inprimis Thren. 1, 10. 2, 6 sqq. De Antiochi
Epiphanis aetate ut cogites, causa adest nulla. Vide infra ipsam
enarrationem. Strophae quatuor, quarum primae respondet tertia,
secundae quarta: Vs. 1—2: recordare, o deus, populi tui, quem

inde ab antiquissimis temporibus singulari tua cura dignatus es!
3—9: grassantur hostes, profanant, vastant, comburunt tem-
plum et quaecunque per terram sunt sacra loca. 10—17: poe-
nas repete ab iis, tu cujus tutelae fuimus a prisco inde tempore,
qui universum mundum aedificasti! 18—23: libera nos ab in-
sana hostium insolentia! — *Cur, o deus, rejicis in perpetuum,*
cf. 44, 10. 24., *Fumat ira tua* (cf. ad 18, 9.) *in gregem*
pascui tui, populum Israeliticum, cujus tu es pastor, deus tu-
2. telaris? cf. 95, 7. al. — *Recordare coetus tui*, quem *acquisi-*
visti ducendo eo ex Aegypto in terram Cananaeam *olim*, *Red-*
emisti veluti *gentem tibi propriam! Montis Sionis, in quo*
habitasti! קֶדֶם Acc. שֵׁבֶט נַחֲלָתֶךָ ut Jer. 10, 16. 51, 19. Alii:
3. *peculium hereditatis tuae.* הַר צִיּוֹן pendet ex זְכֹר. — *Eleva*
gressus tuos ad ruinas perpetuas, infinitas, eas visurus, con-
templaturus! *Omnia violat hostis in sacrario*, templo. מַשֻּׁאוֹת
ruinae ut 73, 18. ubi vid. Quod in Bibliis Athianis (1661)
legitur לְמַשֻּׁאוֹת, expressum a LXX (*ἐπὶ ὑπερηφανίας αὐτῶν*),
Vulg. (*in superbias eorum*) et Syro (*super illos qui efferuntur*),
vel propterea est rejiciendum, quod antiqui isti interpretes לְמַשֻּׁאוֹת
etiam expresserunt in 73, 18., ubi sensum fundit nullum. מַשֻּׁאוֹת
נֶצַח *ruinae perpetuae*, quae nullum finem capere videntur.
Male alii: *ruinae perfectae s. absolutae.* Vide quae disputavi-
mus ad Jer. 8, 5. Tom. I. p. 531. Ceterum cf. ad hunc et pro-
4. ximos vss. Thren. 1, 10. 2, 6 sqq. — *Rugiunt*, vociferantur
adversarii tui in medio conventu tuo, in medio conventus sacri
loco, templo, *Ponunt signa sua signa*, sua sacra substituunt
tuorum in locum sacrorum. מוֹעֵד אֱלֹהִים *templum*, ut Thren.
2, 6. Pro מוֹעֲדֶךָ plurimi libri cum Chaldaeo מוֹעֲדֶיךָ sensu haud
diverso. אֹתוֹת non *signa militaria*, ut nonnulli volunt, sed
sacra (res sacras et ritus sacros) esse, docet vs. 9. *Signa* vero
dicuntur barbarorum sacra ex usu loquendi Hebraeorum, qui
sacra sua habebant dicebantque *signa foederis*, cf. Gen. 17, 11.
Exod. 31, 13. 17. Ezech. 20, 12. 20. „Quae hoc versu leguntur
שָׂמוּ אוֹתֹתָם אֹתוֹת, et quae his proxima sunt vs. 9: אוֹתֹתֵינוּ
לֹא רָאִינוּ, egregie quidem ea convenire Maccabaico tempori fa-
cile largior (cf. 1 Macc. 1, 30 sqq. 2 Macc. 5, 24 sqq. 6, 1 sqq.
Jos. Arch. 12, 7.), neque tamen incommode ad tempus urbis
a Nebucadnezare vi captae referri paucis ostendam." Castris per
duos annos ad Hierosolyma positis nono die quarti mensis un-

decimi quo regnabat Zedekias anni Nebucadnezar rex urbem
expugnavit, neque tamen ipsam intravit, sed fugacem ex urbe
exercitum persecutus Zedekiam liberis principibusque Riblathae
trucidatis, captivum Babylonem deduci jussit (Jer. 52, 4—11.).
Neque, urbe licet a Chaldaeis capta, templum statim eversum,
sed post integrum mensem (decimo quinti mensis die, cf. ibid.
vs. 12 sqq.) a Nebusaradano regis ministro urbs destructa, tem-
plum combustum est. Vides, urbis templique vastatio quam sit
longe alia, atque saepenumero putabatur, non quidem primo
armorum victricium furore facta, sed consilio satis lento insti-
tuta. Tanto autem spatio inter expugnationem urbis ipsamque
vastationem interjecto, nonne ab hostibus crudeliter in bonos
cives saevitum templumque et quidquid sacri esset in urbe et
per terram Judaicam multis modis profanatum esse credis? De
quibus qui dubitare possit, legat ille, quae 2 Chron. 36, 14.
scripta sunt de templo jam antea turpiter polluto sacrisque bar-
barorum in locum sacrorum Jehovae substitutis ab impiis homi-
nibus, iisque Judaeis, quos urbe a Chaldaeis obsessa caput sustu-
lisse, expugnata in horum partes palam transiisse admodum
credibile est. Quare quid impedit, quominus illo tempore, quo
templum antea profanatum destruere et comburere hostes inci-
perent, vatem quendam tot atque tantas verae religionis et uni-
versi populi calamitates hoc carmine conquestum esse statuamus?"
Haec vere Hamlerus de Pss. Macc. partic. post. Ulm. 1832.
p. 11 sq. — *Conspicitur* hostis *veluti aliquis immittens desuper* 5.
In ramos perplexos arborum, in densas arbores *secures*. Qui
verius explicatur eo qui proxime sequitur. — *Et jam sculptu-* 6.
ras ejus, templi, *simul Bipenni et malleis contundunt*. Cum
פִּתּוּחֶיהָ non possunt nisi de sculpturis *templi* intelligi, Suffixum
referendum est ad מוֹעֵד vs. 4., quod pro Feminino habetur hoc
loco. Quaerunt ad hos versus, qui ad Antiochi Epiphanis aeta-
tem Psalmum referri volunt, cur tandem securibus et malleis
Chaldaei violaverint templum brevi comburendum? supervacaneum
id opus futurum fuisse judicantes. Quod leve est. Chaldaeos,
priusquam igne delerent, expoliasse templum, narratum legimus
Jer. 52, 17 sqq. 2 Reg. 25, 13 sqq. 2 Chron. 36, 18. Domos
autem ac templa qui expoliant, singula et universa solent ever-
tere et perturbare, reconditos investigantes thesauros. Praeterea
cf. quae 1 Reg. cap. 6. et 7. narrata leguntur de plurimis templi

7. partibus auro purissimo vel factis vel obductis! — *Inferunt ignem sacrario tuo*, *Ad solum* prosternentes *profanant habitationem nominis tui*. שִׁלַּח ד׳ בָּאֵשׁ propr. *mittere, jacere aliquid in ignem*, pro *ignem inferre alicui rei*, ut Jud. 1, 8: אֶת־הָעִיר שִׁלְּחוּ בָאֵשׁ, et ibid. 20, 48. חִלֵּל לָאָרֶץ praegnanter dictum, ut 89, 40. Errant qui ad hunc versum Maccabaeorum tempore urbi quidem, non autem templo ignem injectum esse monent. Quamquam enim non totum templum, tamen τὰ ἅγια καὶ τὰ ἐντὸς τοῦ οἴκου illa aetate igne deleta esse loci ostendunt 2 Macc. 1, 8. 8, 33. coll. 1 Macc. 4, 38. 48. Nec dubium est, quin ad illam vastationem referri possit quem tractamus versus. Noli credere, obstare vs. 3. Ejus enim posterius hemistichium concinit, prius non repugnat, siquidem quae vastandis omnibus templi interioribus partibus fiunt ruinae et ipsae recte vocantur *infinitae*. Ex qua re tamen nihil nisi posse per hos versus etiam ad Maccabaica tempora referri carmen efficitur. —

8. *Dicunt in corde suo: „opprimamus eos* (נִינָם Fut. a יָנָה cum Suff.) *simul!*“ *Comburunt omnes conventus dei*, omnia conventus sacri loca *in terra*. מוֹעֲדֵי אֵל domos esse vel certe tentoria conventus sacri, docet quod praecedit שָׂרְפוּ et מוֹעֲדֶךָ de templo intelligendum vs. 4., quod idem ostendit intelligenda esse, non prophetarum colonias, ut cum aliis statuit Hasslerus, sed *sacella* vel *delubra* praeter templum Hierosolymitanum per universam Judaeam deo exstructa, הַבָּמוֹת et בָּתֵּי הַבָּמוֹת dicta. Convenirent *synagogae* quoque, de quibus jam cogitavit Aquila. Synagogas vero cur intelligas, ideoque, quum ante Babylonici exsilii tempora nullae exstiterint synagogae, carmen ad Maccabaeorum aetatem referas, causam idoneam video nullam. Nam quae ab Josia rege destructa fuerant sacella et delubra praeter templum Hierosolymitanum per terram diis fictitiis ipsique deo facta, maxime probabile est magnam partem ab iis qui in locum illius successerant, regibus legis Mosaicae parum tenacibus esse reparata. Fortasse etiam plura destructa non fuerant. Quod autem in sacella quoque et delubra per terram exstructa saevitum est a Chaldaeis, id, quamquam bellum non erat de rebus sacris illatum, tamen nihil habet miri. Qui templum Hierosolymitanum vastarunt, quidni iidem vastarint reliqua? Quis nescit, nisi qui data opera scire non vult, moris fuisse apud veteres orientis populos, devictorum a victoribus deos deorumque templa deleri?

— *Signa nostra* (vid. ad vs. 4.) *non videmus*, *Non amplius est* 9
propheta, *Nec nobiscum qui sciat*, *quousque*, quamdiu duratura sit haec calamitas. Hoc potissimum versu nituntur, qui carmen Antiochi aetate factum volunt, coll. 1 Macc. 4, 46. 9, 27. 14, 41. „Sed in ingenti populi clade, Hierosolymis a Nebucadnezare vi expugnatis, in ipso reipublicae excidio (Jer. 52. cf. 2 Reg. 25. 2 Chron. 36.) quid mirum, si vir quidam bonus, idemque fortasse propheta, animo gravius exacerbatus suam de desperata civitatis conditione querimoniam cum aliis tum his praecipue verbis manifestabat: אֵין עוֹד נָבִיא? Sic enim esse solent homines, ut, qui reipublicae bene consulant, rariores fere fiant in magna aliqua calamitate. Nec aliter rem fuisse comparatam illa reipublicae hebraicae tempestate, testem habemus Jeremiam Thren. 2, 9. de consilii inopia, qua tum temporis fuerint prophetae, misere querentem. Cui quidem loco nostrum habebis simillimum, si, quod per linguae leges fieri licet, verbis אֵין עוֹד נָבִיא וְלֹא אִתָּנוּ יוֹדֵעַ עַד־מָה inter se junctis verteris: *non amplius propheta neque nobiscum est*, *qui sciat*, *quousque*. Quo facto auctorem, ipsos neque prophetam habere neque alium quempiam, qui de tantae calamitatis fine judicare possit, querentem, in eandem vides abire sententiam, quam apud Jeremiam legimus.“ Hassl. l. l. p. 10. Ego quamquam nego, אֵין עוֹד נָבִיא copulanda esse cum iis quae subjiciuntur, tamen nullus dubito, quin de summa istius temporis prophetarum inopia consilii possint intelligi. Nam quum, qui לֹא מָצְאוּ חָזוֹן מֵיְהוָה, non sit veri nominis נָבִיא, quid tandem obstat, quominus, cum hoc loco dicitur אֵין עוֹד נָבִיא, id ita intelligas, ut si dictum esset גַּם נְבִיאֶינוּ לֹא מָצְאוּ עוֹד חָזוֹן מֵיְהוָה? Fuisse vero vel certe videri potuisse Jeremiam quoque tum temporis vacuum divinis monitis consiliique inopem, id facile colliges ex eo, quod quum urbe a Chaldaeis expugnata Nebusaradan vincula vatis solvisset Ramae, ejusque arbitrio permisisset ire quo vellet, ille tanquam desperans de republica quo se verteret ignoravit, cunctatusque diu tandem Mizpam se recepit non suo judicio sed alieno pulsu motus, Jer. 40, 1 sqq. Verum ne opus est quidem, ut ista verba alio sensu accipias, atque is est, quem primo adspectu offerunt. Postquam enim vinctum Jeremiam cum Judaeis in exsilium agendis ex Hierosolymis deduxissent hostes (vid. ad Jer. 40, 1.), facile potuit, qui has querelas Hierosolymis fudit, ignarus eorum

quae Ramae vati acciderunt, actum esse de illo putare, ideoque,
cum praeter Jeremiam tum non esset propheta, *nullum jam*
10. *superesse prophetam* queri. — *Quousque, o deus, conviciabitur*
adversarius, Insidebit hostis nomen tuum perpetuo? Nonnulli
לָנֶצַח significare volunt *prorsus*. Male. Vid. not. ad Jer. 8, 5.
11. — *Cur retrahis manum tuam et dexteram tuam*, otiosus
spectator es, non repugnas violentiae? *Ex sinu tuo educ eam!*
perde! nisi mavis praegnanter dictum esse: ex *sinu tuo educens*
12. *eam perde!* חוֹק idem quod חֵיק tanquam a rad. חוק. — *Et*
tamen (2, 6.) *deus est rex meus a prisco inde tempore, Creans*
13. *salutaria*, multiplicem salutem *in media hac terra.* — *Tu dif-*
fidisti potentia tua mare, rubrum puta, *Confregisti capita*
belluarum in aquis, Aegyptiorum intellige, coll. Ezech. 29, 3.
14. — *Tu contudisti capita crocodili*, Aegyptiorum, ut antea, *De-*
disti eum, crocodilum, Aegyptios, eorum cadavera, *in cibum*
populo desertincolarum i. e. bestiarum per deserta vagantium
agmini. עַם de animalibus, ut Prov. 30, 25 sq. De לְצִיִּים עָם
15. vid. G. gr. min. § 112. — *Tu fidisti*, aperuisti *fontem et tor-*
rentem, quibus quae Exod. 17, 6. Num. 20, 8. narrantur intel-
ligit, *Tu exsiccasti fluvios perennes*, perpetuo fluentes, qui
non ut torrentes exsiccantur aestu; quae de transitu per Jor-
16. danem dicta esse manifestum. — *Tibi*, tuum opus est *dies, et*
tibi nox; Tu parasti lumina et solem. מָאוֹר collective posi-
tum videtur. Sic etiam alibi duo Nomina copulantur, quorum
prius genus designat, alterum speciem; cf. ad 18, 1. Alii tamen
17. מָאוֹר *lunam* esse volunt; cf. Gen. 1, 16. — *Tu constituisti*
omnes terminos terrae, ad quae verba cf. Job. 38, 8 sqq., *Ae-*
18. *statem et hiemem tu fecisti ea.* — *Memor sis hujus: hostis*
conviciatur Jovae, Et populus vesanus, impius, cf. ad 14, 1.,
irridet nomen tuum i. e. memor sis, quemadmodum convicietur
cet.! nam זֹאת referendum ad ea est, quae subjiciuntur. יְהוָה
Vocativum esse, ex antecedente Imperativo et sequente נֵאֲצוּ non
19. efficitur. — *Ne tradas agmini impetuoso turturem tuum!*
Agminis afflictorum tuorum ne obliviscaris in perpetuum! De
חַיַּת *agmine*, utroque in loco, vide quae adnotavimus ad 68, 11.
נֶפֶשׁ intelligendum eo modo quo 17, 9. 27, 12. 41, 3. Jes. 56, 11.
Prov. 28, 2. *Turturis* blando nomine populum Israeliticum de-
notari, Jovae prae ceteris gratum, nunc afflictum et timidum,
docet hemistichium posterius. Alii תּוֹרֶךָ prioris membri formam

absolutam habentes positam pro חַיַּת (G. gr. min. §. 79. E. gr.
min. §. 365.): *Ne tradas turbae* (alii: *bestiae*) *animam turturis*
tui! Vitam afflictorum tuorum cet. Verum quae in posteriore
membro est forma constructa, in priore vix poterit haberi ab-
soluta; item eadem utroque loco voci subjicienda significatio
videtur. — *Respice foedus*, initum cum majoribus nostris! 20.
Nam plena sunt latibula terrae habitaculis violentiae, ad quae
cf. simillima 10, 8 sqq. — *Ne revertatur*, discedat a te *miser* 21.
contumelia affectus, spe frustratus, non exauditus! *Afflictus et*
pauper laudent nomen tuum, erepti ex miseriis! — *Surge*, 22.
o deus, age causam tuam; Recordare ignominiae tuae a ve-
sano quotidie i. e. ignominiae tibi ab impio hoste quotidie illa-
tae! מִנִּי de auctore, ut 9, 14. in verbis עָנְיִי מִשֹּׂנְאָי. נָבָל ut
vs. 18. — *Ne obliviscare clamoris adversariorum tuorum*. *Tu-* 23.
multus inimicorum tuorum adscendentis continuo! cf. vs. 4. De
קָמֶיךָ vid. ad 18, 40.

PS. LXXV. *Praecentori* (4, 1.) canendum ad modos 1.
carminis, cujus initium est *ne perdas* (57, 1. 6, 1.) *carmen*
Asaphi, canticum (30, 1.). Laudatur deus a populo ex calami-
tatibus ab exteris ipsi inflictis emergente. Temporis indicia
prorsus desunt. Strophae quatuor: vs. 2: laudamus te, o Jova,
3—4: qui auxilium nobis promisisti!, 5—9: nolite gloriari,
barbari, mox gravissimo supplicio afficiendi! 10—11: laudibus
efferamus Jovam, suorum vindicem! — *Celebramus te, deus*, 2.
celebramus: Et propinquum est nomen tuum i. e. et in eo est
ut praesentem se exhibeat potentia tua (cf. ad 20, 2.), ita ut
justam causam habeamus te celebrandi; *Enarrant* (impers.) *ad-*
miranda facinora tua. — Uberius jam explicat, quod versu 3.
superiore dixerat קָרוֹב שְׁמֶךָ, idque facit ita, ut loquentem in-
troducat ipsum deum. „*Nam prehendam tempus statutum* i. e.
utar sane tempore, non praetermittam tempus, quo constitui
hostes supplicio afficere, *Ego recte judicabo*. — *Diffluunt*, 4.
diffluent, dissolventur pavore, conspecto me adventante ad judi-
cium, *terra et omnes incolae ejus*; *Ego statuo*, statuam *co-*
lumnas ejus, conquassatas, puta, i. e. perturbatas res ego in or-
dinem adducam. Verba כִּי אֶקַּח מוֹעֵד alii cum LXX sic inter-
pretantur: *ὅταν λάβω καιρόν*. Qui sensus valde languet prae-
gresso קָרוֹב שְׁמֶךָ vs. 2. Postquam enim vates deum in eo esse
dixit, ut praesentem se exhibeat, haud profecto convenit, dicere

deum, si ipsi libuerit uti tempore statuto, justi judicis partes
se executurum esse, sed velle se uti tempore, quo constituerit
supplicium sumere de hostibus, hoc est quod exspectas. Versus
quartus vero etiam in hunc modum accipi potest: *Diffluunt* i. e.
si diffluant, dissolvantur *terra et omnes incolae ejus: Ego
statuo* cet. ut supra, vel: *ego statui columnas ejus* i. e. ego
fundavi, ego sum qui fundavi terram, i. e. qui terram fundavi
idem potero perturbatam eam reducere ad ordinem! Ceterum
5. cf. ad נְמֹגִים אֶרֶץ וגו׳ E. gr. ampl. p. 652. — Quem Jovae ser-
monem vates nunc ad suum usum convertit. Alii haec quoque
Jovae verba esse putant. Sed cf. vs. 7 sq. *Dico* igitur *ad in-
solentes*, hostes insolenter se gerentes: *ne sitis insolentes!
Atque ad improbos*, eosdem illos hostes intellige: *ne efferatis
6. cornu*, ne superbiatis! — *Ne efferatis in altum cornu vestrum,*
Neve *loquamini collo* fastuose erecto *proterva!* Ante תְּדַבְּרוּ
cogitando repete אַל; cf. 9, 19. al. בְצַוָּאר *cum collo* emph. pro
collo fastuose erecto, ut Job. 15, 26. עָתָק Acc. pendens ex
7. תְּדַבְּרוּ. — Arctissime cohaerent qui sequuntur versus duo. *Neque
enim ab ortu* aliquis, *neque ab occasu, Neque a deserto mon-
8. tium* i. e. deserto Arabiae i. e. ab austro, — *Sed deus est ju-
dex; Hunc deprimit, et illum evehit.* מִדְבַּר הָרִים haud dubie
i. q. alias הַמִּדְבָּר, desertum Arabiae, utpote in quo sunt mon-
tana Sinaitica, quorum tria maxime cacumina eminent, unum
Horeb dictum, alterum Sinai κατ᾽ ἐξοχήν, tertium quod montem
St. Catharinae hodie vocant. Quod tres tantum plagas signifi-
cavit vates, ortum, occasum, austrum, id vel nullo consilio vel
ea de causa fecit, quod septentrionem versus nulli tum hostes
erant Hebraeorum. Alii versum 7. cum sexto construentes, quod
artificiosius: (Ne efferatis ... Neve loquamini ...) *Neque ab ortu,
inquam,* sic illi כִּי reddunt, *neque ab occasu, Neque a deserto
montium.* — *Nam deus* cet. Alii pro מִמִּדְבַּר cum pluribus libris
praeter necessitatem מִמִּדְבָּר statum absolutum legunt, redduntque
verba vel sic: *Neque enim ab ortu, neque ab occasu, Neque
a deserto,* ab austro, neque a *montibus*, Libano et Hermone i. e.
a septentrione, — *Sed deus* cet., הָרִים positum judicantes pro
וּמֵהָרִים, quod durius, vel sic: *Neque enim ab ortu, neque ab
occasu, Neque a deserto,* ab austro, venit *elatio,* הָרִים putan-
tes esse Infinitivum (coll. vs. 5. 6, 8.) vim habentem Nominis sub-
9. stantivi. — *Nam poculum est in manu Jovae, Et vino aestuat,*

plenum est mistione i. e. vino aromatibus mixto, *Et effundit*
Jova *ex illo*, poculo, propinat illud, *Profecto faeces ejus* i. e.
usque ad faeces, una cum faecibus, i. e. totum poculum *exsu-
gent, ebibent Omnes improbi terrae.* Subjectum verborum חָמַר
et מָלֵא est כּוֹס, quod utroque cum genere hoc vs. construitur.
יַיִן Accusativus ejus quo aestuat poculum, E. gr. min. §. 513.
Alii יַיִן Subjectum faciunt in hanc sententiam: *Nam poculum
est in manu Jovae, Et vinum*, quod *aestuat*, *plenum mistione.*
Quod quam falsum sit intelligitur ex eo, quod מֶסֶךְ i. q. מִמְסָךְ,
מֶזֶג, non aromata sed ipsum vinum aromatibus conditum signi-
ficat (Prov. 23, 30. al.). De vi imaginis vid. not. ad Jer. 13, 12.
cf. Ps. 60, 5. — *Ego vero nuntiabo perpetuo* rem, sc. te justi 10.
judicis partes exsequi, *Canam deo Jacobi!* — Nunc iterum 11.
ipsa dei verba afferuntur, quibus ille spem, ad quam populum
suum excitavit, confirmat. „*Et omnia cornua improborum suc-
cidam; Efferantur cornua justi*, justorum, Israelitarum!“ cf.
vs. 5.

PS. LXXVI. *Praecentori* (4, 1.) *fidibus* canendum (ibid.) 1.
carmen Asaphi, *canticum* (30, 1.). Celebratur victoria juvante
deo ab hostibus reportata, fortasse eadem illa, quam superiore
Psalmo speraverant; cf. inprimis vs. 9 sqq. cum 75, 3 sqq.
Strophae quatuor: vs. 2—4: magnum est nomen dei potentis-
simi. 5—7: hostes tu delevisti; 8—10: severi judicis partes
egisti. 11—13: tibi solvantur vota, offerantur dona! — *No-* 2.
tus, clarus *in Juda deus* est, *In Israele magnum* est *nomen
ejus.* — *Estque in Schalem*, Hierosolymis *tentorium*, sedes *ejus*, 3.
pro quo tamen haud scio an rectius convertas: *Estque incolume
tentorium*, incolumis sedes *ejus*, *Et habitatio ejus in Sione.*
שָׁלֵם superiores interpretes tantum non omnes Hierosolymorum
alii poeticum, alii antiquius nomen habent, coll. Gen. 14, 18. et
Jos. Ant. 1, 10, 2., ubi *τὴν μέντοι Σόλυμα ὕστερον ἐκάλεσαν
Ἱεροσόλυμα*; cf. etiam Hierosolymorum nomen arab. شَلَمْ et شَلَّمْ.
Quum vero quod Gen. l. l. habetur שָׁלֵם nequaquam necessario
putandum sit nomen urbis Hierosolymitanae, sed convenienter
ad nexum haberi possit pro oppido trans Jordanem eoque in
vicinia Jordanis sito, coll. *σαλείμ* Joh. 3, 23. 10, 40. (*σαλήμ*
Hebr. 7, 1.), in locis vero, in quibus urbis Hierosolymitanae
mentio fit, quique paene innumeri sunt, omnibus illa appelletur

יְרוּשָׁלֵם, יְרוּשָׁלַיִם, aut, quod antiquius nomen fuit, יְבוּס, haud
temere rejicienda est sententia recentioris alicujus interpretis,
quod hoc loco legitur שָׁלֵם cum LXX, Vulg. Aeth. Ar. nomen
appellativum esse judicantis, ita ut בְּשָׁלֵם propr. significet *in
incolumi*. Quod autem idem ille appellativum hoc nomen con-
venientius esse illo proprio putat, in eo fallitur, quum proprium
ad parallelismum sit aptius, atque ad ea quae subjiciuntur certe
4. aeque conveniat quam alterum; cf. ad שָׁמָּה vs. 4. — *Ibi con-
fregit fulmina arcus*, i. e. sagittas, *Clypeum et gladium et
bellum*. שָׁמָּה *ibi* i. e. in Sione, Hierosolymis. Ad ipsa enim
Hierosolyma, non ut alii volunt, ad remotiorem aliquem pugnae
locum referendum esse שָׁמָּה, docet nexus (vs. 1. 2.). Ex quo
tamen haudquaquam efficitur, in ipsa urbe Hierosolymitana, ante
ipsas portas urbis ab hostibus pugnatum, hostes a Jova devictos
esse. Verum potest percommode sic quoque accipi hic locus, ut
Jova ex sede sua potentiam suam exseruisse, inde hostes dele-
visse, inde populum suum defendisse dicatur, prorsus ut 68, 30.
36. 110, 2. al. Ex quo sequitur, ab hac parte nullam imponi
necessitatem habendi quod vs. 3. legitur שָׁלֵם pro Nomine ap-
pellativo. רְשָׁפִים *fulmina* 78, 48., רִשְׁפֵי קָשֶׁת *fulmina arcus*,
poet. *sagittae*. מִלְחָמָה non est opus ut de *instrumentis bellicis*
dictum putes. Cogitandum est de facto per Jovam belli fine;
5. cf. simillimus locus 46, 10. — *Splendidior tu es*, *Magnificen-
tior montibus praedae* i. e. quam hostium arces praedatoriae.
Sionem (vs. 3.), non Jovam alloqui videtur vates. Non enim
convenit, *montibus* comparari *Jovam*; optime vero convenit,
montibus comparari *montem*. Dolendum vero est, quod, quo-
minus ad Sionem verba directa esse credas, obstare videntur
vs. 4. 7. 8 sq. Itaque alii: *Splendidus tu* es (o Jova), *magni-
ficus* regrediens (praeda onustus) *ex montibus praedae*. Quae
ratio praeter grammaticam duritiem hoc habet incommodi, quod
qui modo *in s. ex Sione* hostes devicisse dictus est (vs. 4.),
minus apte nunc dicitur *redire ex bello*. Aptior ad vs. 4. eorum
interpretatio, qui הַרְרֵי טָרֶף de *Sioniis montibus* intelligunt,
ex quibus praedam fecerit Jova. Durius tamen hoc quoque
mihi videtur. Quare quum nulla harum interpretandi rationum
prorsus satisfaciat, vide, an non verba מֵהַרְרֵי טָרֶף trahenda
sint ad vs. 6. in hanc maxime aptam sententiam: *Splendidus tu
es*, *magnificus* (cf. vs. 2. et inprimis vs. 8: אַתָּה נוֹרָא אַתָּה)!

Ex montibus praedae, ex arcibus suis praedatoriis *extracti sunt* cet., nam שָׁלַל propr. significat *trahere*, *extrahere*, Ruth. 2, 16.
— Ex montibus praedae, ex arcibus suis praedatoriis *extracti* 6.
sunt (vid. ad vs. 5.) *heroes animosi*, *Dormiverunt somnum suum*, soporem aeternum, ut 13, 4., *Nec invenerunt omnes viri fortes manus suas*, nemo eorum scivit uti viribus suis, prae terrore, puta. Ab אֶשְׁתּוֹלְלוּ si incipitur versus, illud *spoliati sunt* vertes; cf. Jes. 59, 15. De אֶשְׁתּוֹלֵל forma vid. G. gr. min.
§. 53. E. gr. min. §. 238. — *Ab increpatione tua* i. e. quod 7.
tu increpasti eos, *deus Jacobi*, *Graviter dormit*, gravi sopore, torpore oppressus jacet *et currus et equus*, obmutuit jam curruum equorumque strepitus fremitusque. מִן de causa efficiente. Aptum tamen et *propter*. נִרְדָּם recentiorum aliquis esse vult 1. plur. Fut. a rad. רָדָה cum Suff. (cf. נִינָם 74, 8.), ut hic prodeat posterioris hemistichii sensus: *Subegimus eos*, *et currum et equum*. Sed infirmiores mihi videntur quibus vir doctissimus superiorem explicationem impugnavit rationes. Primum enim nihil video miri in imagine, qua currus et equi bellici gravi sopore oppressi et quasi sepulti sistuntur, siquidem vati ad manum erat ea imago (cf. vs. 6.), neque aliquid aliud nisi quod supra expressimus illa exprimitur. Deinde quod negat וְ geminatum postponi posse, in eo errat; cf. Dan. 8, 13: תֵּת וְקֹדֶשׁ וְצָבָא מִרְמָס *dare et sacrarium et exercitum conculcandum*, al. Denique non perspicio, quid sibi velit, si nostram rationem sequaris, praeter necessitatem נִרְדָּם pro נִרְדַּם positum esse dicens. Participium enim, statum, non actionem, exprimens cur alienum sit ab hoc loco, plane non intelligitur. — *Tu, terribilis tu es!* 8.
Et quis stabit, constabit *coram te*, *ex quo* fuerit *ira tua?* quis te sustinere poterit, cum exarserit ira tua? — *Ex coelis* 9.
promulgasti sententiam; Terra tremuit et quieta fuit, — *Cum* 10.
surgeret ad judicium exercendum *deus*, *Ut opem ferret omnibus afflictis terrae*. — *Sane ira hominis laudat te* i. e. nascitur 11.
tibi laus ex hostium furore a te domato; *Reliquiis irae cingis te* i. e. qui reliqui sunt ex hostibus, a quibus in te saevitum est, eos tu tibi circumdas potentiam tuam agnoscentes atque celebrantes. Nonnulli חֵמֹת pro *ira dei* habentes, *reliquiis irae* vero *extremam iram* significari judicantes, item posterius hemistichium prioris conditionem continere censentes locum sic expediendum putarunt: *Sane ira hominis laudat te*, Si *reliquiis*

irae cingis te, extrema tua ira instruis te. A quibus alii non-nisi in eo discedunt, quod תַּחְגֹּר Jussivum habent in hanc sententiam: ... *Reliquiis irae cingas te*, extrema tua ira instrue te! Verum non convenit, dici vel juberi deum potentissimum ad domandum hostium furorem instruere se extrema sua ira. Gravissimum vero, quod illi interpretationi obstat, hoc est, quod, cum חֵמֹת prioris hemistichii sit חֲמַת אָדָם *ira hominum* (hostium), quod in posteriore hemistichio legitur שְׁאֵרִית חֵמֹת et ipsum debet ad *hominum* (hostium) *iram* referri. Quod cum sensissent alii, pro תַּחְגֹּר legerunt תְּחָגֶּךָּ *agendis diebus festis celebrabit te*, secuti LXX et Vulg. qui ἑορτάσει σοι, et: *diem festum agent tibi*. Qua conjectura minime erit opus, si verba recepta eo quo supra fecimus modo explicueris. Nam cum in priore hemistichio ex domato hostium furore laudes nasci Jovae dicantur, quid potest in posteriore dici aptius, quam hostes pugnae cum Jova pugnatae superstites a Jova sibi circumdari ipsius agnoscentes laudibusque efferentes potentiam? Quod ipsum
12. etiam ad ea quae subjiciuntur egregie convenit. — *Vota facite et solvite Jovae, deo vestro! Omnes qui sunt circa eum*, vicini Israelitarum populi *offerant munera terribili!* Quos priore membro alloquitur esse populos exteros, praeter nexum ostendit membrum posterius. מוֹרָא de Objecto timoris, ut saepius; cf.
13. etiam יִבְצֹר. — *Abscindit spiritum*, superbiam *principum*, *Terribilis regibus terrae*. In בָּצַר non est quod haereas, quandoquidem qui *magnos* sibi spiritus sumunt, *elatius* se gerunt, recte dicuntur abscindi.

1. PS. LXXVII. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* instrumenti *Jedithûn* (39, 1.) dicti (6, 1.) *Asaphi carmen*. E recentioribus esse hunc Psalmum, primo oculorum obtutu intelliges ex argumento. Totius populi nomine loqui vatem, versu 7. non efficitur. Sunt qui quae vs. 17 sqq. leguntur carmen antiquius habeant, quod suo vates subjunxerit. Quod non crediderim. Sic enim exspatiari amant poetae, praesertim cum tempora praeterita cum desiderio revocant. Strophae sex: vs. 2—4: Jovae opem implorc animo graviter afflictus. 5—7: quam longe alia fuere pristina tempora! 8—10: an nullus miseriae finis? 11—13: imo qui majoribus ope sua adfuit, aderit nobis quoque! 14—16: quam admirando modo potentiam suam exseruit in educendo populo ex Aegypto! 17—21:

elegans descriptio transitus per mare rubrum. — *Vox mea ad* 2.
deum sit directa, et clamem! Vox mea ad deum! et auscultet
me! וְהַאֲזִין Praet. rel. E. gr. ampl. p. 442. min. §. 299. —
Die, tempore *calamitatis meae dominum quaero*, ejus opem im- 3.
plore; *Manus mea noctu effusa*, expansa *est*, *nec torpet*, fati-
gatur; *Recusat se consolari anima mea.* Qui volunt ad prae-
teritum tempus referre, quae hoc versu continentur, videant,
quomodo concilient ea praecedentibus et sequentibus Cohortativis.
— *Reminiscar deum, et ingemiscam* (cf. 42, 5.)! *Meditari* 4.
cupio, et languet spiritus meus, sed viribus deficit spiritus meus;
cf. vs. 5. — *Prehensas tenes*, ne claudantur in somnum, *pal-* 5.
pebras oculorum meorum; Perturbatus sum, nec possum loqui.
— *Reputo dies pristini temporis, Annos antiquitatis.* — *Re-* 6. 7.
miniscar cantum meum noctu, Cum corde meo, in animo meo
volo meditari, *Et scrutetur spiritus meus*, mens mea! Errant
sine dubio, qui primo membro velle se ad harpam suam confu-
gere vatem dicere putant. Postulat nexus, ut vates ad repeten-
dam memoriam se excitet carminum, quibus *olim* divina beneficia
celebraverit. — *Num perpetuo rejiciet dominus, Nec benevolum* 8.
se exhibebit amplius? — *Num cessavit in sempiternum* (non: 9.
prorsus, vid. ad Jer. 8, 5.) *gratia ejus*, *Desiit verbum*, ob-
mutuere promissa *in omnes aetates?* — *Num oblitus est mise-* 10.
reri deus? An praeclusit in ira, iratus *misericordiam suam?*
De חַנּוֹת Inf. a חָנַן vid. ad 17, 3. — *Et dico: quod aegrum* 11.
me facit hoc est, haec est mea calamitas: *Quod se mutavit*,
non amplius ut olim parata est ad juvandum *dextera altissimi.*
חַלּוֹתִי propr. *facere aegrum meum* i. e. id quod me aegrum
facit. Aegritudo calamitatis imago; cf. inprimis Jer. 10, 19.
Jes. 53, 10. שְׁנוֹת יְמִין עֶלְיוֹן propr. *mutari*, mutatio *dexterae*
i. e. quod se mutavit dextera altissimi. שָׁנָה *mutari* in deterius,
ut Thren. 4, 1., in fide: Prov. 24, 21. Mal. 3, 6., quo posteriore
loco in contrarium haec leguntur haud nihil lucis accendentia
huic quem tractamus loco: *ego, Jova, non mutor; ideoque vos,*
filii Jacobi, non periistis. Alii: *malum meum hoc est*, hoc
mihi inflictum ferendumque malum est; *Mutatio est dexterae*
altissimi, dei est, apud deum est, mutare res meas in melius.
Quae interpretatio multo durior est, praesertim in modo struendi
hemistichium posterius. Alii: *malum meum hoc est: Anni dex-*
terae altissimi, quibus annis significari volunt annos poenae,

annos calamitosos a deo missos, quod, quum *anni dexterae Jovae* nonnisi annos divinitus missos significent, precario sibi sumunt. Praeterea languidus est qui ex hac explicatione prodit sensus. E contrario nostra interpretatio et facilis est et sensum praebens convenientem quum ad ipsum hunc locum, tum ad totius carminis argumentum, in quo hoc potissimum agit vates, ut Jovam *mutasse se*, non qualem majoribus, talem posteris se
12. exhibuisse queratur. — Incipit tandem erigere se memoriam revocans pristinorum dei operum. *Celebrabo facinora Jovae*, *Nam reminiscar antiquitus factorum a te mirabiliter.* Plane absonum est quod Masorethae pro אַזְכִּיר legi volunt אֶזְכֹּר. Ratio
13. in promtu. — *Et cogitabo omnia opera tua*, *Et facinora tua*
14. *meditabor.* — *O deus*, *sancta*, justa est *via tua*, tua agendi ratio; *Quis deus magnus est sicut deus*, verus quem nos co-
15. limus deus? De בַּקֹּדֶשׁ דַּרְכֶּךָ vid. not. ad 29, 4. — *Tu es ille deus*, *qui facit mirabilia*, *Notam fecisti inter populos poten-*
16. *tiam tuam.* — *Redemisti brachio robusto populum tuum*, *Filios Jacobi et Josephi.* Josephum quoque nominat, quia is fuit post Jacobum celeberrimus gentis Israeliticae auctor. De Juda et regno δεκαφύλῳ quominus cogitari statuam, me impedit nexus.
17. — *Viderunt te aquae*, mare rubrum, *deus*, *Viderunt te aquae*,
18. *tremuerunt*, *Ac trepidarunt fluctus*; cf. 114, 3. 5. — Ad Exod. 14, 24 sq., ubi nulla tempestas describitur, referenda quae vs. 18. et 19. leguntur non sunt. Apparet deus comitante tempestate ut 18, 8 sqq. 50, 3. 114, 4. al. *Effuderunt aquas caligines*, *Vocem*, tonitrua *ediderunt nubes*, *Et sagittae tuae*,
19. fulmina tua *discurrerunt*; cf. 18, 15. Hab. 3, 11. — *Vox tonitru tui* fuit *in turbine* i. e. fuit rotans se, volutans se (cf. בַּלַּךְ *vehemens* al.), rotata, volutata sunt tonitrua tua, *Illustrarunt fulgura orbem*, *Trepidavit et contremuit terra.* De
20. בַּגַּלְגַּל vid. quae disputavimus ad Ezech. 10, 13. — *Per mare fuit*, duxit *via tua*, *Et semitae tuae per aquas magnas*, *Et vestigia tua non sunt animadversa.* Postrema verba „nonnulli referunt ad aquas maris post transitum Israelitarum statim relapsas, ut nullum transitus vestigium relictum esset, Aegyptiique undis obruti submersique. Nos simpliciter invium iter intelligendum arbitramur, quod sine ductu dei nemo possit ire aut sequi, ideoque et Aegyptii perierunt.“ Ros. Nihil aliud nisi admirabilis per *aquas* transitus describitur illis verbis, quando-

quidem qui aquas transit, nulla transitus relinquit vestigia; cf.
ὑγρὰ κέλευθα Od. 3, 71. al. De עִקְּבוֹת cf. ad 37, 15. — *Du-* 21.
xisti ut gregem populum tuum Per Mosen et Aaronem. Quod
in media descriptione admirabilis istius exitus ex Aegypto ab-
rumpitur carmen, nulla amplius ad id quod praecipuum Psalmo
continetur facta accommodatione, id nonnullis suspicionem movit,
imperfectum esse Psalmum. Sed vere monuerunt sanioris judicii
interpretes, elegantem esse talem conclusionem et maxime pro-
priam poetis.

PS. LXXVIII. *Carmen* (14, 1.) *Asaphi.* Scriptum esse 1.
post orta inter decem tribus et Judam dissidia, facile intelligitur
ex vs. 67. et 68. Sed accuratiora insuper apparent indicia tem-
poris, quo editus sit Psalmus. Nam quod nusquam supra pro-
sam orationem surgit longissimum carmen, documento est, re-
ferendum esse ad Psalmos post exsilium Babylonicum factos.
Quod idem colligimus ex eo, quod incuriosus historiae totius
populi culpam fere in solos Ephraimitas transfert scriptor, ut-
pote quod fecisse videatur acerbissimo quod post exsilium Judaei
in Samaritanos habebant odio permotus. In persequendo quod
sibi proposuit argumento parum sibi constat scriptor. Propo-
situm ipsi est, ostendere, Israelitas, praesertim Ephraimitas, ex
quo terram Cananaeam occuparint, iterum atque iterum cum
gravissimo suo detrimento a Jova defecisse, immemores bene-
ficiorum in ipsos et majores divinitus collatorum. Sed vixdum
mentionem fecit beneficiorum, quibus Jova ornaverit majores
(vs 12.), quum in antiquissimum illud aevum exspatiatur, et
quemadmodum se gesserint majores, quaeque ipsis acciderint inde
ab exitu ex Aegypto usque ad occupationem terrae Cananaeae
lata oratione perscribit (13—55.), ita ut a vs. 56. demum
redeat ad propositum. Strophae quindecim: vs. 1—4: exor-
dium. 5—8: Jova nobis leges dixit sancte colendas; 9—12:
eas tamen Ephraimitae neglexere, immemores amplissimarum re-
rum, majorum causa gestarum a Jova. 13—16: traduxit ille
majores trans mare rubrum, aperuit iis in deserto viam, aperuit
fontes; 17—20: repugnantibus postulantibusque panem et car-
nem 21—25: mannam dedit, 26—31: et coturnices, optatis
eorum satisfaciens ita, ut simul eos castigaret; 32—37: tamen
illi nunquam non fuerunt parati ad defectionem, 38—43: ab-
utentes patientia dei, obliti magnorum facinorum factorum ab illo

44—49: tam in Aegypto, 50—55: quam in deserto atque
ipsa quam illis possidendam dedit terra Cananaea. 56—59:
horum ad exemplum Israelitae Jovam reliquerunt; 60—64:
hinc ille tabernaculum sacrum Silunte collocatum populumque
suum hostium permisit arbitrio; 65—68: tum vero hostes ille
repressit quidem, sed spreta Ephraimitarum terra Judam sibi
delegit sedem, 69—72: et regem constituit Davidem. — *Au-
scultta, mi popule, doctrinam meam, Inclinate aurem vestram*
2. *ad verba oris mei!* — *Aperiam cum carmine*, fundens carmen,
os meum, Proferam sententias ex prisco tempore, dicta ex
3. prisco tempore repetita! — *Quae audivimus et cognovimus, Et*
4. *patres nostri narrarunt nobis,* — *Non celabimus filios eorum,*
Aetati posterae narrantes laudes Jovae, facta ejus laudibus
digna, *Et potentiam ejus et mirabilia ejus*, mirabiliter facta,
quae fecit! Versus tertius construendus videtur cum quarto;
־ֵם neutraliter positum. Alii cum secundo versu tertium copu-
5. lant, ita ut ־ֵם — אֲשֶׁר referant ad מָשָׁל et חִידוֹת. — *Et con-
stituit praecepta in Jacobo, Et leges posuit in Israele, Quae*
6. *jussit patres nostros Nota facere filiis suis,* — *Ut cognosce-
ret ea aetas postera, Filii qui nascendi essent,* Ut *surgerent,
et narrarent* illa *filiis suis.* יִוָּלֵדוּ relative accipiendum. Quod
sequitur יָקֻמוּ pendet ex לְמַעַן. קוּם vero hic non, ut pluribus
visum est, significat *crescere, adolescere*, qui significatus non
potest firmari locis Exod. 1, 8. Jud. 2, 10., sed nil nisi *sur-
gere*, quod verbum constat in latiore quo hic scriptor usus est
scribendi genere haud raro praemitti verbis adgrediendi aliquid.
7. — *Et ponerent in deo spem suam, Nec obliviscerentur faci-*
8. *norum dei, Et praecepta ejus observarent,* — *Neque essent
ut*, quales fuissent *patres ipsorum*, in deserto arabico pita,
Genus refractarium et contumax, Genus quod *non firmasset
cor suum*, cujus inconstans fuisset mens, *Et cujus animus non*
fuisset *fidus cum deo*, erga deum. Membrum tertium nonnulli
sic explicant: *genus* quod *non applicuisset animum suum* s. ad
deum, coll. Job. 11, 13., cujus loci tamen alia ratio est, quando-
quidem quod ibi in posteriore hemistichio est אֶת־אֵל etiam per-
tinet ad prius. Conferatur potius Psalmi quem tractamus ver-
9. sus 37. — *Filii Ephraimi* fuere *armati sagittariorum* i. e.
e genere sagittariorum, i. e. fuere tam incerti, infidi, fallaces,
ut solent esse sagittarii, qui, cum pugnatur, fugam simulant,

ut hostem eo certius feriant, *Verterunt terga die proelii*, in quibus verbis idem qui prioris hemistichii verbis sensus inest. Verba נוֹשְׁקֵי רוֹמֵי קֶשֶׁת minus accurate conversa ab interpretibus propr. sunt *armati* (2 Chron. 17, 17.) *jaculantium arcu* i. e. sagittariorum i. e. ex sagittariis, e genere sagittariorum. Efficiunt illa Praedicatum, omissa copula. Possint tamen etiam sensu haud diverso appositione cohaerere cum בְּנֵי אֶפְרַיִם in hanc sententiam: *Filii Ephraimi, armati sagittariorum, Verterunt* terga cet. הָפַךְ *vertere* terga, ut Jud. 20, 39. 41. G. gr. ampl. p. 851. Nonnulli posterius membrum relative acceptum construunt cum ב' ר' ק', ut haec prodeat sententia: *Filii Ephraimi* fuerunt *armati sagittariorum*, Qui (sagittarii) *vertunt* terga cet. Praestat tamen referri illud ad בְּנֵי אֶפְרַיִם, qui quemadmodum in priore membro *esse* dicuntur, quibus comparantur, sagittarii, sic posteriore in hemistichio rectissime eadem figura *facere* dicuntur, quod facere solent sagittarii. Esse vero eum, quem supra subjecimus, subjiciendum sensum sub his verbis, id est, esse trop. intelligenda illa de Ephraimitarum fallacia ac defectione a deo, hoc docet inprimis vs. 57., docent quae proxime subjiciuntur, docet totius Psalmi argumentum, a quo nihil potest esse alienius, quam cogitare h. l. de aliqua Ephraimitis illata clade. Nec magis mihi probatur sententia eorum, qui versum improprie quidem intelligunt, sed verbis נוֹשְׁקֵי רוֹמֵי קֶשֶׁת nonnisi Ephraimitarum robur ac potentiam describi putant, ea enim coacta est interpretatio et sensum incommodum fundens. — *Non observarunt* 10.
foedus dei, Et in lege ejus recusarunt ambulare, noluerunt
convenienter vivere ejus legi, cf. ad 1, 1. — *Et obliti sunt* 11.
facinorum ejus, Et mirabilium ejus, mirabiliter factorum, *quae*
ostenderat eis. — *Coram patribus eorum fecit mira, In terra* 12.
Aegypti, in agro Zoan, regiae Pharaonum sedis, cf. ad Jes.
19, 11. — *Fidit mare, et traduxit eos, Et stare facit aquas*, 13.
ut acervum, cf. Exod. 15, 8. coll. not. ad Ps. 33, 7. — *Et* 14.
duxit eos nube interdiu, Et per totam noctem luce ignis. —
Diffidit rupes in deserto, Et bibendam dedit, bibendam dedit 15.
aquam *instar fluctuum copiose*, largam aquarum copiam ac tantam, quanta est fluctuum; cf. vs. 16. h. רַבָּה adverbialiter est positum, ut 62, 3. Facile igitur carebis interpretum artificiis
hoc loco. — *Et exire jussit fluenta*, rivos *ex petra, Et de-* 16.
scendere, defluere *fecit ut fluvios aquas*. — *Et perrexerunt* 17.

peccare in eum, *Contumaces esse in altissimum in terra arida*,
deserta. Cur recentiorum interpretum aliquis לַמְרוֹת positum
pro לְהַמְרוֹת non velit ad מָרָה, quod praeter hunc locum et
versus 40. 56. saepius cum Accusativo constructum reperitur,
18. verum ad מָרַר referre, causam video nullam. — *Et tentarunt*
deum in corde, animo *suo*, *Petentes cibum pro appetitu suo*.
19. — *Et locuti sunt in*, contra *deum*, *dixerunt*: „*Num poterit*
20. *deus instruere mensam in deserto?* — *En*, *percussit rupem*,
Et fluxerunt aquae, *et rivi se effuderunt*: *Num etiam panem*
21. *poterit dare? An parabit carnem populo suo?*" — *Hinc au-*
divit id *Jova et effudit se* in iram, ira incensus est, i. e. quare,
quum Jova illud audivisset, ira incensus est, *Et ignis se ac-*
cendit in Jacobo, quibus verbis respiciuntur quae narrata sunt
Num. 11, 1., *Atque ira*, dei puta, *adscendit*, exaestuavit (cf.
2 Sam. 11, 21.) *in Israele*. Ad structuram membri primi cf.
Jes. 5, 4: *quare expectavi uvas et protulit labruscas?* i. e.
quare, quum expectassem uvas, protulit labruscas? item ibid.
50, 2: *quare veni et nemo adfuit? clamavi et nemo respondit?*
pro: quare, quum venissem, nemo adfuit? quum clamassem, nemo
22. respondit? — *Non enim fidem habuere deo*, *Neque fiduciam*
23. *collocarunt in auxilio ejus*. — *Et mandata dedit nubibus de-*
24. *super*, *Et fores coeli aperuit*, — *Et pluere fecit in eos man-*
nam ad edendum, *Et frumentum coeli* (105, 40. vocatur *panis*
25. *coelestis*) *dedit eis*. — *Panem nobilium* i. e. panem exquisitum,
delicatiorem, nisi mavis coll. Sap. 16, 20. intelligere *panem an-*
gelorum, *comedit quisque*, *Cibum misit eis usque ad satieta-*
tem. אַבִּיר *fortis*, *validus*, hinc *potens*, *nobilis*, *princeps* Job.
24, 22. 34, 20., לֶחֶם אַבִּירִים *panis nobilium*, *s. principum*, panis
exquisitior, delicatior, ut סֵפֶל אַדִּירִים *patera principum*, pre-
tiosa. „אַבִּירִים non, quod veteribus placuit, de *angelis* intelli-
gendum, quamquam et hoc ferri possit in poetico dicendi genere,
sed de viris illustribus praepotentibusque, qui, cum exquisitiore,
quam alii, cibo uti soleant, לֶחֶם אַבִּירִים dicitur pro cibo eximio
et plane honorifico, ut sensus sit: cibum minime vulgarem ita
communem factum esse, ut omnes omnium ordinum homines
eodem sint potiti." Schnurrer. Negari tamen non potest, bene
convenire angelos in eam aetatem, qua probabile est Psalmum
compositum esse, cf. vs. 49., possitque ad אַבִּירִים de angelis
intelligendum conferri quod 103, 20. de iisdem dictum est גִּבֹּרֵי

לָךְ. Observa tamen, non eandem utriusque loci rationem esse.
In loco enim quem laudavimus disertis verbis memorantur angeli;
in loco quem prae manibus habemus non item. In quo qui de
angelis intelligere volunt אַבִּירִים, hanc suam interpretationem
eo tantum aliquantulum firmare posse videntur, quod quae hoc
loco לֶחֶם אַבִּירִים dicitur manna, superiore versu dicta est דְּגַן
שָׁמַיִם *frumentum coeli*. Nonnemo אַבִּירִים Pluralem abstractum
esse vult, ut לֶחֶם אַבִּירִים sit *cibus potentiae* i. e. ingens copia
cibi, coll. לָשֹׂבַע. אִישׁ non *homo* mortalis hic est, sed *quisque*;
cf. Exod. 16, 16. — *Exoriri fecit*, excitavit *ventum orientalem* 26.
in coelo, *Et adduxit potentia sua ventum australem*. Quod
diversos ventos evocat vates, causa est parallelismi studium. —
Et pluere fecit in eos instar pulveris carnem, *Et instar are-* 27.
nae maris aves alatas; cf. Exod. 16, 13. Num. 11, 31. — *Et* 28.
cadere fecit in media castra ejus, populi Israelitici (vs. 21.),
non Jovae, ut recentiorum aliquis putavit, *Circa habitationes*,
tentoria *ejus*. — *Et ederunt et satiati sunt valde*, *Et desi-* 29.
derium eorum, rem desideratam (cf. 21, 3.) *attulit eis*, desiderio
eorum satisfecit. Pro יָבִא nonnulli legi volunt יָבֹא, quod ab-
surdum sit, satisfacere deum desiderio, quod postea puniat (vs.
29 sqq.). Quasi vero non sit praesentissima et maxime efficax
ea pravae cupiditatis poena, ut eo ipso, quod cupivit, puniatur
aliquis! Nec firmius aliud quod afferunt argumentum est inde
repetitum, quod prioris hemistichii Subjectum non Jova sed
Israelitae efficiant. Nihil enim, ut hoc ad nauseam usque repe-
tam, frequentius apud hos scriptores, quam subita personarum
mutatio. — *Nondum recesserant a desiderio suo*, nondum de- 30.
siverant inhaerere rei tam desideratae, *Adhuc cibus eorum in*
ore eorum erat: — *Et ira dei adscendit*, quum ira dei ex- 31.
aestuavit *inter eos* (cf. vs. 21.), *Et caedem fecit inter viros*
robustos eorum (cf. Jes. 10, 16.), *Et juvenes Israelis prostra-*
vit. — *His non obstantibus peccarunt amplius*, *Neque fidem* 32.
habuere mirabilibus ejus, mirabiliter factis. — *Et evanescere* 33.
fecit ut halitu dies eorum, *Atque annos eorum exitio repen-*
tino. De priore hemistichio vide quae observavimus ad 37, 20.
— *Quum interfecit eos*, *quaesiverunt*, curarunt *eum*, *Et re-* 34.
versi sunt et vestigarunt, sectati sunt *eum*, — *Et in memo-* 35.
riam revocarunt, reputarunt *deum esse rupem suam*, *Et deum*
altissimum vindicem suum. — *Et deceperunt eum ore suo*, *Et* 36.

37. *lingua sua mentiti sunt ei*, eum fefellerunt. — *Et cor* (animus) *eorum non fuit firmum cum eo*, constanter addictum deo, *Nec fidi fuerunt in foedere ejus*, neque in fide manserunt foederis
38. ejus. — Quae nunc dicuntur tanquam generatim dicta nonnulli in Praesenti reddi voluerunt. Obstat tamen totius Psalmi indoles. *Ipse vero, misericors, condonavit culpam, nec perdidit eos*, *Et multoties reduxit*, sedavit *iram suam*, *Nec concitavit*
39. *omnem aestum suum*. — *Et in memoriam revocavit*, reputavit, *carnem*, mortales *esse illos*, *Halitum, qui abeat nec revertatur*.
40. — *Quoties contumaces fuerunt in eum in deserto*, *Dolore*
41. *affecerunt eum in solitudine*, — *Ac denuo tentarunt deum*, *Et sanctum Israelis* (71, 22. 22, 4.) *dolere fecerunt*, afflixerunt!
42. — *Non recordati sunt manus ejus*, facinorum ab eo factorum,
43. *Diei, ubi liberavit eos ab adversario*, — *Ubi fecit in Aegypto signa sua*, mirifica facinora, potentiae suae signa, *Et miracula*
44. *sua in agro Zoan* (vs. 12.). — *Et convertit in sanguinem fluvios eorum*, *Et fluenta*, flumina *sua non potuerunt bibere*.
45. De יִשְׁתָּיוּן vid. ad 36, 8. — *Misit in eos muscam caninam, et absumsit eos*, *Et ranam, et perdidit eos*. De etymo voc. עָרֹב
46. vid. ad 55, 18. — *Et dedit insecto voraci proventum eorum*, *Et laborem eorum*, res agro colendo partas, fruges *locustae*. —
47. *Interfecit grandine vitem eorum*, *Et sycomoros eorum formicis*. חֲנָמַל idem videtur esse quod נְמָלָה, arab. نَمْلٌ formicae, نَمْلَة formica, praeposita ח litera; cf. G. gr. ampl. p. 863. —
48. *Et tradidit grandini pecus eorum*, *Et greges eorum fulmini-*
49. *bus*. — *Misit in eos*, immisit iis *ardorem irae suae*, *Furorem et saevitiam et angustias*, *Missionem*, agmen, turmam *angelorum malorum*. רָעִים Subst. *mala*. In recentioribus Hebraeorum scriptis deus, ubi calamitates immittit hominibus, angelorum
50. utitur ministerio, 2 Sam. 24, 16. 1 Chron. 22, 15. — *Complanavit viam irae suae*, non coercuit iram suam, evomuit eam, *Non retinuit a morte*, non denegavit morti *animam eorum*, *Et*
51. *vitam eorum pesti tradidit*. — *Et percussit omne primigenitum in Aegypto*, *Primitias virium in tentoriis Chami*. רֵאשִׁית אוֹנִים poet. i. q. בְּכוֹר, cf. Gen. 49, 3. Deut. 21, 17. Ps. 105, 36. De חָם nomine Aegypti poetico, sumto ex ipsa Aegyptiorum lingua
52. vid. Gesenius. — *Et proficisci fecit ut oves populum suum*, *Et duxit eos ut gregem in deserto*. Verbi נָהַג, a quo est עֵדֶר

grex, significatio primaria quaerenda videtur non in *serendo*,
aut *deserendo*, ut qui significatus denominativi esse videantur
ab עֵדֶר, cf. غدر, verum in *circumsepiendo*, coll. vicina radice
גָּדֵר, ut גָּדֵר primum significet *crates*, deinde quae illis conti-
nentur *oves*, *gregem*. — *Et duxit eos tuto, nec paverunt*, *Et* 53.
hostes eorum operuit mare. — *Et perduxit eos ad fines suos* 54.
sanctos, Ad *montem hunc*, quem *adquisivit dextera sua*. „Du-
bium, utrum הַר terram Cananaeam, a montibus mediam eam
pervadentibus *montanam* dictam, an montem eumque primarium,
Zionem, significet. Nos tamen illud malumus, quod, cum pri-
mum occuparetur terra, et per tribus distribueretur, mons ille
cum arce ipsi imposita immunis maneret, et sero demum in
potestatem Israelitarum transiret." Schnurrer. Sed scriptor in-
curiosus veritatis historicae ex rationibus ejus qua ipse vivit
aetatis eoque, in quo ipse est constitutus, ex loco res metitur
in hoc carmine. Documento sunt tum plura alia, velut quae
continentur vs. 19. 20. (sic non locuti sunt Israelitae), vs. 47.
(de vite nihil in Exod.), vs. 49. (nihil ibidem de angelis) al.,
tum maxime, quod causa, cur Jova tabernaculum suum Silunte
collocatum hostium arbitrio permiserit, postea vero spreta
Ephraimitarum provincia Judam sibi sedem delegerit, repetitur
ab Ephraimitarum a Jova defectione *multis post annis* facta.
Nihil igitur impedit ab hac parte, quominus *Sionem* montem in-
telligas. Videtur vero, ut *terram Cananaeam* coll. Deut. 3, 25.
al. intelligas, suadere parallelismus. — *Et expulit coram iis* 55.
populos, *Et sorte distribuit illos in partem admensam here-
ditatis*, *Et habitare fecit in tentoriis eorum tribus Israelis*.
— *Et tentarunt et detrectarunt deum altissimum*, *Et prae-* 56.
cepta ejus non observarunt. — *Et recesserunt et defecerunt*, 57.
ut patres ipsorum, *Converterunt se*, *ut arcus fallax*, qui se
avertit ab hoste, tum vero subito ad eum se revertit, ut non
opinantem eo certius feriat, i. e. ut sagittarius dolosus, qui
simulata fuga fallit, arcu poetice posito pro sagittario. Male
alii: *ut arcus fallax*, qui perperam jaculatur, coll. Hos. 7, 16.,
alii: *ut arcus remissus*. Debet enim eodem modo explicari hic
locus, quo explicandum vidimus vs. 9. — *Et irritarunt eum* 58.
excelsis suis i. e. exstruendis ad exemplum aliorum populorum
in montibus collibusque, in quibus sacra diis acceptissima puta-
bant veteres, delubris aut sacellis, instituendisque ibi sacrificiis,

Et imaginibus suis, statuendis deorum fictitiorum simulacris
59. *invidiam ejus concitarunt.* — *Audivit* id *deus, et effudit se* in
iram, *Et repudiavit valde Israelem.* Non totius populi, sed
decem tribuum nomen esse h. l. יִשְׂרָאֵל, ostendunt quae subji-
60. ciuntur. — *Et dereliquit habitationem Siluntis*, tabernaculum
sacrum, Silunte, oppido in Ephraimitarum provincia sito collo-
catum Jos. 18, 1. 1 Sam. 1, 3. 4, 4. 11., *Tentorium*, quod *col-
locaverat inter homines.* „Passim de Jehova dicitur שִׁכֵּן שְׁמוֹ
h. e. sedem suam fixit alicubi Deut. 12, 11. 14, 23. 16, 6. 11.
26, 2. i. q. שׂוּם שְׁמוֹ. Inde explicari potest Ps. 78, 60: אֹהֶל
שִׁכֵּן בָּאָדָם *tentorium*, in quo *habitare fecit* nomen suum *inter
homines*, nisi mavis: *tentorium* quod *collocavit inter homines*,
coll. Jos. 18, 1. 22, 19." Gesen. Praeferenda sine dubio poste-
rior ratio. שָׁכַן *subsidĕre*, hinc *cubare* et *positum, collo-
catum esse* (quem significatum vides in primaria notione
inesse, nec recte referri ad Passivum *habitari*): Jos. 22, 19:
אֲשֶׁר שָׁכַן־שָׁם מִשְׁכַּן יְהוָה *ubi collocata est habitatio Jovae.*
Hinc Pi. caus. *subsidere, cubare facere, ponere, collocare*,
61. i. q. Hi. Jos. 18, 1. — *Et dedit*, permisit *captivitati potentiam
suam, Et splendorem suum manui*, potestati *adversarii*. *Po-
tentia, splendor Jovae* est *arca sacra*, divinae potentiae et
splendoris sedes; cf. 1 Sam. 4, 21 sq. coll. אֲרוֹן עֻזֶּךָ Ps. 132, 8.,
62. אֲרוֹן כְּבוֹד יְהוָה 2 Chron. 6, 41. — *Et tradidit gladio populum
63. suum, Et in peculium suum exarsit ira.* — *Juvenes ejus vo-
ravit ignis, Et virgines ejus non celebratae sunt*, carminibus
nuptialibus puta, cf. chald. הִלּוּלָא epithalamium. Quae cum ad
vs. 64. minus convenire putassent, alii הוּלָּלוּ ad יָלַל retulerunt,
alii insuper mutatis punctis pro הוּלָּלוּ legerunt הוּלָלוּ (הוֹלִילוּ),
secuti LXX et Vulg. qui: ἐπένθησαν, *sunt lamentatae.* Verum
optime concinit cum versu 64. versus 63. eo quo accepimus ac-
ceptus modo. Dicit enim vates, caesum esse ab hoste tantum
juvenum ac sacerdotum numerum, ut neque virgines potuerint
carminibus nuptialibus celebrari (63.), nec viduae *carminibus
exsequialibus* deflere maritos (64.); aliis verbis: ut nec virgines
habuerint, quibus nuberent, nec viduae, quos funere efferrent. —
64. *Sacerdotes ejus gladio ceciderunt, Et viduae ejus non fleve-
runt.* Vid. ad vs. 63. כָּהַן verbum, cujus Participium est כֹּהֵן
sacerdos, proprie, nisi fallor, significat *inclinare se, procum-
bere* ad adorandum (i. q. כָּרַע, הִשְׁתַּחֲוָה), ut vicina sint syr.

[illegible], chald. גְּחַן, sam. גען, hebr. גָּחַר, in quibus omnibus
eadem inest significatio. — *Tum evigilavit instar dormientis*, 65.
instar ejus, qui e somno evigilat, *dominus*, cf. 44, 24., *Instar*
herois victi a vino, instar viri fortis, qui evigilat e crapula.
„Imago ducta est inde, quod vir fortis est animosus, somno si
gravatus fuerit vinoque, aliis nonnihil opportunitatis faciat, effe-
rendi sese insolentius, at ubi ad se redierit, mox illos reprimat
et compescat.“ Schnurrer. רוּן i. q. arab. رَانَ med. Je, *occu-*
pavit, *vicit*, velut somnus oculum, vinum animum. Hinc מִתְרוֹנֵן
מִיַּיִן *occupatus*, s. *victus a vino*; cf. הֲלוּמֵי יָיִן Jes. 28, 1. coll.
ibid. not. ad 16, 8. Alius מִתְרוֹנֵן ad רָנַן referens: *instar herois*
jubilantis a vino, quod vereor ut aptum sit ad parallelismum.
— *Et percussit adversarios suos retrorsum*, rejecit, propulsavit 66.
eos, *Contumeliam sempiternam imposuit eis.* Respiciuntur victo-
riae, quas a Philistaeis reportaverant Samuel, Saul, Davides.
Alii אָחוֹר *a tergo* esse volunt referuntque versum ad ea quae
narrantur 1 Sam. 5, 9. — *Et repudiavit tentorium*, familiam 67.
Josephi, decem tribus, *Et tribum Ephraimi non elegit*; — *Et* 68.
elegit tribum Judae, *Montem Sionis*, *quem dilexit*. — *Et* 69.
aedificavit ut excelsa i. e. coelum *sacrarium suum*, *Ut terram*,
quam fundavit in sempiternum. „Coelum, quod numquam loco
movetur, et terra, firmissimis fundamentis superstructa (104, 5.)
similitudinem hic exhibent constantiae et stabilitatis, ut sensus
sit, voluisse deum, ut, quod antea subinde migrasset, tabernacu-
lum suum, dehinc stabilem locum in Zione haberet, cum nullo
alio commutandum.“ Schnurrer. Imo ut semper permaneret,
voluisse deum, generalior sensus esse videtur. Nonnulli רָמִים
montes esse volunt. Verum quae in posteriore hemistichio no-
minatur *terra*, rectius opponitur *coelo*, quam *montibus*. — *Et* 70.
elegit Davidem, *servum suum*, *Et sumsit*, adscivit *eum de*
caulis ovium, — *De lactantibus* i. e. ovibus (Jes. 40, 11.) *ad-* 71.
duxit eum, *Ut pasceret Jacobum*, *populum suum*, *Et Israelem*,
peculium suum. מֵאַחַר de pastore qui removetur a grege quem
sequitur, E. gr. ampl. p. 617. — *Et pavit eos secundum inte-* 72.
gritatem cordis sui, animo suo recto, integro, *Et intelligen-*
tibus, prudentibus *manibus suis*, propr. *intelligentiis manuum*
suarum, *duxit eos*. Quaerunt, cur res populi ad Davidicam
tantum aetatem persequatur vates. Fortasse, quod quae post

Davidem secuta sunt tempora non tantum honore habuerunt pro Juda, quam pristina tempora.

1. PS. LXXIX. *Carmen Asaphi.* Compositum existimamus expugnata a Chaldaeis urbe Hierosolymitana, in quod tempus tum reliqua omnia, tum maxime quae vs. 4. et 12. habentur conveniunt, ut quae aptissime intelligantur de Idumaeis, coll. 137, 7. Scriptum autem videtur, quum Chaldaei et qui cum ipsis stabant, templum profanare coepissent, cf. vs. 1. Alii ad Jojakimi vel Jojachini aetatem Psalmum referendum putant. Quorum sententiae praeter alia repugnant verba שָׂמוּ אֶת־יְרוּשָׁלַםִ לְעִיִּים vs. 1. Alii Antiochi Epiphanis aetate factum credunt. Cujus aetatis tantum abest ut certum indicium reperiatur in verbis טִמְּאוּ אֶת־הֵיכַל קָדְשֶׁךָ vs. 1. (vid. ad 74, 4.), ut repugnet illi, quod, quae vs. 2. et 3. leguntur, in libro Macc. 1. cap. 7, 16. 17. laudantur hic verbis: *κατὰ τὸν λόγον, ὃν ἔγραψε· σάρκας ὁσίων σου καὶ αἵματα αὐτῶν ἐξέχεαν κύκλῳ Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς ὁ θάπτων.* In hunc modum enim nonnisi antiquiorum scriptorum dicta commemorantur. Ceterum vs. 6. et 7. Psalmi fere iisdem verbis reperiuntur in Jer. 10, 25., ut mireris, potuisse nuperrimum Maccabaicae aetatis defensorem, quum alias in scrutandis Psalmorum scriptoribus mirum quantum tribuat locis parallelis, a se impetrare, ut non a Jeremia hunc Psalmum profectum esse putaret. Strophae quatuor: vs. 1—4: profanatur, o deus, templum tuum, vastatur urbs, trucidatur populus, ludibrio habetur vicinis. 5—7: iram tuam a nobis ad hostes converte! 8—10: propter nomen tuum 11—13: adjuva nos, istos perde, perpetuo celebrandus a nobis.
— *O deus, ingressi sunt*, irruperunt *populi in peculium tuum,*
in terram tuam, Polluerunt, profanarunt *templum tuum sanctum*
2. (vid. not. ad 74, 4.), *Fecerunt Hierosolyma ruinas.* — *De-*
derunt cadaver, cadavera *servorum tuorum Cibum avibus coeli,*
Carnem piorum, cultorum *tuorum bestiis terrae*, tantam cladem
fecerunt, ut non possint omnia cadavera sepeliri; cf. vs. 3. —
3. *Fuderunt sanguinem eorum instar aquae, Circum Hierosolyma,*
4. *nec fuit, qui sepeliret.* — *Facti sumus contumelia vicinis no-*
stris, Irrisio et ludibrium locis circumjacentibus nostris, locis
5. quae nos circumjacent, eorum incolis, cf. 44, 14. — *Quousque,*
Jova, irascere perpetuo, Ardebit instar ignis indignatio tua?

De לָנֶצַח עַד מָה וגו׳ vid. ad Jer. 8, 5. — *Effunde aestum tuum,* 6.
iram tuam in populos, qui non norunt te, Et super regna,
quae nomen tuum non invocant! — *Nam voravit* hostis *Jaco-* 7.
bum, Et domicilium ejus vastarunt. Pro אָכַל libri plures אָכְלוּ,
ut habetur Jer. 10, 25. Verum eodem illo loco etiam מִשְׁפָּחוֹת
est positum pro eo quod hic (vs. 6.) scriptum est מַמְלָכוֹת. —
Ne memineris nobis, i. e. ut in nobis punias, *culpae majorum* 8.
(Deut. 19, 14.)! *Festinanter obviam veniat*, succurrat *nobis*
misericordia tua! Nam debiles, exhausti *sumus vehementer.*
רִאשֹׁנִים alii pro יָמִים רִאשֹׁנִים dictum volunt, non intelligi exi-
stimantes, quid hic sibi velint *majores.* Quasi delicta majorum
non sexcenties dicantur puniri in posteris! — *Adjuva nos,* 9.
o deus salutis nostrae, Propter honorem nominis tui! Et
eripe nos, et condona peccata nostra, Propter nomen tuum!
Quid sit *propter nomen tuum*, vidimus ad 23, 3. — *Cur dicant* 10.
populi: „ubi est deus eorum?“ Conspiciatur, appareat *inter*
populos eorum oculis nostris, nobis videntibus *Ultio sanguinis*
servorum tuorum fusi, vindicta pro fuso ab ipsis sanguine cul-
torum tuorum! יִוָּדַע G. gr. min. §. 144., E. gr. min. §. 567.
— *Veniat in conspectum tuum gemitus captivi*, captivorum! 11.
Secundum magnitudinem brachii tui, pro tua potentia *super-*
stites fac filios mortis, destinatos morti! — *Et redde vicinis* 12.
nostris septuplum, multipliciter, largissime *in sinum eorum*
Probrum eorum, quo affecerunt te, domine! De locutione הֵשִׁיב
דָּבָר אֶל־חֵיק פ׳ vide quae observavimus ad Jes. 65, 6. — *Et* 13.
nos, populus tuus et grex pascui tui, Celebrabimus te in per-
petuum, Per omnes aetates narrabimus laudem tuam.

PS. LXXX. *Praecentori* (4, 1.) canendum *ad modum* 1.
instrumenti *Schoschannim Eduth (lilia, lex)* dicti (6, 1. 45, 1.)
Asaphi carmen. אֶל־שֹׁ׳ עֵ׳ i. q. עַל שֹׁ׳ עֵ׳, cf. 45, 1. 60, 1.
69, 1. coll. not. ad 4, 1. 6, 1. עֵדוּת cum שֹׁשַׁנִּים appositione
videtur cohaerere, cf. שׁוּשַׁן עֵדוּת 60, 1. Esse hunc Psalmum
fere eodem, quo videntur editi esse 74. et 79., tempore editum,
multorum interpretum haud improbabilis sententia est. Strophae
quatuor: vs. 2—4: restitue, o Jova, populum tuum 5—8:
ad extremam miseriam redactum! 9—15: vastata jacet a te
plantata vitis; 16—20: cura eam! — *Pastor Israelis, au-* 2.
scultal Qui ducis ut gregem Josephum, Qui habitas Cherubos,

insides Cherubis, cf. 18, 11. ibique not., *explende*, luce tua circumfusus appare ad ferendum nobis auxilium! יִשְׂרָאֵל, יוֹסֵף de toto populo, ut 81, 5. 6. 77, 16. cf. qui sequitur versus. יֹשֵׁב cum Acc., ut 22, 4. al. הוֹפִיעַ ut 50, 2., ubi cf. not. —
3. *Coram Ephraim et Benjamin et Manasse Suscita potentiam*
tuam, Et veni auxilio nobis! „Universum populum Judaicum illarum tribuum mentione significari, res ipsa docet; *Benjamin* vero h. l. una cum Ephraimo et Manasse memoratur, quod horum patrem, Josephum, solum ex omnibus fratribus habet ὁμομήτριον seu uterinum; nam Joseph et Benjamin soli sunt e Rachele, dilectissima Jacobi uxore, nati, ceteri ex Lea, Silpa et Bilha.“ Ros. Benjamin repraesentat Judam, duo reliqui regnum δεκάφυλον. Quod medium ille locum tenet, eo reconciliata tri-
4. buum concordia videtur exprimi. — *O deus, restitue nos, Et*
illustra faciem tuam, sereno, propitio vultu, gratiose nos re-
5. spice (cf. 4, 7. 31, 17.), *ut liberemur!* — *Jova, deus exerci-*
tuum (vel potius: *Zebaoth*, vid. inf.), *Quamdiu fumabis*, ardebis ira (cf. 74, 1.) *in precibus populi tui*, preces fundente populo tuo? De יְהוָה אֱלֹהִים צְבָאוֹת vid. ad Jes. 1, 9., ubi quae disputavi viris doctis se satis commendasse ex Kösteri video
6. commentario ad h. l. — *Edere facis eos panem lacrymarum*,
eo miseriae redegisti eos, ut inter lacrymas comedant suum panem, *Et bibere facis eos cum lacrymis*, oculis lacrymantibus *triental.* שָׁלִישׁ, omisso ut sexcenties apud poetas articulo (cf. statim vs. 10. אֶרֶץ), mensura est eaque h. l. liquidorum, tertiam partem majoris alicujus mensurae continens. Alii posterius hemistichium sic expediunt: *et madefacis* (?) *eos lacrymis modiatim*, i. e. largissime (cf. E. gr. ampl. p. 592.), cui interpretationi praeter usitatam הִשְׁקָה verbi structuram repugnat parallelismus.
7. — *Facis nos rixam vicinis nostris*, permittis, ut rixentur de
terra nostra, de spoliis nostris populi vicini, *Et hostes nostri rident*, ludibrio nos habent *inter se*. מָדוֹן de rixae objecto. —
8. *Deus exercituum, restitue nos, Et illustra faciem tuam, ut*
9. *liberemur!* cf. vs. 4. — *Vitem*, populum Israeliticum, *ex Ae-*
gypto evellisti, Expulisti e terra Cananaea *populos, et plantasti eam*, vitem, loco populorum expulsorum; miscentur figuratis
10. propria, ut saepissime. — *Locum purgasti ante eam, Et egit*
11. *radices suas, Et implevit terram.* — *Tecti*, cooperti *sunt*
montes umbra ejus, Et rami ejus fuerunt *cedri dei*, cedri

altissimae (vid. ad 36, 7.) i. e. cedrorum altissimarum instar fuere, vel, quod aptius ad parallelismum videtur: *Et ramis ejus tectae*, coopertae sunt *cedri dei*, altissimae. צִלָּהּ atque, si posterioris hemistichii eam sequeris quam secundo loco dedimus explicationem, etiam עֲנָפֶיהָ Acc. rei, E. gr. ampl. p. 590. min.
§. 514. G. gr. min. §. 140. — *Emisit frondes suas usque ad* 12.
mare, medium puta, occidentalem terrae Israeliticae terminum, *Atque ad fluvium*, Euphratem, terminum orientalem, *surculos*
suos. — *Cur destruxisti muros ejus*, *Ut decerpant eam*, ejus 13.
uvas, *quicunque praetereunt via?* Alius: *Ut exsecrentur eam* cet., אָרוּהָ referens ad אָרַר. Sed prius ad nexum aptius est. —
Ut *corrodat eam porcus e sylva*, *Et bestiae agri depascant* 14.
eam? כִּרְסֵם i. q. chald. קַרְסֵם absumere, depascere, factum ex כָּסַם detondere, inserta ר litera, ut כִּרְבֵּל ex כָּבַל. Alia exempla dabit Ges. gr. ampl. p. 863 sq. Ceterum quamquam de terra a Babyloniis vastata atque exspoliata haec sunt intelligenda, tamen sine sapore mihi videtur eorum interpretatio esse, qui porcum Nebucadnezarem esse volunt, bestias agri illius copias. Quid significaverint Judaei ע suspenso in מִיַּעַר voce, scire nihil interest. Sunt qui existiment, voluisse indicare captivitatis Babylo-
nicae *septuaginta* (ע) annos. — *Deus exercituum, redi, quae-* 15.
sumus, noli amplius aversus esse a nobis! *Prospice de coelo*
et vide, *Et vise vitem hanc!* — *Et protege quod plantavit* 16.
dextera tua, *Et filium*, populum Israeliticum, quem *designasti*, delegisti *tibi*, nisi mavis: quem *robustum fecisti*, eduxisti, crescere fecisti *tibi!* כַּנָּה Imp. cum ה parag. a rad. כָּנַן, كَنَّ *tegere*, *custodire;* cf. vic. גָּנַן, جَنَّ. Construitur ut alia tegendi verba cum Accus. et cum עַל. בֵּן de populo Israelitico, ut Hos. 11, 1. Verbi אִמַּצְתָּה interpretationem eam, quam posteriore loco posui, quamque jam ad Jes. 44, 14. ferri posse monui, ad parallelismum altera duco aptiorem. Nonnulli כַּנָּה volunt esse Nomen subst. significans *propaginem*, *surculum*, in hanc sententiam: *Et* (vise, vs. 15.) *surculum*, *quem plantavit dextera tua*, *Et filium* cet. Modo quod conferunt כֵּן Dan. 11, 7. al.
ullo in loco significaret *surculum!* — *Combusta est igne* vitis, 17.
succisa, *Increpatione faciei tuae pereunt* Israelitae. מִן accipe ut 76, 7. Ad גַּעֲרַת פָּנֶיךָ quod attinet vide quae observavimus
ad 42, 6. — *Sit manus tua super virum*, protegas virum *dex-* 18.

terae tuae, plantatum q. dextera tua (vs. 16.), opus dexterae
tuae, *Super hominem*, quem *robustum fecisti*, eduxisti *tibi*
19. (vs. 16.)! אִישׁ, בֶּן־אָדָם collect. de Israelitis. — *Et*, tum *non*
recedamus a te; Vivos nos redde, mortuos quasi miseriis, *et*
20. *nomen tuum invocabimus! — Jova, deus exercituum, restitue*
nos! Illustra faciem tuam, ut liberemur! cf. vs. 4.

1. PS. LXXXI. *Praecentori* (4, 1.) fidibus canendum *ad*
modum instrumenti *Gittith* dicti (6, 1. 8, 1.) carmen *Asaphi*.
Ex recentioribus esse hunc Psalmum colligi posse videtur ex
vs. 14 sqq. Strophae tres: vs. 2—6, b populus: celebrate dies
festos, institutos a Jova in memoriam liberationis servitutis
Aegyptiacae! 6, c—13: Jova: nescio vos qui sitis, ut qui,
quamquam liberati servitute atque in fide ut maneretis moniti,
tamen parere mihi nolueritis cum maximo vestro incommodo.
14—17: utinam mihi obediretis! quam vellem liberatos ab ho-
2. stibus beare! — *Jubilate deo, robori*, praesidio, *nostro! Laetos*
3. *clamores tollite deo Jacobi! — Tollite cantum, et pulsate tym-*
panum, Harpam suavem cum lyra! נָתַן תֹּף *edere tympanum*
i. e. sonum tympani. De כִּנּוֹר et נֶבֶל instrumentis vid. ad 33, 2.
4. — *Inflate in novilunio tubam, In plenilunio, die festi nostri!*
Ad בַּחֹדֶשׁ Rosenmüllerus: „mensis sc. septimi, ut diserte Chal-
daeus addit, *Tisri*, juxta Lev. 23, 24., qui mensis prae reliquis
totius anni plurimas comprehendebat festivitates, ita ut in diem
primum incideret festum *tubarum*, in decimum *expiationis*, in
decimum quintum *tabernaculorum*." Idem ad בַּכֶּסֶה: „vult ergo
poeta cani deo, in novilunio et plenilunio, in initio mensis et
medio, et potest hic specialiter per יוֹם חַגֵּנוּ, qui incidebat בַּכֶּסֶה
in plenilunium, intelligi festum Paschatis, qui in 14. mensis
Nisan incidebat, vel tabernaculorum intelligi festum, quippe
quod passim absolute et κατ᾽ ἐξοχὴν חַג Hebraeis dicitur. In-
telligi festum tabernaculorum patet ex antecedentibus et sequen-
tibus." Verum quae sequuntur conveniunt potius in festum
paschatis. Itaque de hoc erit cogitandum et quod praecedit
novilunium habendum pro ejusdem festi praeparatione. Quodnam
habeat etymon כֶּסֶה (Prov. 7, 20: כֶּסֶא), syr. ܟܶܣܳܐ, ܟܶܣܰܐ *pleni-*
lunium, difficile profecto est dictu. Michaelis ad voc. syr. „vi-
detur, ait, totum lunae tempus a plena ad decrescentem sensimque
oculis se nostris subducentem complecti." Is igitur cogitasse

videtur de כֶּסֶה. Similiter Ewaldus ad h. l. coll. arab. كُسْءٌ
postica et posterior pars rei. Quid vero, si *plenilunium* כֶּסֶה,
כֶּסֶא dictum sit ab *inflatis buccis?* cf. arab. كَشَأَ *vorare cibum*
distentis buccis ac labiis, كَشِئَ I. et V. *impletum esse*, et ipsum
hebr. כָּשָׂה *pinguem, obesum fieri* Deut. 32, 15. Iterum atque
iterum monendi sunt etymologi, ut in scrutandis etymis nominum,
quibus quae significantur sub oculos cadunt, ante omnia
consulant figuras, quibus illa cadant sub oculos. — *Nam sta-* 5.
tutum pro Israele hoc est, Consuetudo pro deo i. e. in honorem
dei *Jacobi;* secundum alios: *lex dei Jacobi*, ut לְ auctorem
indicet. — *Praeceptum in Josepho*, populo Israelitico, *fecit* 6.
deus illud, instituit apud Israelitas illud festum, *Quum exiret*
populum servitute liberaturus *contra terram Aegypti. Joseph*
de toto populo ut 80, 2. Quae subjiciuntur verba שְׂפַת לֹא
יָדַעְתִּי אֶשְׁמָע varias interpretationes experta sunt, sed nullam,
in qua facile possis adquiescere. Nonnulli populum loqui existimantes:
quum (cf. praegressum בְּצֵאתוֹ) *linguam*, quam *non noveram*,
(Aegyptiorum) barbaram et odiosam linguam (coll. 114, 1.
Jes. 33, 19. Deut. 28, 49.) *audirem*, quum inter barbaros (Aegyptios)
versarer. Alii, qui et ipsi ad populum verba referunt:
Linguam alicujus, quem *non noveram* (G. gr. min. §. 121. extr.
E. gr. min. §. 593.) i. e. dei ad illud usque tempus ignoti mihi
linguam *audivi*, ad montem Sinai puta. Alii verba eadem qua
illi quos modo memoravimus ratione convertunt, sed vatis esse
volunt, qui divino instinctu subito perculsum se sentiat, et oraculum
audire sibi persuadeat, coll. Job. 4, 16. Quorum interpretum
miror admodum neminem vidisse, *deum* esse, qui loquatur
haec verba. Nam qui vs. 7. et sequentibus loquens inducitur,
quid tandem obstat, quominus jam hic loci verba facere putetur?
Ex qua interpretatione qui nascitur sensus non potest esse aptior.
Ad laetas voces Israelitarum celebrantium dies festos, utpote divinitus
institutos 2—6, b. subito Jova inconstantiam populi
graviter objurgans: *Linguam* quam *non novi*, vel si mavis: *linguam*
hominum quos *non novi* (vid. supra), *audio*, inquit, q. d.
nescio vos qui sitis, ignoti mihi vos quidem estis, ut qui, quamquam
a me educti ex Aegypto, atque ut fidem mihi servaretis
moniti, tamen a me defeceritis cet. vs. 7 sqq. cf. similis quamquam
severior castigatio Jes. 1, 12 sqq. — *Removi ab onere* 7.

humerum ejus, liberavi humeros Israelis oneribus, impositis ab
Aegyptiis, *Manus ejus a cophino recesserunt* i. e. immunes
8. factae sunt a bajulandi officio. — *In angustiis clamasti*, opem
imploravisti meam, *et liberavi te*, *Exaudivi te in latibulo* i. e.
in nube *tonitru*, ad quae cf. 77, 18 sq. ibique not., *Exploravi*
9. *te ad aquas rixae* Exod. 17, 7. — *Audi, populo mi, ut adhorter*
te (vid. ad 50, 7.)! *Israel, utinam morem gereres mihi!* —
10. *Non erit*, ne esto *in te*, inter vos *deus alienus! Neve prosterne*
11. *te deo*, coram deo *peregrino!* — *Ego, Jova, sum deus tuus*,
Qui eduxi te ex terra Aegypti; *Late aperi os tuum*, *et im-*
plebo illud, copiosissime desideriis tuis satisfaciam, maximis te
afficiam beneficiis, siquidem observaveris leges meas! Quem sen-
sum sub his verbis subjiciendum esse docent quae sequuntur,
inprimis vs. 14 — 17. אֱלֹהֶיךָ הַמַּעַלְךָ ut הָאֵל הַמְאַזְּרֵנִי 18, 33.
12. al. — *Et*, verum *non morem gessit populus meus voci meae*,
13. *Et Israel non obtemperavit mihi.* — *Atque ita reliqui eum*, eos
pervicaciae cordis ipsorum, *Ambularunt in consiliis suis*, se-
14. cuti sunt sua ipsorum perversa consilia. — *Utinam populus meus*
morem gereret mihi, *Israel in viis meis ambularet*, eam quae
mihi probatur sequeretur vivendi rationem! לוּ sonus naturalis
ejus qui *fatiscit*, languet (לָאָה, לָהָה, לָוָה), hinc 1) vox ar-
dentis desiderii: *o si, utinam!* 2) simpliciter: *si*, ubi significa-
tur, id quod sumitur non esse. Redslobus לוּ statuit propr. idem
esse quod לֹא, negandi particulam, quae desiderative pronuntiata
(cf. אַיִן) abierit in particulam optandi. Plerique primariam signi-
ficationem faciunt *conditionalem*, quam repetendam putant ab
15. annectendo, dependendo (לָוָה). — *Brevi hostes eorum deprime-*
rem, *Et contra adversarios eorum converterem manum meam*;
16. — *Osores Jovae*, hostes populi Jovani *adularentur ei*, populo
Jov., *Essetque tempus eorum in perpetuum*, i. e. eorumque
(Israelitarum) civitas semper suo statu maneret, cf. 2 Sam. 7, 24.
17. — *Et comedere faceret* Jova *eum*, populum suum *de adipe*
tritici, tritico optimo, *Atque ex petra melle satiarem te*, exi-
miis fructibus facerem vos affluere!“ Quod in priore membro
tertia persona utitur vates, causa est, quod vs. 16. pro מְשַׂנְאָי
dixerat מְשַׂנְאֵי יְהוָה. In posteriore membro redit ad personam
primam. חֵלֶב חִטָּה ut חֵלֶב חִטִּים 147, 14. de tritico optimo
dictum; cf. חֵלֶב הָאָרֶץ Gen. 45, 18. al. „Quod *mellis e petra*
mentionem facit, eo pertinet, quod in Palaestina terrisque finiti-

mis apes sylvestres in cavernis petrarum mellificare solent, unde postmodum, sole ceratas liquefaciente cellulas, mel ex illis profluit." Ros. Quod mel delicatius fuisse vel creditum esse videtur eo, quod dabant apes domesticae. Alii, cum deus promittit, fore, ut ex ipsis petris mel profluat, id improprie dictum volunt, ut nonnisi eximia terrae fertilitas promittatur his verbis, coll. Deut. 32, 13 sqq. Sed prius ad parallelismum aptius videtur.

PS. LXXXII. *Carmen Asaphi.* Invehitur Psalmus in 1.
principes Israelitarum injustos, ut Ps. 58. Alii principes eorum
populorum, quorum dominatione oppressi fuerunt Israelitae tem-
pore exsilii Babylonici, perstringi putant, existimantes, de prin-
cipibus Israelitarum quominus cogites obstare vs. 1. 5. 7. 8. Eos
tamen non obstare videbimus ad ipsos. Strophae duae: vs. 1—4:
in publico conventu principes deus accusat de eo, quod sint in-
justi, miserorum causam non agant. 5—8: ipsis tribuendum
esse dicit, quod ruinam minetur respublica universa; moriendum
esse et ipsis, quamquam amplissima dignitate ornatis, ut reliquis
mortalibus; oratur Jova, ut justitiam exerceat in terra. — *Deus
se sistit in coetu dei, In medio deorum jus dicit.* עֲדַת אֵל
coetus dei est publicum judicium, cui deus praeesse putabatur,
Exod. 21, 6. 22, 7. 8. 21.; אֱלֹהִים *dii* sunt principes judicium
exercentes, ut qui deum repraesentent (ibid.). *Reges* igitur ut
intelligas nihil hic est quod te cogat. De *angelis* vero quo-
minus cogites, impedit vs. 6. — *Quousque judicabitis prave,* 2.
Et vultum improborum attolletis i. e. improborum rebus stude-
bitis? נָשָׂא פְּנֵי פ' non, ut olim cum aliis putavimus: *excipere
faciem alicujus*, sed: *attollere vultum alicujus*, facere ut vultum
attollat aliquis, animo sit confidenti, fiduciam afferre alicui, hinc
favere, studere rebus alicujus. Oppositum est הִפִּיל פְּנֵי פ' Job.
29, 24. cf. Gen. 4, 5 sqq. — *Judicate tenuem*, hominem tene- 3.
riorem *et orphanum*, causam agite hominum teneriorum cet.,
Afflictum et egenum compotem sui juris facite! — *Liberate* 4.
tenuem et pauperem, E manu improborum eripite! — *Non* 5.
sapiunt et insaniunt (14, 4.), *In tenebris incedunt; Nutant
omnia fundamenta terrae* i. e. ob hanc magistratuum injustitiam,
partium studium, caecitatem longe lateque omnia miscentur et tur-
bantur. Summa rerum domesticarum perturbatio ut plurimis aliis in
locis totius orbis terrarum perturbationi comparatur. — *Ego dixi:* 6.

dii vos estis, Et filii altissimi vos omnes i. e. amplissima
7. dignitate ego vos ornavi. — *Verum ut ignobiles homines moriemini, Atque ut unus aliquis principum cadetis* i. e. manet
vos eadem sors, quae ceteros mortales, sive ignobili loco sive
nobili natos. Alius *reges* esse putans, quos perstringit deus,
verba וּכְאַחַד הַשָּׂרִים sic reddi vult: *atque ut unus aliquis satraparum*, qui nutu vestro strangulantur. Praestat tamen, nonnisi nobiles atque ignobiles inter se opponi, nulla admixta no-
8. tione secundaria. — *Surge, deus, judica terram! Nam tu
possides omnes populos* i. e. qui omnium populorum dominus es,
judicium exerce in terra, quod generatim dictum pro: judicium
exerce inter nos, in hac nostra quae ruinam minatur republica;
cf. simillima 58, 12.
1. PS. LXXXIII. *Canticum, carmen* (30, 1.) *Asaphi.* Maxime est probabile, Nehemiae aetate compositum esse hunc Psalmum, quo tempore nova Hebraeorum respublica omnibus a partibus certatim petebatur a populis vicinis (vs. 7 sqq.) ad eam
exstirpandam conjuratis (4 sqq.), Neh. 4, 1. 2. De אַשּׁוּר vs. 9.
vid. ad locum ipsum. Strophae quatuor: vs. 2—5: contra civitatem tuam, o Jova, conjurant hostes, 6—9: populi vicini.
10—13: fac illis, quemadmodum fecisti hostibus majorum nostrorum! 14—19: perde eos, ut intelligant, te deum esse
2. omnium potentissimum! — *Deus, ne silentium tibi sit, ne sileas!
Ne sis surdus, neque sis quietus, o deus* i. e. noli silens ac
3. surdus et otiosus spectator esse vexationum nostrarum! — *Nam
ecce, hostes tui fremunt, Et osores*, inimici *tui attollunt caput*
4. i. e. hostiliter exsurgunt, cf. Jud. 8, 28. — *Contra populum
tuum callidum faciunt consilium*, callida consilia cudunt, *Et
deliberant contra absconditos tuos* i. e. contra eos qui tuae tu-
5. telae sunt (cf. 27, 5.), contra clientes tuos. — *Dicunt: „agite,
exstirpemus eos, ne sint populus, Nec commemoretur nomen
Israelis amplius!“* מִגּוֹי ut Jer. 48, 2. E. gr. min. §. 320.
6. *Nam consultant animo uno*, concorditer, *Contra te foedus faciunt.* כִּי ex vs. 2. pendet eodem modo quo כִּי praemissum
vs. 3., quod hic repetitur, quoniam nova stropha incipit. לֵב יַחְדָּו
i. q. לֵב אֶחָד 1 Chron. 12, 38. G. gr. ampl. p. 687. De כָּרַת בְּרִית
locutione vid. ad 44, 18. Quod ad rem cum vs. 4. 5. 6. conferenda sunt quae leguntur Neh. 4, 2. haec verba: וַיִּקְשְׁרוּ כֻלָּם
יַחְדָּו לָבוֹא לְהִלָּחֵם בִּירוּשָׁלַםִ וגו׳, ex quibus intelligitur, nequa-

quam extenuanda cum nonnullis interpretibus sed ita ut verba
ferunt accipienda esse, quae modo legimus tria commata. —
Tentoria Idumaei, qui regionem sitam inter mare mortuum et 7.
maris rubri sinum Aelaniten incolebat, *et Ismaëlitarum*, Arabum
nomadum more oberrantium, *Moabita*, regionem ab oriente maris
mortui usque ad Arnonem incolens, *et Hagraei*, Arabes, qui
cum Israelitis trans Jordanem habitantibus bellum gessisse fe-
runtur 1 Chron. 5, 10 sqq. — *Gebalenus*, Idumaeorum gens, *et* 8.
Ammonita, qui tenebat tractum inter Jabbocum et Arnonem flu-
vios, *et Amalekita*, qui Idumaeam inter et Aegyptum nec non
ab oriente maris mortui habitabat, *Philistaeus*, ad austrum et
occasum terrae Cananaeae, — *cum incolis Tyri*. Ad quos duos
versus cf. Neh. 4, 1. — *Etiam Assur se jungit illis*, *Sunt* 9.
brachium, auxilium (Jes. 33, 2.), sunt auxilio *filiis Loti*, Am-
monitis et Moabitis. אַשּׁוּר K. 1. ut Esr. 6, 22. de *Persia* est
dictum, utpote quae post Babylonicum imperium cessisset in lo-
cum imperii Assyrii. A Persis Judaeos in patriam reversos fuisse
destitutos, certe non ita, ut par erat populo, qui illos in liber-
tatem restituerat, adjutos defensosque contra vicinorum popula-
rum injurias, id ipsum perducet ex Neh. 4. — *Fac iis, ut Mi*- 10.
dianitis, *Ut Siserae, ut Jabino ad rivum Kischonis*, — *Qui* 11.
deleti sunt Endore, *Evaserunt fimus humo!* בְּעֵין דֹּאר E. gr.
ampl. p. 614. — *Redde illos, duces illorum, similes Oreba et* 12.
Seebo, *Et similes Sebacha et Zalmunnae omnes unctos*, prin-
cipes *eorum*, — *Qui dicunt: „occupemus nobis Domicilia dei!* 13.
Respiciuntur tribus versibus 10. 11. 12. quae narrata legimus
Jud. 4. 5. 7. 8. — *Mi deus, redde illos ut turbinem*, *Ut sti*- 14.
pulam coram vento, — *Ut ignem*, qui *absumit sylvam*, *Ut* 15.
flammam, quae *incendit montes!* De גַּלְגַּל voce vid. not. ad
Ezech. 10, 13. Quae vs. 15. continetur imago, quamquam minus
accurate est expressa, tamen facile intelligitur quid sibi velit.
— *Ita persequere eos tempestate tua*, *Et procella tua per*- 16.
terre illos! — *Imple facies eorum ignominia*, *Ut quaerant* 17.
nomen tuum, te (cf. vs. 19.), *o Jova!* — *Pudore adficiantur* 18.
et percellantur, consternantur *in perpetuum*, *Et erubescant et*
pereant! — *Et intelligant*, *te*, *nomen tuum* (cf. vs. 12.), *o Jova*, 19.
solum esse *Summum supra omnem terram!*

PS. LXXXIV. *Praecentori* (4, 1.) fidibus canendum *ad* 1.
modum instrumenti Gittith dicti (6, 1. 8, 1.) *Coraehitarum car*-

rum. Argumentum Psalmi idem fere, quod Pss. 42. 43. 61. 63.
Regem fuisse qui scripsit carmen, versu 10. non ita efficitur, ut
nullus dubitationi locus relinquatur. Potest enim sic quoque
intelligi iste versus, ut vates simul pro rege una cum ipso
aliisque versante in exsilio preces fundat. Ad Davidis aetatem
quominus Psalmum referam, obstant vs. 3. 4. 11. ubi quae leguntur
non possunt non intelligi de templo. Videtur itaque ad Jo-
jachini aetatem referendus esse. Strophae tres: vs. 2—5: desi-
derium quo teneatur templi. 6—9: o felicem illum, cui licet
frequentare aedes sacras! 10—13: preces meas, o Jova, audi!
2. — *Quam jucundae sunt habitationes tuae, o Jova exercituum!*
3. De יְהוָה צְבָאוֹת vid. ad Jes. 1, 9. — *Pallescit atque etiam ta-
bescit anima mea desiderio atriorum Jovae, Cor meum et caro
mea vociferantur ad deum vivum*, opp. barbarorum, inter quos
4. versatur vates, diis fictitiis, ut 42, 3. — Elegantissima et vere
poëtica sententia. Quanto me feliciores sunt passeres et hirun-
dines, quibus nidificare licet in templo, a quo ipse longe sum
remotus! *Etiam passer invenit domum, Et hirundo nidum
sibi, Ubi reponit pullos suos, Apud altaria tua*, in templo
tuo, *Jova exercituum, mi rex et mi deus!* אֲשֶׁר referendum
ad קֵן (בַּיִת) pro אֲשֶׁר בּוֹ est positum, quod adeo fugisse inter-
pretes, ut ad aliena omnia delaberentur, est quod mireris, quum
notissima res sit, posse post substantiva tempus ac locum signi-
5. ficantia absque complemento poni אֲשֶׁר. — *O felices, qui habi-
tant*, quibus frequentare licet *domum tuam! Adhuc*, dum ego
6. vagus sum et extorris, *celebrant te!* — *Felicem hominem, cui*,
cujus *praesidium in te est*, Felices, *quorum in animo viae pu-
blicae*, i. e. qui de ingrediendo itinere ad locum sacrum cogitant!
Quo sensu ut capias haec verba, postulant quae subjiciuntur. —
7. *Transeuntes vallem fletus*, tristem, sterilem, *Fontem* i. e. fon-
tibus irriguam *reddunt eam*, *Etiam beneficiis tegit* eam, eam
fructuosam ac laetam facit *pluvia autumnalis*. Sensus: nihil in
itinere deesse peregrinatoribus sacris, quantumvis peregrinanti-
bus per loca deserta, ut quae dei beneficio, qui peregrinatoribus
sacris delectetur, fiant fontibus irrigua cadentibusque coelestibus
aquis frugifera. Quod peregrinatorum in gratiam divinitus fit,
id in primo ac secundo membro eleganter peregrinatores ipsi sibi
sua praesentia efficere dicuntur. בָּכָא, a בָּכָא (בָּכָה), *fletus,
ploratio*, quo significatu veteres nomen acceperunt omnes. Cur

pro Nomine proprio habeatur עֵמֶק הַבָּכָא, nulla est causa; cf.
גֵּיא צַלְמָוֶת 23, 4. — *Eunt a robore ad robur*, valentiores 8.
semper et fortiores fiunt inter proficiscendum, *Comparent tan*-
dem *coram deo in Sione.* יֵרָאֶה impers. — *Jova, deus exerci*- 9.
tuum, audi preces meas! Ausculta, o deus Jacobi! — *Qui es* 10.
clypeus noster, vide, o deus, Et intuere faciem uncti tui;
gratiose respice, qui in te suspicit, unctum tuum i. e. vel: me,
regem, in exsilio versantem, vel: regem nostrum, qui nobiscum
versatur in exsilio. Ex iis, qui posteriorem rationem sequuntur,
unus parallelismi studio ductus מָגִנֵּנוּ non Vocativum ad deum
referendum, sed Accusativum referendum ad regem habet coll.
47, 10., in hanc sententiam: *Clypeum nostrum respice, o deus*
est. Sed cf. vs. 12. Alii, qui et ipsi pro rege vatem preces
fundere existimant, regem non in exsilio sed Hierosolymis de-
gentem intelligendum putant, coll. 61, 7. Quos plane falsos esse,
docent, quae subjiciuntur vs. 11., ut quae illa admissa interpre-
tatione cum vs. 10. nullo contineantur vinculo. Ceterum quum
vates persona 1. Sing. utatur, probabile videtur, qui loquitur
ipsum regem esse. — *Nam melior est unus dies in atriis tuis*, 11.
quam mille aliorum dierum; *Malo limen tenere in domo dei
mei, Quam commorari in tentoriis improbitatis*, inter barbaros
Jovae contemtores. הִסְתּוֹפֵף *subsistere in aditu, foribus, limen
tenere*, denom. a סַף 1) *pelvis*, 2) *aditus, fores, limen*, a סָפַף
i. e. a *contrahendo, colligendo, recipiendo* (cf. סָפָה, אָסַף), non
ab expandendo, ut alii volunt. — *Nam sol* (cf. Jes. 60, 19 sq.) 12.
*et clypeus est Jova deus; Gratiam et splendorem dat Jova,
Non denegat* ullum *bonum ambulantibus*, viventibus *integre.* —
Jova exercituum, Felicem hominem, qui fiduciam collocat in te! 13.

PS. LXXXV. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Corachita*- 1.
rum carmen. Referendum esse ad illud tempus, quod reditum
de Babylonico exsilio proxime est consequutum, statim videbit
qui legerit. Strophae duae: vs. 2—8: quem de exsilio revocasti
populum restitue, o Jova! 9—14: quod deus facturum se esse
promittit ea conditione, ut fidem servet populus. — *Propitius* 2.
fuisti, o Jova, terrae tuae, Reduxisti captivos populi. —
Abstulisti culpam populi tui, Operuisti omnia peccata eorum, 3.
culpam, peccata populo tuo condonasti. — *Retraxisti*, repres- 4.
sisti *omnem furorem tuum, Reduxisti de ardore irae tuae*,

i. e. *reduxisti ex parte iram tuam*; non tanta, quanta olim, jam ardet ira. In quo posterioris membri sensu, quamquam ad prius membrum paullo minus idoneo, tamen est adquiescendum, quum מִן, nisi velis vim inferre חֲשִׁיבוֹתָ verbo (cf. 78, 38.), non possit aliter atque partitive accipi. Paratur, quod non debebat latere
5. interpretes, transitus ad ea, quae subjiciuntur. — *Restitue nos*, civitatem nostram instauratam quidem, sed vicinorum populorum odio et assiduis incursionibus misere turbatam restitue in statum pristinum, *o deus salutis nostrae*, *Et frange*, supprime *iram tuam nobiscum*, erga nos! שׁוּב transit. ut vs. 2. Num. 10, 36. עִמָּנוּ construendum cum כַּעַסְךָ, E. gr. ampl. p. 608.
6. — *Num in perpetuum irascereis nobis*, *Protrahes*, continuabis
7. (36, 11.) *iram tuam in omnes aetates?* — *Annon tu vitae restitues nos*, refocillabis extinctos paene miseriis, *Ut populus tuus laetetur de te?* שׁוּב adverbialiter positum, ut 71, 20. —
8. *Fac, ut videamus, o Jova, gratiam tuam*, ut fruamur gratia tua,
9. *Et auxilium tuum da*, affer *nobis!* — Fingit jam vates, se audire vocem dei respondentis, paratum se esse ad juvandum populum, modo, saluti suae restitutus, nihil deinceps delinquat iterum. *Audiam, quid loquatur deus, Jova! Utique promittit salutem populo suo et piis suis*, cultoribus suis, *Et*, verum *ne redeant ad stultitiam*, relabantur in peccata! כִּי h. l. primario significatu accipiendum videtur (vid. ad 49, 20.); minus enim convenit, quamquam ferri quodammodo potest, quod aliis
10. placet *nam*. De כִּסְלָה cf. not. ad Jes. 11, 2. — *Sane propinquum est cultoribus ejus auxilium ejus*, *Ut habitet gloria in terra nostra*, ut pristina gloria redeat terrae nostrae. Ad quae
11. ea quae sequuntur. — *Benignitas et fides sibi occurrunt*, *Ju-*
12. *stitia et pax se osculantur*; — *Fides e terra progerminat*, *Et justitia de coelo prospicit*. Sensus hujus et proxime praegressi versus: plena omnia erunt benignitate, fide, justitia, pace; cf. 72, 3. Jes. 45, 8. Nonnulli חֶסֶד, צֶדֶק ad deum, אֱמֶת, שָׁלוֹם ad homines referunt, putantque suum virtuti praemium futurum
13. esse dicere vatem. — *Etiam Jova dat quod bonum est*, *Et*
14. *terra nostra dat proventum suum*. — *Justitia coram eo*, deo *ambulat* i. e. homines justi ambulant, recte homines vivunt coram deo, *Et ponit in via gressus suos*, et libere persequitur viam suam, cf. Jes. 59, 14. Alius צֶדֶק justitiam dei esse vult.

PS. LXXXVI. *Preces Davidis.* Inscriptioni repugnat, 1.
quod magna ex parte ex aliorum scriptorum locis conflatum est
carmen. Conferantur inter se vs. 1. et 40, 18., vs. 2. et 4, 4.,
vs. 4. et 25, 1., vs. 8. et Exod. 15, 11., vs. 9. et 22, 28 sq.,
vs. 11. et 5, 9. 25, 4 sq. 27, 11., vs. 14. et 54, 5., vs. 15. et
Exod. 34, 6. Strophae quinque: vs. 1—4: auxilium a te im-
plorantem audi, Jova, 5—7: qui non deesse soles imploranti-
bus opem tuam, 8—10: qui deorum omnium longe potentis-
simus es ab omnibus colendus populis! 11—13: doce me quae
tibi probatur agendi rationem, ex periculis eripe me, perpetuis
a me celebrandus laudibus! 14—17: defende me ab hominibus
insolentibus, vitae meae insidiantibus! — *Inclina, Jova, aurem*
tuam, exaudi me, Nam afflictus et miser ego sum! — *Custodi* 2.
animam, vitam *meam*, *nam pius*, tui cultor *ego sum!* *Adjuva*
servum tuum, tu, mi deus, fiduciam collocantem in te! — *Mi-* 3.
serere mei, domine, Nam ad te clamo quotidie! — *Laetitia* 4.
affice animam servi tui, Nam ad te, domine, animam meam
attollo, effero animum meum, ad te me converto! — *Nam tu,* 5.
domine, es benignus et paratus ad condonandum, Et magnae
gratiae erga omnes qui clamant ad te. — *Ausculta, Jova,* 6.
preces meas, Atque attende ad vocem suppliciorum meorum!
— *Quo tempore in angustiis versor, clamo ad te, Nam ex-* 7.
audis me. — *Nemo tibi similis est inter deos, domine, Et* 8.
nihil simile facinoribus tuis. — *Omnes populi, quos fecisti,* 9.
Veniant et prosternant se coram te, domine, Et honores ha-
beant nomini tuo! — *Nam magnus tu es et patrans mirabilia,* 10.
Tu, o deus, solus. Alii: *tu deus es solus.* — *Doce me, Jova,* 11.
viam tuam, quae tibi probatur agendi rationem! *Ambulabo in*
fide tua, servabo tibi fidem! *Uni cor meum ad timendum no-*
men tuum, dirige omnes motus animi mei, omnes meas cogita-
tiones eo, ut te timeam, colam! — *Celebrabo te, domine, mi* 12.
deus, toto meo corde, Et honore prosequar nomen tuum in
perpetuum, — *Quod gratia tua magna fuit erga me, Et eri-* 13.
puisti animam meam ex orco infimo i. e. pro eo, quod eripueris
me ex eo, in quo nunc versor, periculo mortis! Alii: *Nam*
gratia tua magna est erga me, Et eripis, eripies *animam meam*
cet., וְהִצַּלְתָּ habentes Praeteritum quod vocant propheticum;
Intelligendum esse periculum, in quo in praesenti versetur vates,
docent quae subjiciuntur. Male igitur praeteriti temporis aliquod

14. periculum nonnulli intelligunt. — *O deus, insolentes surgunt*
contra me, Et turba violentorum appetunt vitam meam, vitae
meae insidiantur; *Nec ponunt te ante se*, ante oculos suos, te
15. non curant. — *Et tu*, tu vero, *domine, deus es misericors et*
benignus, Tardus ad iram et magnae gratiae ac fidei. —
16. *Converte te ad me et miserere mei, Da praesidium tuum servo*
17. *tuo, Et adjuva filium servae tuae* i. e. servum tuum! — *Fac*
mecum, in me *signum*, facinus eximium *in bonum*, in bonam
partem, ita ut mihi benefacias, i. e. documentum ede favoris tui
in me eximium, *Ut videant osores mei et pudore afficiantur*,
spe sua frustrati, *Quod tu, o Jova, adjuvas me et conso-*
laris me!

1. **PS. LXXXVII.** *Corachitarum carmen, canticum* (30, 1.).
Temporis indicium nullum. Similia iis quae hoc carmine continentur vide Jes. 2, 2 sqq. 11, 10. 19, 25. Strophae tres: vs. 1—3; urbs Hierosolymitana sedes deliciaeque Jovae, 4—6: communis patria futura etiam exteris populis potentibus et opulentis, 7: plena illa gaudiorum. — Mira utitur neque ineleganti ut in fine sic ab initio brevitate vates. *Sedes ejus* i. e. Jovae i. e. urbs Hierosolymitana *in montibus sanctis* est. יְסוּדָתוֹ i. q. יְסוֹד *quod fundatum est*, habitatio, sedes. Intelligendam esse urbem Hierosolymitanam, perlucet ex verbis quae statim sequuntur *in montibus sanctis* i. e. collibus, quibus superstructa fuit urbs. Ex iisdem his verbis intelligitur, quod in יְסוּדָתוֹ inest Suffixum referendum esse ad Jovam (cf. ad 9, 13.), minime vero ad Sionem montem. Quod idem colligimus ex vs. 2. Nonnulli: *O fundata ejus*, ab eo cet., alii: *Quod attinet ad fundatam ejus*, ab eo cet., quarum interpretationum difficile dictu est utra sit ineptior. Alii conjunctim cum vs. 2: *Fundatam suam*, a se *in montibus sanctis* diligit, *Diligit Jova* cet. Alii ab initio scribarum incuria excidisse exisimantes לַיהוָה לְעוֹלָם צִיּוֹן עִיר: *Jovae in perpetuum* est *Sion, Urbs fundata ejus*, ab ipso *in montibus sanctis*. Quibus omnibus non opus esse vidimus supra.
2. — *Diligit Jova portas Sionis* i. e. urbem Hierosolymitanam
3. *Prae omnibus habitationibus Jacobi.* — *Gloriosa*, praeclara *lo-*
quuntur de te, Urbs dei! נִכְבָּדוֹת non habet vim Adverbii, ut
putant nonnulli, sed Accusativus est pendens ex מְדֻבָּר, quod
impersonaliter est positum, E. gr. min. §. 552. 572. cf. G. gr.
4. min. §. 140. — Qui nunc loquitur Jova est. „*Declaro Aegy-*

ptum et Babylonem, Aegyptios et Babylonios *cognoscentes me*, refero eos in numerum cultorum meorum; *En*, *Philistaea et Tyrus cum Aethiopia*, *Hic* i. e. hic Philistaeus, hic Tyrius, hic Aethiops, *natus est illic*," Hierosolymis, i. e. civis est Hierosolymitanus, civitatis Hieros. beneficio utitur. הִזְכִּיר פְּ׳ לְ׳ *declarare aliquem talem vel talem*. Dubito enim, num ferat parallelismus aliam interpretationem hanc: *memoro Aegyptum et Babylonem amicis meis*. זֶה unumquemque eorum, qui proxime ante memorati sunt, respicit, perinde ac si Plurali usus esset
scriptor. — Jam iterum vates: *Et de Sione*, urbe Hierosolymi- 5.
tana dicitur: „*Ad unum omnes*, undecunque terrarum homines *nati sunt in ea*, relati sunt in numero civium ejus, *Et ipse*
stabilit, tuetur *eam*, *altissimus*." — *Jova numerat conscribendo*, 6.
in civium indicem referendo *populos*: „*Hic*, inquiens, *natus est illic*" i. e. hic et iste et ille populus receptus est in civitatem Hierosolymitanam. כְּתוֹב nonnulli idem esse volunt quod כְּתָב,
librum, praeter necessitatem. — Hoc comma et ipsum ad Jovam 7.
est referendum. *Et cantantes pariter atque saltantes*, *Omnes fontes mei in te*, urbe Sionia (vs. 3. 5.) sunt, i. e. laeta omnia ac prospera omnia in te sunt, nam fontes prosperitatis imago, 73, 10. חוֹלֵל, *saltator*, non Part. K. ex חָלַל significatu petito ab חוּל, sed Nomen verbale Pil. verbi חוּל (cf. מְחֹלֵל *saltans*. Jud. 21, 23.), ut שׁוֹרֵר Ps. 5, 9. (ubi cf. not.) verbale Pil. ex שׁוּר, חוֹלֵל ibid. vs. 6. verbale Po. ex חָלַל. Alii חֹלְלִים *tibicines* significare putant a חָלַל, quod *tibia canendi* significatum habere volunt a חָלִיל. Eo tamen significatu gaudet *Pi.* forma 1 Reg. 1, 40. Verba כָּל־מַעְיָנַי בָּךְ negari non potest habere aliquid impediti hoc nexu. Itaque varii variis rationibus illa studuerunt emendare, ex quibus ea quae memoretur prae ceteris digna videtur, ex qua pro מַעְיָנַי legendum מְעִינַי (Part. Hi. ex עוּן) in hanc sententiam: *Et canunt saltatorum instar Omnes qui domicilium collocant in te*. Quum vero breviter dicta et abrupta atque impeditiora omnia sint in hoc Psalmo, adquiescere posse videmur in scriptura recepta.

PS. LXXXVIII. *Canticum*, *carmen* (30, 1.) *Corachita*- 1.
rum, *praecentori* (4, 1.) *ad modum* instrumenti *Machalath* dicti (6, 1.) *canendum*, *carmen* (14, 1.) *Hemanis*, *Esrachitae*. Quaenam fuerit, in qua re constiterit miseria, quam queritur scriptor,

dici nequit. Neque morbi aliquod indicium reperitur, nec de
qua alii cogitarunt captivitatis. Strophae sex: vs. 2—4: serva,
o Jova, 5—7: morti proximum, 8—10: ab omnibus dere-
lictum! 11—13: num mortui te celebrant? 14—16: ad te
me converto, 17—19: nam perditus miseriis ego sum. —
2. *O Jova, deus auxilii mei, Die clamo, nocte coram te,* die ac
nocte, continuo clamo coram te. יוֹם, opp. בַּלַּיְלָה, Accusativus
temporis. Posterius membrum non sine artis quadam elegantia
compositum est. נֶגְדֶּךָ enim etiam ad יוֹם צָעַקְתִּי, contra צָעַקְתִּי
etiam ad בַּלַּיְלָה נֶגְדֶּךָ pertinet. Alii: *Jova, deus auxilii mei,*
Quo tempore clamo, Nocte coram te sum! Alii conjunctim
cum vs. 3: *Jova, deus auxilii mei, Quo tempore clamo nocte*
coram te: Veniat cet. Quas aliasque contortas interpretationes
nisi tuis ipse oculis legeres, non crederes potuisse interpretibus
3. in mentem venire simplicissimo planissimoque in loco. — *Ve-*
niant coram te preces meae, Inclina aurem tuam ad clamorem
4. *meum!* — *Nam satura malorum est anima mea, Et vita mea*
5. *ad orcum inclinat.* — *Habeor cum descendentibus in foveam,*
sepulcrum, habeor instar mortui, *Sum instar viri sine robore,*
ut vir fractus, exsanguis i. e. mortuus, umbra. נֶחְשַׁב עִם E. gr.
ampl. p. 609. cf. Ps. 44, 23. 28, 1. Verba כְּגֶבֶר אֵין־אֱיָל eo
quo accepimus modo accipienda esse docet parallelismus. Ex quo
sequitur, non *veritatis* esse quod גֶּבֶר voci praemissum est כְּ.
6. Ad אֵין אֱיָל cf. E. gr. min. §. 608. — *Inter mortuos est stra-*
tum meum, Instar (E. gr. ampl. p. 614.) *confossorum*, inter-
fectorum, *qui jacent in sepulcro, Quorum non memor es,* cu-
ram habes *amplius, Et qui a manu tua* i. e. praesidio tuo
exclusi sunt. חֹפֶשׁ *stratio, stratum,* Ezech. 27, 20. Alii חָפְשִׁי
Adjectivum (a Subst. חֹפֶשׁ = חָפְשָׁה, cum terminatione adj. ִי)
esse volunt, quod significet *prostratum* aut *infirmum*, redduntque
בַּמֵּתִים חָפְשִׁי sic: *inter mortuos prostratus (infirmus)* sum.
Cui interpretationi duo potissimum obstant: unum, quod חָפְשִׁי
Adjectivum alias semper significat *liberum, immunem*, alterum,
quod, cum אֲנִי ad חָפְשִׁי cogitando suppleri non possit, חָפְשִׁי
deberet בַּמֵּתִים voci esse praemissum, ut pendere posset ex הָיִיתִי
7. vs. 5. — *Posuisti me in fovea profunda, In locis tenebrico-*
sis, in voraginibus. Quae maximorum periculorum sunt imagi-
8. nes; cf. 40, 3. 69, 3. 16. — *Mihi incumbit furor tuus, Et*
omnibus fluctibus tuis opprimis, sc. me, quod ex priore hemi-

stichio facillime suppletur cogitatione. כָּל־מִשְׁבָּרֶיךָ Accusativus,
E. gr. min. §. 515. *Fluctus* et ipsi periculorum imago, 18, 5.
17. 32, 6. 69, 2 sq. 124, 4 sq. — *Amovisti*, avertisti *notos* 9.
meos a me, *Fecisti me abominationem*, detestabilem *illis*, cf.
vs. 19. 31, 12. al., *Clausus sum*, *nec possum evadere*, conclusus
sum malis undique, nec patet mihi uspiam ex his exitus. —
Oculus meus tabescit prae miseria, cf. 6, 8. 69, 4., *Clamo* 10.
ad te, *Jova*, *quotidie*, *Expando ad te manus meas*. — *Num* 11.
mortuis facies mirabilia, i. e. num mortuo vis succurrere? succurre mihi, dum vivo, nam mortuus si fuero, serum mihi veniet auxilium tuum! *An manes surgunt*, *celebrant te*? cf. 6, 6.
— *Num narratur in sepulcro gratia tua*, *Fides tua in ba-* 12.
rathro? — *Num innotescunt in tenebris miracula tua*, *Et* 13.
justitia tua in terra oblivionis, ubi nullius rei, quae ad vitam pertinet, memoria est amplius? — *Ego jam ad te*, *Jova*, *voci-* 14.
feror, *Et mane*, multo mane *preces meae occurrunt tibi*. —
Cur, *o Jova*, *rejicis animam meam*, me, *Occultas faciem tuam* 15.
a me? — *Afflictus*, miser *ego sum et exspirans*, animam agens, 16.
in vitae discrimine versans *a pueritia*, inde ab omni tempore, *Perfero terrores tuos*, *consilii inops sum*. Quod reliquis locis quibus legitur *juventutem* significat, eoque significatu a veteribus omnibus hic quoque accipitur, נֹעַר, recentiorum aliquis *excussionem*, hinc *concussionem*, *perturbationem* (a נָעַר excutere) vult significare hoc loco, ea de causa, quod solam praesentem miseriam queratur vates. Quae causa quam levis sit facile est ad intelligendum. Ceterum non dixerim cum etymologis, primitivum esse נֹעַר nomen. Videtur enim נַעַר dictus esse *adolescens* (hinc etiam gen. *puer*) ab *excutiendo* (נָעַר) vincula infantiae. פּוּן quod praeter hunc locum non reperitur, idem haud dubie est quod arab. أَفِنَ, diminutum esse, hinc *infirma mente*, *consilii inopem esse*. LXX: ἐξηπορήθην, Vulg. *conturbatus sum*. —
Me obruunt, opprimunt *irae tuae*, *Terrores tui prorsus per-* 17.
dunt me. בִּעוּתֶיךָ Nomen dagessatum s. deriv. Pi. a בָּעַת *timuit*, Pi. בִּעֵת *terruit*. צִמְּתוּתֻנִי fortior amplificandi forma ex simplici צִמְּתוּנִי (Pi.), repetita tertia radicali una cum terminatione pers., facta, cf. אָהֲבוּ הֵבוּ Hos. 4, 18. coll. E. gr. ampl. p. 201. min.
§. 233., nisi mavis lapsum esse scribentis. סַבּוּנִי *Circumdant me* 18.
(terrores tui, vs. 17.) *instar aquarum quotidie*, *Cingunt me*

19. *simul.* — *Removisti a me amicum et socium, Nati mei sunt tenebrae*, eos non amplius video, subtraxerunt se oculis meis, deseruerunt me. Alius מַחְשָׁךְ esse vult Subjectum, מְיֻדָּעַי Objectum, ut tenebras vates suos dicat familiares, coll. Job. 17, 14: *sepulcrum appello patrem meum.* Quod vereor ut idoneum sit ad parallelismum.

1. PS. LXXXIX. *Carmen* (14, 1.) *Ethanis*, *Esrachitae.*
Vere jam alii monuerunt, vel in ipsis fere regni Judaici extremis, vel sub exsilii initiis factum esse carmen, indicare vs. 39. et sqq. Ibi tamen quum non dirutae urbis eversique templi fiat mentio, videri ante expugnatam a Chaldaeis urbem compositum esse. Qui loquitur non est rex aliquis, sed populus, cf. vs. 19. Qui deploratur rex vs. 39 sqq. collective capiendus videtur. Strophae undecim: vs. 2—5: promissa canam Davidi facta a deo, 6—9: optimo maximo, 10—15: potentissimo, justissimo, clementissimo, fidissimo, 16—19: cujus tutela gaudent Israelitae! 20—25: Davidi enim Jova promisit de subigendis hostibus, 26—29: de proferendo imperio longe lateque, 30—33: de puniendis quidem, si deliquerint, posteris, 34—38: minime tamen delendis, sed perpetuo servandis. 39—42: at ille regem a se constitutum de statu suo nunc deturbavit, 43—46: hostium permisit arbitrio in ipso flore aetatis. 47—52: utinam
2. quod Davidi est pollicitus Jova praestet! — *Beneficia Jovae perpetuo canam, In omnes aetates notam faciam fidem tuam*
3. *ore meo!* עוֹלָם Acc. — *Nam dico*, sic statuo in animo meo, ita persuasum habeo: *in perpetuum gratia* (tua) *est aedificata*, condita quasi instar aedificii firmi, *In coelis firmas fidem tuam* i. e. sempiterna est fides tua, cf. vs. 37 sq. שָׁמַיִם Nomin. absol.
4. Alius: *Coelos stabilivisti, fidem tuam in iis.* — Subjiciuntur verba Jovae foederis cum Davide initi (2 Sam. 7, 12 sqq.) mentionem facientis. „*Sancivi foedus cum electo meo, Juravi Da-*
5. *vidi, servo meo:* — *In perpetuum stabiliam semen tuum*, posteros tuos, *Et aedificabo in omnes aetates solium tuum.*“ —
6. Quae promissa respiciens vates dei jam celebrat potentiam, justitiam, clementiam, fidem. *Et celebrant coeli mirabilia tua*, facinora a te facta cultorum tuorum in gratiam, *o Jova, Atque fidem tuam* celebrant *in coetu sanctorum*, angelorum. Q. d. Atque haec tua promissa speramus te esse servaturum, utpote

cujus admiranda facinora cet. celebrent coeli cet. — *Nam quis* 7.
in nubibus, in caelo *comparationem instituet*, se comparabit
Jovae, *Similis est Jovae inter filios deorum*, angelos? De
בְּנֵי אֵלִים cf. ad 29, 1. — *Deus terribilis est in consessu san-* 8.
ctorum, angelorum *valde*, *Et formidabilis super*, magis quam
omnes qui sunt circum eam. Alii hunc versum appositione co-
haerere putant cum לַיהוָה vs. 7. in hanc sententiam: (Quis si-
milis est Jovae ...) *Deo terribili* cet. Quum לְ Praepositio non
sit repetita, tutius videtur prius illud. רַבָּה nonnulli Adjectivum
esse volunt construendum cum סוֹד. At masculini generis hoc
nomen est. Nullius momenti est, quod claudicante pede sequi
dicunt si Adverbium habeatur רַבָּה. Sequi enim claudicante
gressu, hoc ipsum proprium est Adverbiorum hebraicorum. —
Jova, *deus exercituum*, *Quis est sicut tu*, *potens*, *Jah! Et* 9.
fides tua circum te est, te circumdat ab omni parte, nonnisi
fidus, totus fidus tu es. — *Tu dominaris in fastum*, fremitum 10.
(cf. ad 46, 4.) *maris*, *Cum sese efferunt fluctus ejus*, *tu com-*
pescis eos. שׂוֹא E. gr. ampl. p. 460., min. §. 354. — *Tu* 11.
contrivisti, *ut aliquem confossum*, *Aegyptum*, *Brachio tuo ro-*
busto dispersisti hostes tuos. רַהַב nonnulli cum LXX, Vulg.
Syr. appellativo *insolentiae*, insolentium significatu acceptum vo-
lunt. Apposite tamen hic memoratur divinae potentiae omnium
maxime memorabile documentum, Aegyptiorum inquam in sinu
Arabico clades. — *Tibi sunt coeli et tibi terra*; *Orbem et* 12.
quidquid implet eum, *tu fundasti ea.* — *Septentrionem et me-* 13.
ridiem, *tu creasti ea*, *Tabor et Hermon* i. e. occidens et oriens,
Tabor enim occidentem versus, Hermon orientem versus erat
situs, *de nomine tuo jubilant.* — *Tibi est brachium cum for-* 14.
titudine, forte, *Robusta est manus tua*, *alta dextera tua.* —
Jus et justitia sunt fundamentum solii tui, his nititur solium 15.
suum, *Gratia et fides praecedunt faciem tuam*, tanquam tui
satellites. — *O felicem populum*, *qui scit tubae clangorem*, 16.
clangore tubae convocari solet ad agendos dies Jovae sacros,
offerenda Jovae sacrificia, i. e. qui te deum colit, *O Jova*, *in*
luce faciei tuae qui ambulant i. e. te propitium habet, tua gratia
fruitur, cf. 4, 7. 36, 10., — *Propter nomen tuum exultant* 17.
quotidie, *Et propter justitiam tuam se efferunt*, justitia tua
gloriantur! — *Nam decus roboris eorum tu es*, h. e. tu exornas 18.
eos robore, potentia, *Et favore tuo effers cornu nostrum*, nos

reddis potentes, superiores hostibus nostris. Pro תָּרִים Masore-
19. thae praeter necessitatem תָּרוּם, *se effert* legi volunt. — *Nam*
Jovae est, a Jova constitutus (cf. 47, 10.) *clypeus noster*, i. e.
rex noster (cf. ibid.), *Et sancti Israelis rex noster*. Qui sen-
sus cum ad praecedentia pariter atque ad sequentia, ad quae
transitum haec verba parant, sit aptus, nulla adest causa, cur
לְ Nominativi signum habeas. *Rex* generatim de quovis Israeli-
20. tarum rege est intelligendus. — Persequitur jam, quae supra
vs. 4. 5. dicere coepit. — *Tunc*, cum foedus illud fecisti, *locutus*
es in oraculo, Davidi per Nathanem communicato (2 Sam. 7, 4
sqq.), quod ipsum vs. 17. ejus cap. חִזָּיוֹן vocatur, *ad pium tuum*,
Nathanem, quo Jova usus est interprete, vel Davidem, cui pro-
missum illud est factum, nam quod de Davide loquens tertia
persona utitur Jova, non impedit, quominus ad ipsum Davidem
verba directa habeantur, *Et dixisti: „imposui auxilium heroi*,
auxilium praestiti ei, cf. 21, 6., *Extuli juvenem e populo*. בָּחוּר
21. alii *electum* interpretantur, non minus apte. — *Inveni Davidem*,
22. *servum meum*, *Oleo meo sancto unxi eum*. — *Quocum manus*
mea firma erit, cui manus mea praesto erit constanter, *Et*
23. *quem brachium meum roborabit*. — *Non decipiet*, inopinantem
obruet, opprimet *hostis eum*, *Et improbus non affliget eum*.
יַשִּׁיא alii *exiget*, *violenter tractabit* reddunt, vocem repetentes
a נָשָׁא, נָשָׁה *mutuum dare*, cujus Hi. putant significare *exacto-*
rem agere, *exigere*, deinde translate *violenter tractare*. Quae
significatio ad parallelismum paullo accommodatior quidem sed
multo incertior altera est. Contra leve est, quod הִשִּׁיא *decipere*,
subito obruere nusquam cum בְּ constructum reperiri monent.
Nihil enim frequentius ista Praepositione in adoriendi, adprehen-
24. dendi verbis. Ad בֶּן־עַוְלָה cf. 2 Sam. 7, 10. — *Et contundam*
25. *coram eo adversarios ejus*, *Et osores ejus percutiam*. — *Et*
fides mea et gratia mea cum illo erit, *Et per nomen meum*,
26. per me *se efferet cornu ejus*. — *Et ponam in mari manum*
ejus, *Et in fluviis dexteram ejus*, i. e. et possidendam illi dabo
universam terram sitam mare medium inter et Euphratem atque
Tigrim; cf. 72, 8. Possit tamen non obstante articulo praemisso
יָם et נְהָרוֹת vocibus hic quoque subesse sensus: faciam ut do-
27. minetur in maria omnia et flumina i. e. longe lateque. — *Is*
compellabit me: „pater meus tu es, *Deus meus et petra*
28. *salutis meae!*" cf. 2 Sam. 7, 14. — *Imo ego primogenitum*

faciam illum, quod quid sit statim dicitur, *Altissimum regum*
terrae. Reges sunt Jovae filii, 82, 6.; hinc regum praestantis-
simus ejusdem est primogenitus. — *In perpetuum servabo illi* 29.
gratiam meam, *Et foedus meum* cum illo initum *firmum erit*,
manebit *ei*. אֶשְׁמוֹר־לוֹ, Masorethae אֶשְׁמָר־; vid. ad 26, 2. Jud.
9, 8. — *Et faciam aeternitatem* i. e. aeternum *semen ejus*, 30.
Et solium ejus sicut dies coelorum, tam diuturnum, quam diu-
turni sunt coeli; cf. infra vs. 37. et 72, 4. 7. 17. Ad rem vid.
2 Sam. 7, 12. 16. — *Si reliquerint filii*, posteri *ejus legem* 31.
meam, *Et in juribus meis non ambulaverint* (cf. ad 1, 1.); —
Si statuta mea violaverint, *Et jussa mea non observaverint*: 32.
— *Puniam virga delictum eorum*, *Et plagis culpam eorum*; 33.
cf. 2 Sam. 7, 14.; — *Et*, sed *gratiam meam non rumpam*, 34.
avertam *ab eo*, *Nec frangam fidem meam*; — *Non violabo* 35.
foedus meum, *Et quod egressum est ex labiis meis*, quod pro-
locutus sum, verba mea (cf. Num. 30, 18. Deut. 23, 24.) *non*
mutabo. — *Semel juravi per sanctitatem meam*, per me: 36.
„„*Haudquaquam Davidi mentiar!* — *Semen ejus in perpetuum* 37.
erit, manebit, *Et solium ejus* erit *instar solis coram me*, per-
petuo durabit; cf. 72, 5. 7. 17. — *Instar lunae constabit per-* 38.
petuo! Et testis in nubibus est fidus.““ Testis in nubibus
neque luna est, nec cum sole luna, nec arcus coelestis, sed ipse
deus. Sensus: Atque haec qui testatus, prolocutus est, promisit
in coelo deus, est fidus. Quod de se ipse dicit deus, cf. vs. 36.
Qui sensus latere interpretes non potuisset, si reputassent, in
fine orationis quandoque sufficere parallelismum quem dicunt for-
malem. — Verum enim vero non servasti, quod pollicitus es, 39.
o Jova! Simillima vidimus 44, 10 sqq. *Et tu*, tu vero *reje-*
cisti ac repudiasti! *Succensuisti uncto tuo*, regibus tuis novis-
simae aetatis! Et sic porro; cf. vs. 19. — *Rejecisti foedus* 40.
servi tui, initum cum servo tuo, *Profanasti ad solum* prosternens
coronam ejus. נֵאַר quod nonnisi in Pi. hoc loco et Thren.
2, 7. legitur, fortasse ortum est ex נָעַר *excussit*, *decussit*, hinc
dejecit, *abjecit*. חִלֵּל לָאָרֶץ ut 74, 7. — *Destruxisti omnes* 41.
muros ejus, *Fecisti munimenta ejus ruinas*. Falluntur, qui
regem hoc loco vineae, mox urbi munitae comparari putant.
Intelligenda sunt moenia et munimenta urbium Israeliticarum,
quae rectissime dicuntur esse *regis*. — *Praedantur eum*, ejus 42.
civitatem *omnes qui praetereunt via*, *Factum est probrum vi-*

43. *cinis tuis.* — *Extulisti dexteram adversariorum ejus, Laetitia*
44. *affecisti omnes hostes ejus.* — *Atque retrorsum vertisti aciem*
45. *gladii ejus, Nec consistere fecisti eum in bello.* — *Desinere*
fecisti de splendore ejus, detraxisti ei maximam partem splen-
doris, *Et solium ejus ad terram dejecisti.* „Verbum הִשְׁבִּית
sq. מִן constructum habes Ezech. 34, 10. (וְהִשְׁבַּתִּים מֵרְעוֹת צֹאן
et cessare faciam eos, ut non amplius pascant gregem), ad
cujus loci normam h. l. reddendum pt. *desinere facis, ut non*
amplius sit splendor ejus; vel, quod malim, est constructio
praegnans pro: *desinere facis* et detrahis *de splendore ejus.*
Ceterum quum nomina formae מְהָר incertae auctoritatis sint, vide
sitne potius trajecto Schwa legendum מִטְּהָרוֹ, a vulgari טֹהַר."
Gesen. Mihi, fateor, facillima et simplicissima loci expediendi
ratio ea videtur, ex qua מִן partitivum habetur. Convenit etiam,
qui ex illa sensus nascitur, in temporum rationes, quae fuerunt
ante expugnatam a Chaldaeis urbem, utpote tristissimas quidem,
necdum tamen prorsus desperatas. Sed ne premi quidem verba
fas est. Verum enim si quaeris, vix quidquam interest, utrum
deus regi *splendorem*, an *de splendore* detraxisse dicatur. Ad
מְהָר formam quod attinet, ea non sollicitanda videtur, cf. קְרָב,
46. אֱיָל, אֱסָר, עֲבָד al. — *Decurtasti dies juventutis ejus, Texisti,*
operuisti *eum pudore.* Quae priore hemistichio continentur, re-
ferenda sunt eo, quod ultimi Judaeorum reges paucos tantum per
47. annos imperium tenuerunt, 2 Reg. 23, 31 sqq. — *Quousque, Jova,*
occultabis te, offenso animo te avertes a nobis *in perpetuum,*
Ardebit instar ignis ira tua? De verbis: עַד מָה .. לָנֶצַח vid.
48. quae observavimus ad Jer. 8, 5. — *Memento, quaeso, quid sit*
vita, quam breve sit vitae tempus, *Cujus nihili causa crea-*
veris omnes homines, utpote ad immaturam mortem a te condi-
tos! Ab initio versus scriptum a Masorethis reperimus זְכָר־אֲנִי,
quasi sensus prioris hemistichii hic esset: *memento mei! quid*
est vita? Quamquam vero Pronomen separatum haud raro vices
sustinet Pronominis suffixi, tamen id nunquam fit, nisi praegresso
Suffixo (ut si diceretur: זָכְרֵנִי אֲנִי), ita ut זְכָר־אֲנִי positum
pro זָכְרֵנִי careat exemplo. Itaque recentiorum aliquis אֲנִי ad
sequentia trahens: *memento, ego quid aevi sim* i. e. quam brevis
aevi! Non male hoc quidem. Habet tamen, cum populus lo-
quatur, aliquid incommodi, quomodocumque intellectum fuerit,
אֲנִי. Hinc alii pro זְכָר־אֲנִי legendum putarunt זְכֹר אֲדֹנָי me-

mento, domine, quod ipsum legitur vs. 51. Id vero nullo in
libro reperitur. Vide igitur, sitne legendum זְכָר־נָא *memento,*
quaeso (quaesumus), quod scriptum exhibet K. cod. 607. Vim
veram verborum עַל־מַה־שָּׁוְא vereor ut recte intellexerint inter-
pretes. עַל־מָה nihil est aliud quam *propter quid* (hinc *quare*
Jer. 9, 11. al.), hinc עַל־מַה־שָּׁוְא: *propter quid nihili, cujus*
nihili causa. — *Quis vir vivit, et non vidit mortem, Eripit* 49.
animam suam e manu orci? quis enim est inter homines, qui
mortem possit effugere? — *Ubinam sunt beneficia tua pristina,* 50.
domine, Quae adjurasti, jurando promisisti *Davidi per fidem*
tuam? — *Memento, domine, probrum servorum tuorum*, contu- 51.
meliam qua afficimur nos, tuus populus, *Portare meum in sinu*
meo omnes hos multos populos, memento, sustinere me in media
mea terra ingentem hostium multitudinem! Nonnulli posterioris
hemistichii hunc sensum faciunt: (memento,) curae mihi esse
tam multos meos cives! Qui sensus commodus esset, si loque-
retur rex aliquis. At populum loqui, vidimus supra. Accedit,
quod neque ad antecedentia neque ad ea quae subjiciuntur aptus
est ille sensus. Alii, quos non fugit, populum loqui, עַמִּים
recte quidem judicarunt *populos hostiles* esse; sed quod sensum
faciunt hunc: (memento,) ferre me in sinu meo convicia tam
multorum populorum, in eo falsi esse videntur et ipsi. Possitne
enim *ferre in sinu multos populos* dici pro *ferre illorum con-*
vicia, id equidem dubito vehementer. Verba כָּל־רַבִּים עַמִּים
proprie accipienda sunt, חֵיקִי vero de *media Israelitarum terra*
hoc nexu est intelligendum. Sic לֵב de *media parte, interiori-*
bus, penetralibus dicitur, velut maris, coeli. Israelitarum rebus
ad finem vergentibus eorum terram obrutam tenuisse Chaldaeos,
Syros, Moabitas, Ammonitas, narratum legimus 2 Reg. 23, 31 sqq.
Ceterum רַבִּים Nomini suo cum vi praemissum est. Exemplum
vide Jer. 16, 16. — Arcte haec cum superiore versu cohaerent 52.
hoc modo: *Qui* (populi) *conviciantur, hostes tui, o Jova, Qui*
conviciantur vestigiis uncti tui i. e. probris petunt regem, quo-
cunque ingreditur, quidquid egit. אוֹיְבֶיךָ appositione cohaeret
cum אֲשֶׁר חֵרְפוּ, nisi mavis verba sic struere: *Qui conviciantur,*
hostes tuos memento, o Jova! Sed prius praeferendum. Alii
אֲשֶׁר ad חֵרְפוּ referunt: *Quo* (probro) *conviciantur hostes tui,*
o Jova, quod durius, qui justo longius remotum est illud nomen.
Magis placeret aliorum *quod*, ὅτι. — Doxologia tertii qui hic 53.

clauditur libri. *Laudetur Jova in sempiternum! Amen! et Amen!*
cf. 41, 14. 72, 18.
1. PS. XC. *Preces Mosis, viri dei.* Qui fuerit scriptor,
quae occasio carminis sententiarum sublimitate et ubertate in-
signis, dici nequit. Ex vs. 13. et seqq. tamen colligi posse vi-
detur, post exsilium Babylonicum factum esse carmen. Strophae
tres: vs. 1 — 6: sempiternus deus est, hominum vita caduca,
7 — 12: caduca et misera ipsorum culpa; 13 — 17: multorum
annorum miseria perditos gratiose respice, o deus, atque res
nostras iterum fortuna! — *Domine, refugium tu fuisti nobis*
2. *Per omnes aetates.* — *Priusquam montes*, antiquissimi illi et
sempiterni (Deut. 33, 15. Hab. 3, 6.) *nascerentur, Et* priusquam
*fingeres terram et orbem, Et ab aeternitate ad aeternitatem
tu es, o deus!* וַתְּחוֹלֵל nonnulli pro tertia fem. habent red-
duntque illud et quae proxime sequuntur sic: *et* priusquam *pa-
reret terra et orbis* sc. quidquam, animalia et plantas. Sed
quem nos fecimus sensus ad primum membrum manifeste est
aptior. Quemadmodum enim in primo *priusquam montes* (quos
terrae fundamenta esse fingebant Hebraei) *nascerentur* dictum
est, sic fas est dici in secundo: *priusquam terra nasceretur*,
vel quod eodem redit, *priusquam fingeres terram.* אֶרֶץ *terra*
(propr. *inferius*) opp. coelo (שָׁמַיִם *loca superiora*); תֵּבֵל *orbis
habitatus.* Copula praemissa membro tertio non est otiosa,
quandoquidem novum et majus quid subjicitur. אַל non dixerim
3. esse Praedicatum. — *Reverti facis hominem ad pulverem*, redigis
hominem in pulverem, *Et dicis: „revertimini*, intellige: in
pulverem, *homines!*“ דַּכָּא *contritus*, Subst. *contritum*, poet.
pro עָפָר *pulvis;* cf. 104, 29. Gen. 3, 19. שׁוּבוּ nonnulli: *redite*
in lucem, vitam alii!: ut deus alios in pulverem redigere, alios
in vitam vocare dicatur. Sed sola de brevitate vitae et celeri
4. interitu hic verba fiunt. — *Nam mille anni in oculis tuis* sunt
Ut dies hesternus ubi praeteriit, ut dies hesternus praeteritus,
Et vigilia in nocte, nocturna. Quorum verborum sensum ne-
xumque cum iis, quae praecesserunt, Rosenmüllerus vix alium
esse posse opinatur, nisi hunc: „tempore omnino brevissimo
hominum vitam concludis, quantacunque etiam sit aetas eorum;
nam etiamsi mille annos vivendo superet aliquis, mille anni illi
tibi ex aeternitatis tuae aestimatione sunt instar diei hesternae
praeteritae.“ Verum quis tandem brevem esse vitam humanam

ob id queratur, quod, quantaecunque concessa sit aetas, tamen
comparata cum aeternitate dei instar nihili habenda sit? Non
hominum, sed dei sunt mille isti anni, nec vitae humanae bre-
vitas, sed aeternitas hic describitur dei, apud quem mille, quos
ipse vivat anni sint instar unius quem nos vivamus diei. Nexus,
quo hic versus cum superiore cohaeret hic videtur esse: nos in
pulverem redigimur, *nam* tu solus es aeternus. יַעֲבֹר non potest
non habere vim Praeteriti. — Qui sequuntur duo versus arcte 5.
inter se cohaerent. *Abripis eos*, homines, *somnium sunt*, tam
fluxi et fugaces, ut somnium; *Mane instar graminis proger-
minat* homo, — *Mane*, inquam, *floret et progerminat*, *Vespere* 6.
succiditur et exarescit. זָרַם 'ם propr. *inundare* aliquem, i. e.
eum praeter opinionem atque ita auferre, ut nulla sit evadendi
facultas. Alius: *Si aufers eos*, *somnus sunt*, soporem aeternum
dormiunt, coll. 13, 4. 76, 6. Sed durius est, dici aliquem *esse
somnum*, pro *dormire soporem aeternum.* Alia ratio est locorum
quos laudavit vir doctissimus. Alius: *Effundis eos* i. e. procreas
eos, coll. זִרְמַת Ezech. 23, 20., *somnus sunt*, dormiunt in utero
matris (!). בַּבֹּקֶר opp. לָעֶרֶב. Sensus: *mirdum* germinat, *quum*
exarescit. חָלַף nonnulli utroque versu *praeterlabi*, *cito trans-
ire*, *interire* significare volunt, quorum quominus probemus
sententiam, hoc obstat, quod vs. 6. illo admisso significatu tur-
bantur omnia. חָלַף utroque loco est *progerminare*, propr. *per-
labi*, *pertransire* sc. solum, hinc de planta: *erumpere*, *emergere*
(male etymologi: *pertransire facere*, quae vis inest in Hi.);
cf. פָּרַח *erumpere*, de plantis: *pullulare*. Ex recentioribus non-
nemo חָלַף alio (*pereundi*) significatu vs. 5., alio (*germinandi*)
vs. 6. gaudere opinatus est. Quod inventum dubito an juvenili
interpreti aliquis sit gratulaturus. Idem negat verborum יַחֲלֹף,
יָצִיץ rel. Subjectum esse hominem, utpote qui non possit dici
progerminare, *exarescere*. Quasi vero, ubi plantae comparatur
homo, non eleganter quae plantae propria sunt transferantur in
hominem! יְמוֹלֵל impersonaliter est positum. — *Nam conficie-* 7.
mur ira tua, *Et furore tuo percellimur*, perculsi deficimus. —
Ponis delicta nostra ante te, ante oculos tuos, *Occultum no-* 8.
strum, occulta nostra delicta *ad lucem faciei tuae*, non latere
sinis, sed in conspectum producis oculorum tuorum cuncta per-
spicientium. Ad עֲלֻמֵנוּ cf. נִסְתָּרוֹת 19, 13. Multi et scripti et
editi libri: עֲלֻמֵינוּ vel עֲלוּמֵינוּ plurale exhibent, quae scriptura

9. manifeste parallelismi studio debetur. — *Nam omnes dies nostri*
inclinant, abeunt *iracundia tua*, *Consumimus annos nostros*
instar cogitationis, tam cito. פָּנָה *vertere se ad discedendum*,
inclinare, ut Jer. 6, 4. הֶגֶה *cogitatio*, *cogitatum*, cf. הָגוּת.
10. Sed convenit etiam *suspirii* significatio. — *Dies annorum no-*
strorum, *in iis* sunt, iis continentur *septuaginta anni*, *Et si*
cum viribus, si viribus praediti sunt animi corporisque, si fir-
mioris aliquanto naturae est aliquis, *octoginta anni*, *Et superbia*
eorum, id quo maxime superbiunt, quod optimum in iis et prae-
clarissimum est, *labor est et vanitas*, *Nam transit cito res et*
avolamus. יְמֵי שְׁנוֹתֵינוּ Nomin. absol. non sine vi positus, ut
qui moveat expectationem. גָּז impersonaliter accipe. חִישׁ Adv.
11. — *Quis norit vehementiam irae tuae*, *Et pro timore tui*, pro
timore te digno, i. e. pro terrore quem tu injicis, *iracundiam*
tuam? quis poterit mente assequi irae tuae in pravos homines
grassantis vehementiam, proinde ut terribilis tua potentia postu-
lat eam intelligi? Alii כְּיִרְאָתְךָ esse volunt: ut pietas postulat,
12. quod non videtur convenire. — *Numerare dies nostros itaque*
doce, *Ut venire faciamus* i. e. acquiramus *cor sapiens!* כֵּן
13. *sic*, *quae cum ita sint*, *itaque*. — *Revertere*, noli amplius
aversus esse a nobis, *o Jova? Quousque?* quousque irasceris?
14. *Et miserere servorum tuorum!* — *Satia nos mane*, mature, cito
(46, 6.) *gratia tua*, *Ut jubilemus et laetemur per omnes dies*
15. *nostros!* — *Laetitia affice nos secundum dies*, quibus *afflixisti*
nos, *Annos*, quibus *vidimus*, experti sumus *malum*, calamitatem!
כְּ pro ratione, numero. יְמוֹת עִנִּיתָנוּ, שְׁנוֹת רָאִינוּ E. gr. min.
16. §. 487. — *Conspiciatur*, appareat *servis tuis opus tuum*, in-
telligunt magnum aliquod, quo serventur facinus, *Et majestas*
17. *tua*, potentia tua salutem afferens *filiis eorum!* — *Sit gratia*
domini, *dei nostri*, *super nobis!* *Et opus manuum nostrarum*
confirma super nobis, nos protegens, *Et opus manuum nostra-*
rum, *confirma illud!* Quod opus manuum suarum dicunt, possit
esse instauratio reipublicae et urbis sanctae, nam quae praece-
dunt, praesertim quae vs. 15. dicta sunt, exsilii Babylonici tem-
pora prodere videntur.

1. PS. XCI. „Docet vates, quam tutus vivat ab omni malo
is, qui se totum firma fiducia deo credit custodiendum in omni-
bus omnis generis periculis, et se suaque omnia ei committit et

permittit. Personarum enallagae in hoc Psalmo frequentiores sunt, quam in ullo alio, quae et in unius versus (9.) diversis membris variant. J. D. Michaelis duos per omnem Psalmum sibi respondere choros existimat, alterum deo confidentium in adversis, alterum hos ad spem erigentium, eorumque admirantium felicitatem. Prior chorus loqui ei videtur vs. 1. et 2., secundus respondere vs. 3—8., denuo loqui primus in primo versus noni hemistichio, atque inde usque ad finem versus 13. secundus, tandem autem deus interloquutor venire.“ Ros. In quam eandem sententiam, simulatque Psalmum perlegeram, incidi et ego. Verum quidem est, saepius Psalmorum scriptores subito a prima ad secundam personam transire alloquentes se ipsos, velut 27, 14. 121, 3 sqq. Singulare tamen et maxime proprium hujus Psalmi hoc est, quod *bis* et *non sine ratione* mutatur prima persona in secundam, *ineunte*, inquam, et *medio* fere Psalmo (vs. 3. et 9, b.), quod *utroque*, quo prima persona utitur vates, loco deus appellatur *refugium* (vs. 2. et 9, a.), denique quod *primam* ac *secundam* personam sub finem, ubi deus loquens inducitur, excipit *tertia*, ita ut tres sane videantur esse chori, unus fiduciam in deo repositam testantium, alter ad eam fiduciam excitantium, tertius dei spem in se collocatam non ad irritum casuram esse dicentis agentium personam. Leve mihi videtur, quod negant divelli posse versum nonum. Tantum enim abest, ut aliquid detrimenti capiat parallelismus eo, quod hemistichium prius ad chorum primum, posterius ad secundum refertur, ut mirifice augeatur, simulatque decantato vel potius recitato (!) a primo choro hemistichio priori statim ac sine mora supervenisse statueris chorum secundum. — Chorus primus: *Qui sedet in lati-* 1.
bulo altissimi, qui dei est tutelae, *In umbra omnipotentis per-*
manet, is tutus permanet ab omnibus malis. לִין *permanere*, ut
25, 13. 49, 13. Primaria haec totius Psalmi sententia est. —
Dico ad Jovam: refugium meum et arx mea! Mi deus, in 2.
quo fiduciam colloco! Alii: *Dico ad Jovam: refugium meum*
es tu ct. Sed ita vix posset abesse אַתָּה. — Respondet jam 3.
chorus secundus. *Nam is eripit te e laqueo aucupis*, ex insidiis, *E peste perniciosa*, ex praesentissimo mortis periculo. —
Penna sua tegit te, Et sub alas ejus confugis, Scutum et 4.
clypeus est fides ejus. Incertior est significatio סֹחֵרָה-nominis.
Nam qui sub eo subjicitur *clypei* s. *scuti* s. *parmae* significatus,

sola auctoritate nititur interpretis Chaldaici, qui עֲגִילָא reddidit.
Possit et *turrim, arcem* significare, quo significatu gaudet syr.
ܣܚܪܬܐ, quamquam *clypeus* ad nexum accommodatior est. Ex
etymo (circumdandi, tuendi verbo) certi quidquam colligi nequit.
5. — *Non est quod timeas a timore noctis*, *A sagitta*, quae
6. *volat interdiu*; — *A peste*, quae *in caligine incedit*, *A lue*,
quae *vastat meridie*. Omnino omnia quocunque tempore eve-
niunt pericula intelligit. יָשׁוּד E. gr. ampl. p. 472. G. gr. min.
7. §. 66. adn. 9. — Quodsi *cadunt* (39, 12.) *a latere tuo mille*,
Et decem millia a dextera tua: Ad te id non *appropinquat*.
8. יִגָּשׁ impers. est positum. — *Tantum oculis tuis spectas*, stragem
puta aliorum (vs. 7.), nonnisi incolumis spectator es cladis,
quam accipiunt alii, *Et retributionem*, poenam *improborum vi-
des*. Alius: *Profecto oculis tuis spectabis* cet. Quae interpre-
tatio ea potissimum de causa rejicienda est, quod praecipuum
quod hic agitur est ejus, qui fiduciam in Jova collocat, omnium
malorum immunitas, non autem improborum clades. Ad hoc cf.
9. not. ad 32, 6. — Chorus primus: *Nam tu, o Jova*, es *refugium
meum* (cf. vs. 2.). Ad quae iterum chorus secundus (cf. vs. 3
10. sqq.): *Altissimum posuisti praesidium tuum*. — *Non obvenit
tibi malum*, *Et plaga non appropinquat ad tentorium tuum*,
11. habitationem, familiam tuam. — *Nam angelos suos demandat
tibi*, tua causa, *Ut custodiant te in omnibus viis tuis*. —
12. *Super manibus portant te*, *Ne offendat ad lapidem pes tuus*.
Alii posterius hemistichium: *Ne allidas ad lapidem pedem tuum*.
Sed cf. Prov. 3, 23: *Tunc ibis secure viam tuam*, וְרַגְלְךָ לֹא
13. תִגּוֹף *et pes tuus non offendet*. — *Super leone et vipera in-
grederis*, *Calcas leonem juvenem et serpentem*, i. e. tutus in-
grederis super illis, si tibi fuerit super illis ingrediendum. שַׁחַל
leonem dictum putant a سَحَلَ *rudit* mulus, a quo est سُحَالٌ
vox in pectore asini reciprocata, ruditus. Quum سَحَلَ etiam
significet *decorticare*, *deradere*, possit leo etiam a *detrahendo*
cutem, a lacerando שַׁחַל dictus esse, cf. אֲרִי et לָבִיא (posterius
14. ad 57, 5.). — Sequitur chorus tertius, dei agens personam.
Quoniam mihi adhaeret, *eripiam eum*; *Exaltabo*, in alto loco
constituam, tutum praestabo *eum*, *quia novit nomen meum*, me
15. colit. — *Invocat me*, *et exaudio eum*, *Cum eo ego sum in
angustiis*, protego eum, cum versatur in angustiis, *Extraham*,

liberabo *eum et honorabo*, honore augebo eum. — *Longitudine* 16.
dierum, vita longa *satiabo eum*, *Et videre*, experiri *faciam*
eum auxilium meum.

PS. XCII. *Carmen, canticum* (30, 1.) *in diem Sabbathi*. 1.
Habebant teste Talmude singuli septimanae dies destinatos suos
Psalmos. Temporis et occasionis indicium nullum. Strophae
tres, quarum prima dimidio brevior reliquis continet exordium:
vs. 2—4: par est, celebrari Jovam, 5—10: qui impios perdit,
11—16: pios fortunat. — *Pulchrum est*, decet, *celebrare Jo-* 2.
vam, *Et canere nomini tuo, altissime*, — *Notam facere mane* 3.
gratiam tuam, *Et fidem tuam noctibus*, i. e. praedicare gratiam
tuam et fidem tuam dies noctesque i. e. continuo, — *Ad deca-* 4.
chordum atque ad lyram (vid. not. ad 33, 2.), *Ad fidium can-*
tum in harpa, harpa factum (vid. ibid. atque ad 9, 17.). —
Nam laetitia afficis me, *Jova*, *facinoribus tuis*, *De operibus* 5.
manuum tuarum jubilo. Intelligenda esse opera divinae justitiae,
perspicitur ex vs. 8. et sqq. — *Quam magna sunt opera tua*, 6.
Jova, Quam *valde profunda sunt consilia tua!* Pertinet hoc
eo, quod improbi videntur esse beati (vs. 8.). — *Homo stupi-* 7.
dus non scit, *Et stultus non intelligit hoc*. — *Cum germinant* 8.
improbi instar herbae, *Et florent omnes malefici:* Florent *ut*
deleantur in perpetuum. De בִּפְרֹחַ ... וַיָּצִיצוּ vid. not. ad 9, 4.
Ante לְהִשָּׁמְדָם cogitando supplendum esse *florent* s. *id fit*, docet
res ipsa. — *Et tu excelsus*, augustus es *in sempiternum, o Jova*, 9.
in eo, puta, quod improbos utut florentes serius ocius perdit,
probos utut miseros tandem ad vitam beatam perducit. מָרוֹם
abstr. pro concr. ut Jes. 24, 4. — *Nam ecce, hostes tui, o Jova*, 10.
Nam ecce, hostes tui pereunt, *Disperguntur*, evanescunt *omnes*
malefici. — *Et effers instar bubali cornu meum*, evehis me ad 11.
potentiam, dignitatem, honorem, *Perfusus sum oleo recente*,
utor felicitate. כִּרְאֵים E. gr. ampl. p. 614. בַּלַּל h. l. intrans-
itive est sumtum. Quod de se loquitur vates, in pios valet omnes;
cf. vs. 13. 14. seqq. — *Et videt cum voluptate oculus meus* 12.
insidiatores, hostes *meos*, *Adversarios meos maleficos audiunt*
cum voluptate aures meae, oculos meos et aures pasco ruina
hostium meorum. — *Justus ut palma germinat*, *Ut cedrus in* 13.
Libano crescit. — *Plantati in domo Jovae*, *In atriis dei no-* 14.
stri germinant, licet iis versari in loco sacro, frequentare tem-
plum, quod summum bonum habebant Jovae cultores; cf. 52, 10.

15. — *Adhuc germinant in senectute; Succosi et virides sunt*, vi-
geat etiam ubi consenuerint, rebus secundis utuntur usque ad
16. canam senectutem, — *Ut notum faciant*, *rectum*, *justum esse*
Jovam, *Petram meam*, *nec pravitatem*, et nihil injustitiae esse
in eo. Vulgare est quod pro עֹלָתָה (Job. 5, 16) Masorethae le-
gunt עַוְלָתָה.

PS. XCIII. Pro templo factum esse, docet vs. 5. Argu-
mentum, stropharum impatiens, hoc est: Jovae totius terrae regis
augustissimi, potentissimi, sempiterni, gloriosi, sancti sancte
1. habendum est templum; cf. Ps. 24. — *Jova rex est*, *majestate*
est indutus; Indutus est Jova (potentia), *potentia cinctus:*
Et constat orbis, *non nutat*. Falsi sunt, qui putant, ad לָבֵשׁ
יְהוָה cogitatione repetendum esse גֵּאוּת. Tam languida enim
non proferunt elegantiores, ex quibus hic est, vates. Repetitur
לָבֵשׁ ita, ut simul ad aliud quid adscendatur, ad עֹז, inquam,
quod quamquam construendum cum הִתְאַזָּר, tamen etiam ad לָבֵשׁ
2. יְהוָה anticipando est referendum. — *Constat solium tuum inde*
3. *ab omni tempore*, *Ab aeternitate tu es*. — *Tollunt flumina*,
o Jova, *Tollunt flumina vocem suam*, *Tollunt flumina frago-*
4. *rem suum:* — *Prae vocibus aquarum magnarum*, *Amplarum*,
fluctuum maris, *Amplus in alto Jova est*. Sensus: magnifica
sunt fluminum mariumque murmura et fragores: magnificentior
in coelis Jova! Respicitur tum omnis tum maxime qualis in
tonitrubus se exserit magnitudo dei. Mirum quantum a vero
aberrant, qui fremitus aquarum exprimere hostium tumultus pu-
tant, coll. Ps. 46. Ibi enim aliisque similibus in locis eum
sensum subjiciendum esse ostendunt figuratis admixta propria
5. verba, qualia hic loci reperiuntur nulla. — *Effata tua sunt*
vera valde, verissima; *Domui tuae decet sanctitas*, sancte debet
haberi templum tuum, *O Jova*, *in longitudinem dierum*, in
omne tempus.

PS. XCIV. Occasionem huic Psalmo dedisse videntur gravissima, quae Judaeis, quo tempore res eorum ad finem vergebant, perferenda erant mala, inflicta a Chaldaeis aliisque qui illorum partes sequebantur. In eam enim aetatem omnia optime conveniunt. Strophae sex: vs. 1—3: surge, Jova, poenas repete ab hominibus improbis, 4—7: qui nos insolenter tractant, saevitiam adhibent oppressis, caedem tuorum faciunt, te non

curantes! 8—11: quasi vero non cuncta videat deus aut sce-
lera ferat impunita! 12—15: a te edocti scimus, tuos te
non esse derelicturum. 16—19: desperantes tua erigit gratia;
20—23: tu, o Jova, ab improbis poenas petes! — *Deus ultio-* 1.
num, ultor, vindex, *Jova*, *Deus ultionum*, *exsplende*, luce tua
circumfusus appare ad ferendum nobis auxilium! Pro הוֹפִיעַ
manifesta legendum est הוֹפִיעָה. Facillime potuit excidere ה
ante ה (הִנָּשֵׂא). — *Effer te*, exsurge, *judex terrae*, *Redde*, 2.
rependе *actionem*, malefacta *fastuosis*, improbis illis qui inso-
lenter se gerunt! — *Quousque improbi*, o *Jova*, *Quousque* 3.
improbi exsultabunt? — *Ebulliunt*, eructant, *loquuntur pro-* 4.
terva, *Gloriantur omnes malefici*. Non amplius pendere haec
et quae subjiciuntur ex עַד מָתַי, in versu praegresso, stropharum
docet ratio. יַבִּיעוּ non est absolute positum, verum ut יְדַבְּרוּ
construendum cum עָתָק. — *Populum tuum*, o *Jova*, *conterunt*, 5.
Et possessionem tuam, populum tuum (68, 10.) *affligunt*. —
Viduam et alienigenam interficiunt, *Et orphanos occidunt*. — 6.
Et dicunt: „*non videt id Jah*, *Neque animadvertit deus Ja-* 7.
cobi." — *Animadvertite*, *maxime bruti inter homines! Et* 8.
stulti, *quando adipiscemini prudentiam?* בֹּעֲרִים בָּעָם E. gr. min.
§. 489. — *Num qui plantavit aurem*, *non audiat? An qui* 9.
finxit oculum, *non videat?* — *Num qui monet populos*, mo- 10.
nendo, hortando disciplinam adhibet populis, *non puniat? Is
qui docet homines intelligentiam*, qui solus docet homines sapere?
יָסַר esse h. l. *monere*, *hortari*, ostendit parallelismus. — *Jova* 11.
novit cogitata hominum, Novit, *esse ea vana*, eademque scit
vana esse, nihil posse prorsus. De הֵמָּה ad מַחְשְׁבוֹת referendo
vid. not. ad 34, 20. — *Felicem virum*, *quem tu mones*, *Jah*, 12.
Quemque lege tua instituis i. e. quem administrationis ac pro-
videntiae tuae legibus, rationibus instituis! id enim h. l. signi-
ficare *Jovae legem*, docent quae subjiciuntur. לִמֵּד seq. מִן idem
quod הוֹרָה מִן Jes. 2, 3. Mich. 4, 2., in qua locutione מִן ne-
quaquam fontem, sed *objectum* inducit institutionis, ita ut signi-
ficet *de*. — *Ut quietem concedas ei*, metum demas ei *prae* 13.
diebus mali, temporibus calamitosis, quibus improbi causa trium-
phat, *Donec fodiatur improbo fovea*, poena merita assequatur
eum! — *Neque enim deserit Jova populum suum*, *Et posses-* 14.
sionem suam non derelinquit. — *Nam ad justum*, ad id quod 15.
justum est, *revertetur judicium*, judicium tandem justum et

rectum fiet, *Itaque*, justum judicium *sequentur*, ad illud totos
se fingent et accommodabunt *omnes integri animi*. Tandem bona
16. causa triumphat. — *Quis consurgit mihi*, mecum pugnante *cum
sceleslis? Quis consistit mihi*, mecum certante *cum maleficis?*
17. Quis alius nisi Jova? — *Nisi Jova esset auxilium mihi: Prope
esset, ut habitaret loca silentia*, orcum *anima mea*. שָׁכַן cum
18. Acc., ut 68, 7. al. דּוּמָה poetice de *orco*, ut 115, 17. — *Si
dico* (existimo): *nutat pes meus: Gratia tua, o Jova, fulcit*,
19. sustentat *me*. — *In multitudine curarum mearum in medio*,
corde *meo Consolationes tuae* (cf. vs. 12.) *oblectant*, exhilarant
animam meam. Ad שַׂרְעַפִּים cf. G. gr. ampl. p. 863. E. gr. ampl.
20. p. 520. — *Num socium habebit te solium perniciei, Fingens
aerumnas contra legem statutam*, i. e. quomodo enim fieri possit,
ut improborum illorum tu faveas dominationi perniciosae ac tali
quae id agat, ut omnes leges nostras perfringat? Cogitandum
de Chaldaeis aliisque qui illos sequebantur barbaris populis, quibus oppressum ab ipsis populum Israelitarum impune licuit vexare, diripere, perdere. חָבַר intrans. *cohaerere*, *conjunctum,
consociatum esse* cum aliquo, cum Accusativo: *socium habere*
aliquem; cf. E. gr. min. §. 507. יְחָבְרְךָ pro יְחָבֶּרְךָ, id. ibid.
§. 308. כִּסֵּא הַוּוֹת *solium perniciei*, tyrannis, dominatus per-
21. niciem afferens. יָצַר *fingere*, moliri, machinari. — *Irruunt in
animam*, vitam *justi*, *Et sanguinem innoxium damnant*. —
22. *Et*, verum *est Jova mihi arx, Et deus meus petra refugii
23. mei*. — *Et reddet*, rependet *illis scelus suum* (vs. 2.), *Et ma-
litia ipsorum*, suis ipsorum pravis facinoribus *perdet eos*, *Per-
det eos Jova, deus noster*.

PS. XCV. Strophae duae: vs. 1—7. populus: agite, celebremus Jovam, totius naturae dominum! agite, supplices veneremur deum, cujus tutelae sumus, ejusque pareamus legibus! 8—11. Jova: quod utinam faciatis, majorum edocti exemplo, qui quum mihi repugnassent, terra promissa a me sunt exclusi!
1. — *Agite, laetas voces tollamus Jovae, Jubilemus petrae sa-
2. lutis nostrae! — Veniamus ante faciem ejus cum gratiarum
3. actione, Cum cantibus jubilemus illi! — Nam deus magnus* est
Jova, Et rex magnus super omnes deos, aliorum populorum,
4. — *Cujus in manu sunt intima terrae, Et cui sunt summa
montium*, ima et summa omnia. תּוֹעָפוֹת hoc loco et Job. 22, 52.

altitudines, et hoc quidem quem tractamus loco *summa*, Jobi
autem loco *ima (fodinas)* videtur significare, a יָעֵף *anhelitum*
ducere, siquidem exanimamur et adscendendo et descendendo
celeriter. Quidquid autem statuis de hac voce, id mihi satis
certum videtur, primariam יָעֵף verbi significationem esse *anheli-*
tum ducere (cf. chald. עֲפַף *flare, conflare*) atque ab hac demum
significatione repetendos esse duos qui in usu sunt significatus,
currere, inquam, (propr. *anhelitum ducere* ex cursu, currendo
exanimari), et *fatigari*. Praeter haec cf. quae observavimus ad
Dan. 9, 21. — *Cui est mare, et ipse fecit illud, Et aridum*, 5.
terram continentem *manus ejus finxerunt. — Venite! proster-* 6.
namus nos et incurvemus nos, In genua procumbamus coram
Jova, creatore nostro! — Nam is est deus noster, Et nos 7.
sumus *populus pascui ejus* (74, 1.) *et grex manus ejus*, grex
quem ducit. *Hodie*, statim *utinam voci ejus obediatis!* Quibus
postremis verbis vates transitum parat ad ea quae subjiciuntur
Jovae verba. — „*Ne obfirmetis cor vestrum ut Meribae* (ad 8.
aquas *rixae*), *Ut die Massae* (*tentationis* Jovae, queritationis
contra eum) *in deserto!* Ad בְּ vid. E. gr. ampl. p. 614. Ad
rem vid. Exod. 17, 1 sqq. Num. 20, 1 sqq. — *Ubi tentarunt* 9.
me patres vestri, Explorarunt me, etiamsi viderunt opus meum,
facinora ipsorum causa a me facta. אֲשֶׁר ut 84, 4. al. E. gr.
min. §. 589. גַּם *etiamsi*, omisso כִּי, ut si nostrates dicunt:
sahen sie auch. Quo eodem modo positam vidimus particulam
Jes. 49, 19. Alii: *etiam*, verum etiam *viderunt opus meum*,
experti sunt poenam meam. — *Quadraginta annos fastidium* 10.
habui in eo genere, Et dixi: „„*populus aberrantis animi*
illi sunt, Neque illi cognoscunt vias meas,““ non perspiciunt
finem eorum, quae ipsorum causa facio. Pro בְּדוֹר nonnulli בַּדּוֹר
legi volunt, coll. LXX, qui τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ. Quales emenda-
tiones utinam tandem desinant facere interpretes, memores, in-
numera in poetarum scriptis exempla esse omissi articuli! —
Ubi juravi in ira mea, iratus: „„*Non introibunt in requiem* 11.
meam,““ non pervenient ad loca quietis a me paratae, non vi-
debunt terram promissam! אֲשֶׁר plane ut vs. 9. ad tempus, quo
(*ubi*) haec agebantur, est referendum.

PS. XCVI. Haud improbabilis est opinio interpretis Ale-
xandrini, cantatum esse hunc hymnum in dedicatione templi se-

cundi, ὅτε ὁ οἶκος ᾠκοδόμηται μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν, cf. vs. 7 sqq. Constituit hoc carmen partem carminis longioris, quod 1 Chron. 16, 8—36, continetur et ibidem dicitur a Davide compositum esse in dedicationem tabernaculi sacri. Sed conflatum esse quod in Chronicis habetur carmen ex hoc ipso quem prae manibus habemus Psalmo (Chron. vs. 23—34.), ex Ps. 105. (Chron. vs. 8—22.) et 106. (Chron. vs. 35.), vel ex eo perspicitur, quod vs. 35. istius carminis exsilii Babylonici aetatem prodit. Quod Alexandrinus inscriptioni ab ipso praemissae addidit ᾠδὴ τῷ Δαυίδ, auctoritate addidit libri Chronicorum. Plura insunt in hoc carmine, quae jam alibi legimus; cff. vss. 7—10. et 29, 1 sq. 93, 1. 9, 9. Strophae quatuor: vs. 1—3: celebrate Jovam, 4—6: deum verum, creatorem mundi augustissimum! 7—10: celebrate Jovam, omnes populi, colite omnium regem ac judicem! 11—13: exsultent coeli et terra de
1. Jova venturo ad recte judicandos terrae populos! — *Canite*
Jovae canticum novum, non adhuc auditum, pro novis in nos
collatis beneficiis (ut 33, 3. al.), *Canite Jovae, universa terra!*
2. — *Canite Jovae, celebrate nomen ejus, Nuntiate de die in*
3. *diem*, diem de die *auxilium ejus!* — *Narrate inter populos*
gloriam ejus, Inter omnes nationes mirabilia ejus, admiranda
4. ejus facinora! — *Nam magnus est Jova et celebrandus pluri-*
5. *mum, Terribilis is est super omnes deos.* — *Nam omnes dii*
populorum sunt *vani*, fictitii dii, *Et Jova*, Jova autem *coelos*
6. *fecit.* — *Splendor et majestas est ante faciem ejus, Potentia*
et decus in sacrario ejus. Sacrarium Jovae non coelum, sed
templum esse crediderim, coll. vs. 7 sqq. In altero exemplo
1 Chron. 16, 27. pro עֹז וְתִפְאֶרֶת בְּמִקְדָּשׁוֹ legitur עֹז וְחֶדְוָה בִּמְקֹמוֹ
7. *potentia et gaudium in loco*, sede *ejus*. — *Date*, exhibete *Jo-*
vae, gentes populorum, Date Jovae honorem et laudem! —
8. *Date Jovae honorem nominis sui*, nomine suo dignum, *Ferte*
munera et venite ad atria ejus! Pro וּבֹאוּ לְחַצְרוֹתָיו alterum
exemplar vs. 29. habet וּבֹאוּ לְפָנָיו *et venite ante eum.* In eodem illo exemplari ad hunc versum trahitur, quod in hoc, quod prae manibus habemus, exemplo est prius hemistichium versus
9. noni. — *Prosternite vos coram Jova in ornatu sancto*, induti
ornatu sancto (vid. not. ad 29, 2.), *Contremiscite coram eo, universa terra!* Quod hic est hemistichium posterius, in Chronicis est prius versus 30., cujus membrum posterius efficitur

verbis, quibus continetur versus decimi hujus Psalmi membrum
secundum אַף תִּכּוֹן תֵּבֵל בַּל־תִּמּוֹט. — *Dicite inter populos:* 10.
„Jova rex est, Et constat orbis, non nutat; Judicat populos
recte.“ — *Gaudeant coeli, et laetetur terra; Fremat mare* 11.
et quod implet illud; — *Exsultet campus et quidquid est in eo;* 12.
Tum, ibi *jubilent omnes arbores sylvae* — *Coram Jova! Nam* 13.
venit, nam venit, jamjam venit *ad judicandam terram,* ad agen-
dam causam Israelitarum, ad puniendos eorum hostes, ad resti-
tuendam rempublicam Jovae sacram; *Judicabit orbem juste,*
Et populos fideliter. In libro Chronicorum versus 31. compo-
situs est ex Ps. vs. 11, a. et 10, a. omissis verbis יָדִין עַמִּים
בְּמֵישָׁרִים 10, c.; porro vs. 32. Chron. est ex Ps. vs. 11, b. et
12, a., item vs. 33. Chron. ex Ps. vs. 12, b. et 13, a. b., abjectis
Ps. vs. 13, c. d.

PS. XCVII. E recentioribus est hic quoque. Argumentum
idem fere quod superioris Psalmi. Multa, ut in illo, sumta ab
aliis Psalmorum scriptoribus; cf. vs. 2. et 89, 15., vs. 4. et
77, 19., vs. 6. et 50, 6., vs. 8. et 48, 12. Strophae duae; vs.
1—6: Jova totius terrae est dominus augustissimus, potentis-
simus, justissimus; 7—12: frustrantur spe sua quicunque con-
fidunt diis fictitiis, cum summa omnium qui Jovae praesidio
utuntur laetitia. — *Jova rex est: exsultet terra, Laetentur* 1.
insulae multae! Insulas cum appellat, idem est, ut si appellet
mare! — *Nubes et caligo sunt circum eum,* cf. 18, 10. 12., 2.
Jus et justitia sunt fundamentum solii ejus, ut 89, 15. —
Ignis eum antecedit, cf. 18, 9. 13., *Et consumit circumcirca* 3.
hostes ejus, cf. 18, 15. — *Illustrant fulgura ejus orbem:* 4.
Videt et contremiscit terra, ut 77, 19. — *Montes ut cera li-* 5.
quescunt coram Jova, Coram domino totius terrae. — *Nun-* 6.
tiant coeli justitiam ejus, ut 50, 6., *Et vident omnes populi*
gloriam ejus. — *Pudore afficiuntur,* spe sua excidunt *omnes* 7.
qui colunt simulacra, Qui gloriantur vanis diis. *Prosternunt*
se illi, coram illo, Jova, *omnes dii* fictitii; cf. vs. 9. et 95, 3. —
Audit et laetatur Sion, urbs Sionia, *Et exsultant filiae Judae,* 8.
urbes et oppida Judae reliqua, *Propter judicia tua, o Jova,*
quod tuae ac nostrae causae te vindicem praebes. Sumta haec
sunt ex 48, 12. — *Nam tu, o Jova, altissimus es super omnem* 9.
terram, Plurimum elatus super omnes deos. — *Qui diligitis* 10.
Jovam, odio habete, fugite *malum! Custodit* Jova *animas cul-*

11. *torum suorum, E manu improborum eripit eos.* — *Lux* i. e.
felicitas *sata* i. e. parata *est justo, Et integris animi laetitia.*
12. — *Laetamini, justi, de Jova, Et celebrate nomen ejus sanctum!*

1. **PS. XCVIII.** *Carmen.* Judaeorum in patriam restitutio
canitur; cf. Jes. 40 sqq. Strophae tres: vs. 1—3: canite Jovae,
qui singulari et plane mira ope nobis adfuit! 4—6: canite
Jovae omnes terrae! 7—9: universa rerum natura Jovam canat
venientem ad judicium! — *Canite Jovae canticum novum! Nam
mirabilia fecit; Opitulata est ei dextera sua et brachium
suum sanctum,* sua ipsius virtute, non adjutus ullius alterius ope,
2. rem perfecit; cf. Jes. 59, 16. 63, 5. — *Notum fecit Jova auxi-
lium suum, Ante oculos populorum,* spectantibus populis *aperuit*
3. *justitiam suam.* — *Memor fuit gratiae suae et fidei suae erga
domum Israelis; Viderunt omnes fines terrae auxilium dei*
4. *nostri.* — *Laetos clamores tollite Jovae, universa terra,* omnes
5. homines, *Erumpite et jubilate et canite!* — *Canite Jovae cum*
6. *harpa* (33, 2.), *Cum harpa et voce cantus!* — *Cum tubis ac*
7. *voce litui Laetos clamores tollite coram rege, Jova!* — *Fre-
mat mare et quod implet illud, Orbis et qui habitant in eo,*
8. — *Flumina complodant manus,* exsultent, *Simul montes jubi-*
9. *lent* — *Coram Jova! Nam venit ad judicandam terram. Ju-
dicabit orbem juste, Et populos recte;* cf. 96, 13.

PS. XCIX. Pro templo factus. Strophae duae: vs. 1—5:
Jova est rex terribilis, augustissimus, justissimus: veneramini
sanctissimum! 6—9: observantes praecepta sua exaudit, non
1. observantes punit: veneramini sanctissimum! — *Jova rex est:
trepidant populi; Habitat Cherubos,* insidet Cherubis (80, 2.
2. 18, 11. ubi vid. not.): *nutat terra.* — *Jova in Sione magnus*
3. est, *Et altus ille* est *super omnes populos.* — *Celebrent* (po-
puli) *nomen tuum magnum et terribile! Sanctum* est *illud!*
Ex vs. 4. non sequitur, Subjectum verbi יוֹדוּ non esse הָעַמִּים
vs. 2., sed impersonaliter id accipiendum esse. Saepissime enim
exteri populi ad celebrandum *deum Israelitarum* evocantur. —
4. *Et gloriam* celebrent *regis* qui *quod justum est amat! Tu
sustentas quod rectum est, Jus et justitiam in Jacobo tu*
5. *exerces.* וְעֹז pendet ex יוֹדוּ versu superiore. — *Laudibus ef-
ferte Jovam, deum nostrum, Et prosternite vos ad scabellum
pedum ejus! Sanctus ille* est! Cum dicit *ad scabellum pedum*

ejus, minus recte nonnulli de arca foederis cogitant. Idem est, ut si dixisset *ad solium*, sedem *ejus*; cf. vs. 9. — *Moses et* 6.
Aaron, in sacerdotibus ejus (inter sacerdotes ejus), Et Samuel, in invocantibus (inter invocantes) nomen ejus i. e. M. et A., sacerdotes ejus, Et Samuel, qui invocabat nomen ejus, *Vocarunt ad Jovam, et ille exaudivit eos.* בְּכֹהֲנָיו et בְּקֹרְאֵי eodem modo accipienda sunt, ut בְּסֹמְכֵי in verbis אֲדֹנָי בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי 54, 6. et alia in aliis ad illum locum allatis exemplis. Quod Moses quoque *sacerdos* dicitur, id nihil nisi *σύλληψις* est, quemadmodum quod vs. 7. legitur אֲלֵיהֶם et ipsum sylleptice est accipiendum, quum ex columna nubis neque ad Aaronem, neque ad Samuelem, sed cum solo Mose loquutus sit deus. Similiter versus octavi membrum tertium nonnisi Mosen respicit atque Aaronem. — *In columna nubis loquutus est ad eos* (vid. ad 7.
vs. 6.); *Observarunt praecepta ejus, Et statutum*, quod *dederat eis.* — *Jova, deus noster, tu exaudivisti eos, Deus con-* 8.
donans fuisti iis, Et ulciscens, puniens *propter facinora eorum*, quae postrema pertinent ad ea, quae narrata legimus Num. 20, 10. 27, 13 sq. Deut. 3, 23 sqq. Finem et consilium vss. 6. 7. et seq. significavimus in prooemio. — *Laudibus efferte Jo-* 9.
vam, deum nostrum, Et prosternite vos ad montem ejus sanctum! Nam sanctus est Jova, deus noster!

PS. C. *Carmen laudativum.* Ejusdem argumenti atque 1.
indolis Psalmus, cujus sunt qui proxime praecessere. Strophae duae: vs. 1 — 3: laudate Jovam, deum, qui nos creavit, cujus tutelae sumus! 4. 5: laudate Jovam, cujus perpetuo manet gratia ac fides! — *Laetos clamores tollite Jovae, universa terra,* omnes homines! — *Colite Jovam cum laetitia, Venite in con-* 2.
spectum ejus cum jubilo! — *Scitote, Jovam esse deum! Is* 3.
facit nos, et ipsi, ipsius *nos sumus, Populus ejus et grex pascui ejus.* לֹא ex antiquiore scribendi ratione positum videtur pro לוֹ, ut Lev. 25, 30. 1 Sam. 2, 3. et pluribus aliis in locis. Quod idem judicarunt Masorethae, qui legi jusserunt לוֹ, expressum in pluribus et scriptis et editis libris. E veteribus tamen soli Chaldaeus et Hieronymus לוֹ expresserunt, reliqui לֹא negandi particulam habuerunt, veluti LXX qui: καὶ οὐχ ἡμεῖς, nec potest negari, ferri posse et hunc sensum: *Is fecit nos, non ipsi nos, Populum suum et gregem pascui sui.* Quod

nostras aures paullulum offendit *non ipsi nos*, non offendit aures Hebraeorum, ut qui quod cum aliqua vi velint dicere, haud raro *affirmando* et *negando contrario* dicant. Praeferenda tamen prior ratio, quum לא pro לו scriptum non careat exemplis. —
4. *Intrate portas* (templi) *ejus cum gratiarum actione, Atria ejus cum laudibus! Gratias agite ei, celebrate nomen ejus!* —
Nam benignus est Jova; In perpetuum est, manet gratia ejus,
5. *Et in omnes aetates fides ejus.*

1. PS. CI. *Davidis carmen.* „Ita se administraturum pollicetur regnum, ut nemini faciat injuriam, et foveat bonos eisque benefaciat, repellat vero a se et expellat impios. Carmen a Davide editum esse, statim atque regni duodecim tribuum administrationem auspicatus est, colligitur ex versu 8., ubi exstirpaturum se ait ex *urbe Jovae*, per quam Hierosolymitana urbs videtur intelligenda, sceleratos omnes. Illam vero urbem tum demum obtinuit Davides, postquam ei omnes tribus ex communi sententia regnum detulissent, 2 Sam. 5.“ Ros. Referant qui volent ad Davidem carmen, illo non indignum. Certiores scriptoris, a quo editum sit, notae apparent nullae. Strophae non comparent. — *Benignitatem et justitiam canam*, quam benignum et justum me praestare velim regem populo, canam. *Tibi, o Jova*, tibi grata et accepta *fidibus canam!* Proponitur itaque hoc versu totius Psalmi argumentum. Plerique *benignitatem et justitiam* non vatis sed *dei* esse volunt, cujus gratiam ac justitiam vatem dicere putant se canere velle, alii, quod deus ipsi ad hoc usque tempus benignum et justum se praebuerit, quae res per totum carmen ne verbulo quidem memoratur, alii, quod optet vates, ut ipse in populum suum eadem utatur clementia et justitia, qua deus in homines, quod quaesitum mihi videtur. —
2. *Attendam*, animum advertam *ad viam integram*, sectam agendi rationem, integre vivam! *Utinam* id *veniat ad me* i. e. utinam id mihi eveniat, mihi contingat! *Incedam in integritate animi mei in domo mea!* Verborum מָתַי תָּבוֹא אֵלָי varias variorum coactas interpretationes enumerare longum. Paullo melior reliquis ea est, ex qua diceret vates: *quando venies*, o Jova, *ad me*, i. e. quando ope tua me juvabis in agendo recte? Damnanda tamen est haec quoque explicatio, quia cum deus simpliciter dicitur *venire ad aliquem*, sub his verbis opem afferendi notio

subjici nullo modo potest, nisi liceat per nexum, quod hoc loco
ita esse nemo facile dixerit. מָתַי seq. Fut. *optantis* hic est, ut
saepissime alias מִי, תָּבוֹא vero non est 2. masc. ad Jovam re-
ferenda, sed, quod miror neminem vidisse, 3. fem. neutraliter
accipienda, id est, referenda ad id quod in praesenti vult et
optat vates, sc. ut integre vivat. בּוֹא autem hoc loco est *eve-
nire, obvenire, contingere*, plane ut Prov. 13, 12. *Domum, fa-
miliam suam* vates appellare videtur *suum regnum;* cf. vs. 8. —
Non ponam ante oculos meos, non proponam mihi *rem turpem;* 3.
Facere, agendi rationem *delinquentium odi*, *Non adhaerebit
mihi*, nihil quidquam commune mihi sit cum istorum agendi
ratione. סֵטִם a סוּט (שׂוּט) Nomen formae זֵד, לֵץ (male alius
laudat נֵכִים 35, 15.). Alii verba עֲשׂה־סֵטִים שָׂנֵאתִי *facere
delicta odi* reddenda putant, coll. שֵׂטִים Hos. 5, 2. Verum
quod subjicitur יִדְבַּק בִּי magis favet nostrae explicationi. Ad
hoc quem apud Heseam laudant perquam dubiae interpretationis
locus est. — *Animus perversus recedat a me*, discedere a me 4.
jubeo, excludo ab omni usu mecum, qui est animo perverso,
Malum, pravum hominem *nolo nosse*. — *Calumniantem in oc-* 5.
culto proximum suum, eum perdam; Elatum oculis, superbum,
et latum animo, tumidum, inflatum, fastuosum, *eum non possum
ferre*. מְלוֹשְׁנִי Part. Po., Kri מְלָשְׁנִי Part. Pi. pro מְלַשְׁנִי (cf.
אֶרְצֶנּוּ 62, 4. ibique not.), utrumque cum Jod parag. De לֹא
אוּכָל vide quae jam ad Jes. 1, 13. observavimus. — *Oculi mei* 6.
sint directi, intenti (cf. 32, 8. 34, 16 sq.) *in fidos terrae*, in
eos qui spectatae sunt fidei in meo regno, *Ut habitent mecum*,
ut mecum eas habeam; *Qui incedit in via integra*, rectam
agendi rationem sequitur, integrae est vitae, *is ministrabit mihi*,
administrabit in civitate mea munera! — *Non habitabit in domo* 7.
mea, non patiar locum reperire, sedem figere in regno meo, *qui
facit*, struit *fraudem; Qui loquitur mendacia, non consistet
coram oculis meis*. — *Quovis mane* i. e. assidue et magno studio 8.
perdam omnes improbos terrae, *Ut exstirpem ex urbe Jovae*,
Hierosolymis, *omnes maleficos*. Quod in priore hemistichio de-
lendi dicuntur *omnes improbi terrae*, ea de causa nonnulli עִיר
יְהוָה collective de omnibus terrae sanctae urbibus intellectam
volunt, alii audacius *terram* dici *urbem* putant. Neutrum tamen
opus est. Urbs *primaria* loco omnium ponitur.

PS. CII. *Preces miseri alicujus, cum conficitur*, tabescit 1.

(propr. *caligine obvolvitur*), *et coram Jova effundit querelam suam.* Quam inscriptionem qui praeposuit, non voluit qua occasione factum sit carmen, sed qua occasione illo aliquis uti possit indicare. Scriptum est autem non primo post reditum de exsilio tempore, ut plerisque visum est, sed ipso in exsilio (cf. vs. 14 sqq., inprimis 20 sq. 29.), et quidem sub exsilii finem (vs. 14.). Strophae tres, quarum prima, vs. 2—12., vatis aerumnas describit, altera, 13—23., spem exprimit, fore, ut populum suum Jova de exsilio revocet, urbem sanctam cum templo restituat, tertia, 24—29., querelas primae strophae repetit, mox vero spem liberationis redintegrat considerata per-
2. petuitate dei. — *Jova, audi preces meas, Et vociferatio mea*
3. *ad te veniat!* — *Ne occultes faciem tuam a me die*, ubi, quo (E. gr. min. §. 589. 593.) *angustiae mihi* sunt, quo tempore versor in angustiis! *Inclina ad me aurem tuam die,* quo *clamo!*
4. *Propere exaudi me!* — *Nam evanuerunt* ut *fumo dies mei, Et ossa mea ut ardor* (Jes. 33, 14.), i. e. ut torris *combusta sunt* (Jer. 6, 29.), i. e. et evanuit omne robur corporis mei. De verbis בְּעָשָׁן יָמַי כָּלוּ vid. not. ad 37, 20. Posterius hemistichium alii: *et ossa mea ut focus ardent*, candent, coll. מוֹקְדָה Lev. 6, 2., qui sensus incertior est atque ad parallelismum nequaquam
5. aptus. — *Percussum*, infractum *est ut herba*, planta *et exaruit cor meum*, *Nam obliviscor*, prae moerore puta, *comedere panem meum.* Exarescit planta, cum *percussa*, infracta est. Alii הוּכָּה esse volunt *tactum*, *laesum esse* sole, aestu, quae significatio, quamquam superiore versu ab igne petita imagine usus est vates, tamen posthabenda videtur alteri, ut cui nullo opus sit comple-
6. mento. שָׁכַח מִן E. gr. ampl. p. 599. — *Prae voce gemitus mei*, prae gravissimis suspiriis meis *Adhaerent ossa mea carni meae*, prorsus emacui, grandi macie torridus sum; cf. Job. 19, 20. בְּעוֹרִי וּבִבְשָׂרִי דָּבְקָה עַצְמִי, et Plauti illud *pellis et ossa sum macritudine*. Nonnulli בָּשָׂר h. l. *cutem* significare putant, neque alienam a voce eam significationem esse vidimus ad 40, 10. Verum non opus hic esse isto significatu res ipsa docet et osten-
7. dit quem modo laudavimus Jobi locus. — *Similis sum pelecano* (Jes. 34, 11.) *deserti*, degenti in deserto, *Sum ut noctua rui-*
8. *narum*, in ruinis degens. — *Insomnis sum, et sum Ut passer solitarius in tecto.* Alius צִפּוֹר h. l. non passerem putat significare, sed *avem* in genere. Intelligendam esse avem nocturnam,

veluti noctuam vel bubonem. Eo enim primum pertinere, quod noctem *insomnem* se agere vates dicat. Deinde avem *solitariam* merito dici bubonem, vel noctuam, quia in desertis locis degat. Sed et ideo bubonem vocari avem solitariam, quia gregale non sit animal sed solivagum. Convenire id etiam, quod solitaria ista avis עַל גָּג esse dicatur; cf. Virg. Aen. 4, 462 sq.: Solaque culminibus ferali carmine bubo Saepe queri et longas in fletum ducere voces. Verum ex eo quod insomnem se esse queritur vates, non sequitur, intelligendam esse avem nocturnam. Deinde cum dicit, esse se instar avis solitariae in tecto, non comparat se avi e genere solivagarum, sed avi quae sola, solitaria sedeat in tecto, ita ut percommode cogites de passere ex aedium culminibus flebili voce amissam querente feminam aut perditos pul-
los. — *Quotidie probris afficiunt me hostes mei, Insani*, saevi, 9.
immanes *mei* adversarii *per me jurant*, a probrosa mea conditione argumentum et exemplum sumunt, si quid mali imprecari volunt; cf. 44, 15. Jes. 65, 15. Alius hemistichium posterius: *Saevi mei in me*, qui in me saeviunt hostes mei, *juramento sese obstringunt*. Quum vero מְהוֹלָלַי habeat Suffixum, בִּי ad נִשְׁבָּעוּ
videtur pertinere. De מְהוֹלָלַי vid. ad 18, 40. — *Nam cinerem* 10.
i. e. luctum, quia usus cineris praecipue fuit in luctu (Jer. 6, 26. Thren. 3, 16. al.) *instar panis comedo*, i. e. luctus pro victu mihi est, cf. 42, 4: sunt mihi lacrymae meae cibus diu noctuque,
Et potum meum fletu meo, lacrymis meis *misceo*, — *Propter* 11.
indignationem tuam et iram tuam, *Nam sustulisti me*, velut turbine (cf. Jes. 22, 17 sq.) *et projecisti me*. Alii sub secundo hemistichio hunc sensum subjiciunt: postquam extulisti me ad altum felicitatis fastigium, nunc in extremas miserias dejecisti.
— *Dies mei* sunt *ut umbra inclinans*, quae in eo est, ut eva- 12.
nescat, evanescere incipiunt dies mei, ut umbrae vespertinae, cf.
109, 23., *Atque ego ut herba exaresco*. — *Tu vero, Jova, in* 13.
sempiternum solio insides, regnas, *Et nomen tuum* est, manet
per omnes aetates. — *Tu exsurges, miseraberis Sionis, Nam* 14.
tempus est, tempus est maximum, peropus est, *ut miserearis illius*, *Nam venit*, adest *tempus constitutum*. עֵת nescio an rectius *tempus opportunum*, *justum* (qui est primarius significatus) esse dixerim h. l., ita ut fere concinat cum מוֹעֵד. Quidquid autem statuis de עֵת, id mihi satis certum videtur, esse מוֹעֵד, *tempus constitutum*, de *Cyri* aetate intelligendum, coll.

15. Jes. 41, 2. 44, 28. 45, 1 sqq. — Sequitur jam altera ratio, cur
sperent, fore, ut exsulum Jova misereatur. Nequaquam enim
quae hic dicuntur causam continent eorum, quae proxime prae-
cesserunt, verborum 'כִּי עֵת וגו, sed pariter atque illa referenda
sunt ad 'אַתָּה תָקוּם וגו. *Nam delectantur servi*, cultores *tui*
lapidibus illius, Sionis, desiderio tenentur ruinarum sacrarum,
Et pulveris ejus miserentur, et maximo cum dolore reminiscun-
16. tur ruderum urbis Sioniae. — Secundae tertiam causam sub-
jungit. *Et*, si populo Israelitico in patriam restituto urbs sancta
cum templo fuerit reparata, *timebunt*, reverebuntur *populi nomen*
17. *Jovae*, *Et omnes reges terrae majestatem tuam*. — *Sane aedi-*
ficabit Jova Sionem, *Apparebit in majestate sua*, deum poten-
tissimum se exhibebit. Nonnulli: *Nam aedificavit*, et sic porro,
putantes dicere vatem, aedificandi jam initium factum esse, unde
Judaeis optima quaeque sperare liceat. Qui sensus nullo modo
18. potest conciliari cum vs. 14. et sq. 20. et sqq. — *Convertit se*
ad preces nudi, inopis, pauperis, *Nec contemnit preces eorum*.
עַרְעָר, ab עָרַר ejusdem cum 'עוּר, עֶרְוָה significationis, *nudum*,
hinc omni ope destitutum, *desolatum* Chald., ταπεινόν, *pauperem*
19. LXX, Syr. significat; cf. etiam ad Jer. 17, 6. — *Scribatur*,
literis mandetur in perpetuam memoriam *hoc*, haec res, restitutio
Sionis, *aetati posterae*, *Et populus natus laudet*, et homines
tum nati, qui tum futuri sunt homines laudent *Jah!*, cf. 22, 31
20. sq. — *Sane prospectat de altitudine sua sancta*, *Jova de*
21. *coelis in terram despicit*, — *Ut audiat gemitum captivi*, capti-
vorum, *Vinculis solvat filios mortis*, destinatos morti, cf. 79, 11.,
22. — *Ut enarrent*, praedicent *Sione nomen Jovae*, *Et laudes ejus*
23. *Hierosolymis*, — *Cum congregant se populi una*, *Et regna ad*
24. *colendum Jovam*; cf. vs. 16. Jes. 45, 14. — Revolvitur ad que-
relas, sed mox iterum se erigit. *Depressit*, consumsit Jova *in*
via, in medio vitae meae cursu, cf. vs. 25., *vires meas*, *De-*
curtavit dies meos. Quod dedimus K'ri, כֹּחִי *vires meas*, dedi-
mus, quo res faciliorem haberet intellectum. Nam quod receptum
est כֹּחוֹ *vires ejus*, quamvis abhorreat ab יָמַי in hemistichio
secundo, tamen, quum jam LXX id expresserint (ἰσχύος αὐτοῦ),
non videtur sollicitandum esse. Probabile est enim, eo quo כֹּחוֹ
scripsit puncto temporis de toto populo cogitasse vatem; cf. vs.
25. 13 sqq. vs. 29. — *Dico: deus mi*, *Ne tollas*, auferas *me in*
medio dierum meorum, in media vita mea! *Per omnes aetates*

sunt, permanent *anni tui*. Quibus verbis se erigit spe, fore, ut, cum idem semper maneat deus, cum adhuc sit ac semper futurus sit deus potens et benevolus erga suos, non permittat, ut pereat suus populus. — *Olim terram fundasti, Et opus ma-* 26.
nuum tuarum sunt coeli. — *Illa*, coelum et terra, *interibunt*, 27.
tu vero stabis, permanebis; *Et omnia illa*, coelum et terra, omnes res creatae, *instar vestis collabentur*, *Instar vestimenti mutabis ea et mutabuntur*, interibunt. כֻּלָּם non video quid obstet quominus ad *coelos et terram* referatur. Intellige quae implent utrumque. חָלַף minus recte dicunt significare *mutari* tanquam Pass. Pi. et Hi. Inest ista significatio in ipsa primaria hujus verbi significatione. Nam quod *praeterlabitur*, quod *transit*, id *mutat se*. — *Tu vero* (es,) manes *idem*, *Et anni tui finem* 28.
non habent. אַתָּה הוּא jam LXX reddidere: σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ. Atque ita recentiores quoque omnes. Sed minus certa est quae sub הוּא subjicitur significatio *idem*. Itaque הוּא videri possit אַתָּה Pronomini vim addere, ut 44, 5. Jer. 49, 12. al., אַתָּה הוּא vere esse Nominativus absolutus, ut haec prodeat sententia: *Tu vero*, *Anni tui non habent finem*. Observa etiam interpositum Makkeph. De יִשְׁכּוֹנוּ vid. ad 31, 18. — *Filii servorum* 29.
tuorum habitabant, terram patriam puta, ut 37, 27., *Et semen eorum coram te consistet*. Alii, quod per leges parallelismi fieri licet, ad יִשְׁכֹּנוּ ex altero hemistichio cogitatione supplent לְפָנֶיךָ.

PS. CIII. *Davidis* carmen. Verum quae vs. 10. et seqq. 1.
habentur hunc hymnum post reditum de exsilio fusum esse haud obscure significant. Recentioris aetatis indicia sunt etiam qui in carmine reperiuntur Chaldaismi. Sed qui a nonnullis ex Jes. 40. et seqq. prolati sunt loci paralleli, exceptis paucis nullius ponderis sunt. Strophae sex: vs. 1—5: lauda, anima mea, Jovam beneficentissimum! 6—9: misericors est Jova, 10—13: non pro merito nos punivit, sed clementem et indulgentem se nobis exhibuit, 14—16: rationem habens imbecillitatis humanae; 17—19: immutabilis est quam culturibus suis praestat benevolentia, 20—22: celebrate Jovam, omnes naturae! — *Celebra, anima mea, Jovam*, *Et omnia interiora mea*, quicquid in me est facultatis et virium, *nomen ejus sanctum!* — *Celebra*, 2.
anima mea, Jovam, *Neve obliviscaris omnium beneficiorum ejus!*
— *Ejus qui condonat omnem culpam tuam*, *Qui medetur omni-* 3.

bus morbis tuis, te eripit ex omnibus malis. חֲלָיֵךְ 10, 33. De
4. Suffixis vid. E. gr. min. §. 302. — *Qui redimit a fovea*; mortis
periculo, ab interitu *vitam tuam*, *Qui coronat te gratia et misericordia*, gratiae et misericordiae suae multiplicibus bene-
5. ficiis te ornat. — *Qui satiat bono*, bonis *decus tuum*, i. e. corpus tuum vegetum et vigens, *Renovat se instar aquilae*, stato tempore novas tibi plumas induentis, *pueritia tua*. עֶדְיֵךְ cum Chaldaeo plerique *aetatem* vel *senectutem* h. l. significare putant ab עָדָה *transire*. Sed nullam video causam, cur ab usitato *ornatus*, *decoris* significatu (32, 9. al.) hic recedas. Commodissime enim hoc nexu, quo juvenilem vigorem recipere se dicit, *animae* quam alloquitur *decus* intelligitur de *corpore* firmato juvenili robore, corpore, cui juvenilis species est reddita. De *corpore* cogitavit Syrus quoque; cf. praeter 32, 9. similes translationes in גְּאוֹן et צְבִי vocibus. De תִּתְחַדֵּשׁ נְעוּרָיְכִי vid. G. gr. min. §. 143, 3. E. gr. min. §. 568.; de כַּנֶּשֶׁר E. §. 584., ad imaginem ipsam vero cf. Jes. 40, 31., ubi tamen dubia est interpretatio. —
6. *Exercet justitiam Jova*, *Et judicium omnibus oppressis*, justo
7. judicio causam agit oppressorum. — *Notas fecit* (18, 4.), aperuit *vias suas*, consilia sua pertinentia ad liberationem Israelitarum
8. *Mosi*, *Filiis Israelis facinora sua*; cf. Exod. 34, 10. — *Misericors et benignus est Jova*, *Tardus ad iram et magnae gra-*
9. *tiae*. Quae eadem legimus 86, 15. — *Non in perpetuum expostulat*, castigantem agit, *Neque in sempiternum servat* iram,
10. quo eodem modo נָטַר sumtam vid. Jer. 3, 5. 12. — *Non secundum peccata nostra fecit nobis*, *Nec secundum delicta nostra*
11. *rependit nobis*. Liberationem ab exsilio haec respiciunt. — *Sed quam alti sunt coeli supra terram*, Tam *ampla fuit gratia ejus supra cultores suos*. Tertium comparationis quaerendum est in
12. infinitate. — *Quam longe remotus est oriens ab occidente*, Tam *longe removit a nobis delicta nostra*, ut nihil amplius apud nos
13. reum maneret, delicta nobis prorsus condonavit. — *Quemadmodum miseretur pater filiorum*, *Sic misertus est Jova cultorum*
14. *suorum*. — *Is enim novit habitum nostrum*, naturam nostram,
15. scit quales simus, *Memor est*, *pulverem nos esse*. — *Homo*,
16. *ut gramen sunt dies ejus*, *Ut flos campi*, *sic floret*: — *Si ventus transit super eum*, florem, *non est* amplius, *Neque agnoscit eum amplius*, ejus statim oblitus est *locus ejus*, locus in quo excrescens constitit; cf. Job. 7, 10. Elegantem imaginem

temere extinguunt, qui suffixa vs. 10. ad hominem referunt.
Ceterum cf. cum hoc et proxime praegresso versu 90, 5. et seq.
— *Et gratia Jovae ab aeternitate atque in aeternitatem super* 17.
cultoribus ejus est, eos protegit, tuetur, *Et justitia ejus est*,
contingit *filiis filiorum*, — *Iis qui servant foedus ejus*, *Et* 18.
qui memores sunt praeceptorum ejus, ut faciant ea, praestent
quod illa postulant, — *Jova in coelis statuit solium suum*, *Et* 19.
imperium ejus in cuncta dominatur. — *Celebrate Jovam, angeli* 20.
ejus, Vos *heroes fortes*, naturae praepotentes, *effectores verbi*
ejus, mandatorum illius, *Obediendo voci verbi ejus!* — *Cele-* 21.
brate Jovam, omnes exercitus ejus, agmina coelestia, *Ministri*
ejus, effectores voluntatis ejus! — *Celebrate Jovam, omnia* 22.
opera ejus, *In omnibus locis imperii ejus! Celebra, anima*
mea, Jovam!

PS. CIV. Elegantissimus in Jovam mundi procreatorem et
conservatorem octo stropharum hymnus. Vs. 1. prooemium: ce-
lebra, anima mea, Jovam potentissimum! 2—5: qui creavit
coelum et terram, 6—9: separavit mare a terra, 10—13:
qui aperit fontes quadrupedibus et volatilibus, terram reficit aqua
coelesti, 14—18: alit homines, pecudes, plantas; 19—23:
sol et luna noctis ac diei vicissitudines constanter efficiunt,
24—26: mare utut vastum et ingens, totum scatet innumera-
bilium animalium generibus, 27—30: quorum omnium vitam
conservat Jova, 31—34: augustissimus, potentissimus, perpe-
tuis efferendus laudibus. 35. conclusio: pereant improbi! lauda,
anima mea, deum! — *Celebra, anima mea, Jovam! Jova, deus* 1.
mi, magnus tu es valde, Splendore et majestate indutus! —
Velat, vestit *se luce tanquam veste, Expandit coelos ut velum*; 2.
cf. Jes. 40, 22: נוֹטֶה כַדֹּק שָׁמַיִם *expandit ut pannum coelos*.
De כַּשַּׂלְמָה et כַּיְרִיעָה articulo munitis vid. G. gr. min. §. 107.
adn. 1. — *Qui contignat*, exstruit *in aquis*, superstruit aquis 3.
superiora conclavia sua, *Qui facit nubes currum suum*, *In-*
cedit super alis venti, הַמְקָרֶה, הַשָּׂם, הַמְהַלֵּךְ, ut 103, 3.
18, 33. al. accipienda sunt, non obstantibus Participiis quae
antegressa sunt et subjiciuntur absolute positis pro verbo finito,
עֹשֶׂה, נוֹטֶה, צֹמַח. Poterat enim praemissis versu primo verbis
celebra, anima mea, Jovam cet. in sequentibus aeque recte rela-
tive dici: *qui contignat, qui facit, qui incedit*, atque absolute:

velut, *expandit* (2.), *facit* (4.). Male nonnulli הַמְקָרֶה esse significare putant: *contignat*. עֲלִיּוֹת nominatur sedes dei, quia in summitate coeli esse fingitur. Eam sedem is, super *aquis* contignare sibi deus dicitur, quoniam super firmamento (רָקִיעַ) *oceanum coelestem* sibi fingebant Hebraei (Gen. 1, 7.). Qui deum conclavia sua contignare *ex aquis* dici putant, sen-
4. sum habent incommodum. — *Facit nuntios suos ventos*, *Ministros suos ignem flammantem*, fulgura; pro nuntiis suis utitur ventis; pro ministris suis fulguribus; utrisque, ventis et ignibus coelestibus Jova imperat, utrique illi parent; cf. 148, 8. Recentiorum aliquis Accusativum appositionis non *nuntios suos*, *ministros suos*, sed *ventos* et *ignem flammantem* esse vult, ut hic prodeat sensus: convertit nuntios suos in ventos, ministros suos in ignem flammantem. Verum admodum leves sunt rationes, quibus vir doctissimus hanc suam interpretationem contra alteram illam defendit. Primum enim quum Accusativus appositionis etiam praeponi possit (39, 9.), nihil efficitur eo, quod versu superiore in verbis הַשָּׂם עָבִים רְכוּבוֹ idem est postpositus. Deinde fallitur qui negat convenire dici deum uti pro *ministris* (Plur.) *igne* (Sing.). Conveniet enim, simul atque cogitaveris de *fulguribus*, de quibus saepe dici ignem constat, velut Job. 1, 16. 1 Reg. 18, 38. 2 Reg. 1, 10 sqq. Denique ferri quidem potest ille sensus in se spectatus, sed alienus idem a nexu est, utpote quum in antecedentibus deus nubibus ac ventis uti pro
5. instrumentis dicatur. — *Fundavit terram super fundamentis*
6. *ejus*, *Non nutat in sempiternum*. — *Oceano*, *tamquam vestimento*, *operueras eam*, terram, *Super montibus stabant aquas*; cf. Gen. 1, 2. Quod versu superiore est fem., hoc vero masc.
7. אֶרֶץ constat esse communis generis nomen. — *Prae increpatione tua*, severo tuo mandato, *fugerunt* aquae, *Prae voce tonitru tui*, horrenda tua voce, *trepide fugerunt*; cf. Gen. 1, 9.
8. — *Adscenderunt montes*, *descenderunt valles In locum quem constituisti iis*, locum a te iis assignatum quasi petentes, montes adscendendo, valles descendendo. Ad prius membrum cf. Ovid. Met. 1, 344: *flumina subsidunt*, *montes exire videntur*. Quum versu 9. *aquae* Subjectum efficiant, plerique hujus quem tractamus versus hemistichium posterius ad easdem referendum ideoque construendum cum vs. 7. putant, hemistichium prius tamquam in parenthesi interpositum judicantes. Quod non opus mihi vi-

detur. Nam quum quod principium hac stropha continetur sint
aquae subsidentes, de his vates, quamquam versu 8. de montibus
vallibusque dixeret, versu 9. potuit pergere loqui ita, ut si filum
orationis manu non emisisset, verbo, potuit sine ambagibus re-
verti ad Subjectum primarium. — *Terminum posuisti, non trans-* 9.
eunt, non transgrediuntur illum aquae; *Non revertuntur ad*
operiendam terram; cf. Ovid. l. l. *jam mare litus habet.* — *Qui* 10.
emittit, prorumpere facit *fontes in rivos*, ut rivi existant;
Inter montes manant. De הַמְשַׁלֵּחַ vid. not. ad vs. 3. בַּנְּחָלִים
alii *in valles* reddunt. — *Potum praebent omni bestiae agri*, 11.
agresti, ferae; *Frangunt onagri sitim suam.* — *Ad illos aves* 12.
coeli habitant, *E mediis frondibus edunt vocem.* — *Irrigat* 13.
montes e conclavibus suis (vs. 3.), *Fructu operum tuorum sa-*
tiatur terra. *Montium* mentio pertinet eo, quod montibus in-
cumbunt nubes, de montibus manant rivi. *Fructus operum*
Jovae sunt coelestium aquarum copiae. — *Progerminare facit* 14.
gramen quadrupedibus, *Et herbam*, olera et frumenta (Gen.
3, 18. Exod. 10, 12. 15.) *in ministerium*, in usum *hominum*,
Ad producendum panem e terra, — *Et vinum* progerminare 15.
fecit (14.), quod *laetitia afficit cor hominis*; *Ad reddendam*
splendidiorem faciem oleo, *Et panem*, qui *cor hominis fulcit*,
reficit. Possint haec etiam seorsum ab antegressis sic accipi:
Et vinum laetitia afficit cor hominis ... *Et panis cor homi-*
nis fulcit. Alius (Böttcher Specc. p. 212.) מִן in מִשֶּׁמֶן non
comparationis sed materiae esse vult, ut tres praecipui laudentur
terrae Cananaeae fructus, frumentum, vinum, oleum. Idem verba
vss. 14. et 15. sic distinguenda putat, ut tria membrorum paria
nascantur haec: *Progerminare facit gramen quadrupedibus*, *Et*
herbam in ministerium hominum, — *Ad producendum panem*
e terra, *Et vinum*, quod *laetitia afficiat cor hominis*, — *Ad*
splendere faciendam faciem oleo etc., qua ratione negari non
potest membrorum parallelismum juvari. — *Satiantur*, pluvia 16.
(vs. 13.) *arbores Jovae*, i. e. ferae, sylvestres arbores, quae non
arte humana sed sua sponte atque ita solo deo curante ex-
crescunt, quod ipsum intelligimus ex altero hemistichio, *Cedri*
Libani, *quas plantavit.* — *Ubi aves nidificant*, *Ciconiae*, *cujus* 17.
cupressi sunt domus. Ciconiae enim non solum in aedium cul-
minibus, verum etiam in summis arboribus nidificare solent. —
Montes, illi *alti*, *ibicibus sunt*, *Rupes refugium muribus ja-* 18.

19. *utilia.* [illegible] Ges. gr. min. § 109, 2. — *Fecit lunam pro statis temporibus* i. e. ad constituenda certa tempora, cf. Gen. 1, 14. *Sol novit occasum suum,* locum et tempus occasus sui.
20. — *Facis tenebras, ut est nox, Ea nocte repit,* prorepit *omnis*
21. *bestia sylvae.* [illegible] [illegible] vid. ad 9, 10. — *Leones rugiunt praedas appetentes* (propr. *nach Raub*), *Atque ad poscendum a deo cibum suum* sc. rugiunt, nam לְבַקֵּשׁ pariter atque [illegible]
22. pendet ex [illegible]. — *Oritur sol: recipiunt se, Atque in lu-*
23. *stra sua se abjiciunt.* — *Exit homo ad negotium suum, Atque*
24. *ad laborem suum usque ad vesperam.* — *Quam multa sunt opera tua, o Jova! Ea omnia sapienter fecisti; Plena est terra opibus s. possessionibus tuis,* i. e. rebus creatis a te tibi
25. in possessionem. — *Hoc mare, magnum et latum utrinque,* in utramque partem late patens, longum et latum, *Ibi reptilia innumera, Bestiae parvae cum magnis.* [illegible] זֶה praeposito זֶה qui dicit, זֶה cum accentu effert, quod hic est admirabundi: *hoc*
26. *mare.* — *Ibi naves sunt, Bellua ingens, quam finxisti ad*
27. *ludendum in eo,* mari. — *Illa omnia,* animalia marina, *te ex-*
28. *spectant, Ut des cibum ipsorum tempore suo.* — *Das eis: colligunt; Aperis manum tuam: satiantur bono,* bonis a te
29. oblatis. — *Occultas faciem tuam,* subtrahis eis gratiam tuam, auxilium, victum: *percelluntur; Aufers spiritum eorum,* vitalem, qui a deo prodit (vs. 30.) atque ad eundem redit (cf. Gen. 2, 7. Job, 27, 3. Eccl. 12, 7.): *exspirant, Atque in pulverem*
30. *suum revertuntur.* — *Emittis spiritum tuum* (29.): *creantur,* existunt nova animantia, *Atque renovas hac nova creatione*
31. *faciem terrae.* — *Est,* manet *gloria Jovae in sempiternum; Laetatur Jova operibus suis,* cf. Gen. 1, 31. [illegible] ut vs. 29.
32. — *Qui adspicit terram, et contremiscit; Tangit montes, et*
33. *fumant,* cf. [illegible] — *Canam Jovae per vitam meam, dum vivam;*
34. *Fidibus canam deo meo, dum superstes ero!* — *Placeat illi meditatio mea; Ego vero laetabor Jova!* grata et accepta illi sint carmina mea, quemadmodum ex ipso ego maximam laetitiam percipio. עָרַב seq. עַל ut Ezech. 16, 37. propr. dulcem, suavem esse apud aliquem; cf. שָׁפַר עַל Ps. 16, 6. itaque [illegible]. De primario עָרַב verbi significatu vid. quae observavimus ad 55, 18.
35. — *Deleantur peccatores,* qui non agnoscunt hunc deum, *de terra, Et impii ne sint amplius! Celebra, anima mea, Jovam! Laudate Jah!* Alii primum cum secundo membro non-

optantis sed promittentis esse putant, q. d. tanta est majestas
Jovae, ut quicunque illi repugnant constare nequeant.

PS. CV. Celebrantur beneficia a Jova in Israelitas collata
inde ab Abrahami aetate usque ad occupationem terrae Cananaeae.
Ex recentioribus esse Psalmum, argumenti pariter atque oratio-
nis docet indoles. Versus primi quindecim leguntur etiam in
carmine, quod continetur 1 Chron. 16., de qua re vide ad Ps. 96.
Vss. 1—6. efficiunt prooemium. Carmen ipsum in strophas di-
vidi nequit. — *Gratias agite Jovae, invocate nomen ejus!* 1.
Nota facite inter populos facinora ejus! — *Voce canite ei,* 2.
fidibus canite ei! Meditamini de omnibus mirabilibus ejus, de
omnibus quae fecit mirabiliter! — *Gloriamini nomine ejus sancto!* 3.
Laetetur cor quaerentium Jovam, cultorum ejus! — *Scrutamini* 4.
Jovam et potentiam ejus, Quaerite faciem ejus continuo! In
priore hemistichio intelligendas esse meditationes de potentia Jo-
vae ad juvandum parata instituendas in templo, docet hemisti-
chium posterius. — *Memores estote mirabilium ejus, quae fecit,* 5.
Signorum ejus, magnorum quae fecit facinorum, signorum po-
tentiae ejus, *et judiciorum oris ejus,* et qualem se praebuerit
judicem, — Vos, *semen,* posteri *Abrahami, servi ejus, Filii* 6.
Jacobi, electi ejus! Quod cum אַבְרָהָם conjunxi עַבְדּוֹ haud scio
an rectius referam ad Israelitas reddamque *servus* (servi) *ejus,*
coll. בְּחִירָיו in hemistichio altero. Ceterum quum longior sit
haec compellatio, rectius ad praecedentia quam ad sequentia tra-
hitur. — *Is, Jova, deus noster* est, *Per universam terram* 7.
judicia ejus sunt, exercentur, is totius orbis terrarum judex,
dominus est, id quod deinceps uberius persequitur vates. —
Memor est in perpetuum foederis sui, Verbi, quod *mandavit,* 8.
legis quam sancivit, *in mille aetates.* In altero exemplo 1 Chron.
16, 15. pro זָכַר est זִכְרוּ, quod alienum est, quum non jam
exhortantem, sed narrantem agat vates. — (Memor est ejus) 9.
quod pepigit cum Abrahamo, Et jurisjurandi praestiti Jacobo.
אֲשֶׁר כָּרַת nonnulli: *qui* (Jova) *pepigit,* כָּרַת absolute accepto.
Quam interpretationem quominus admittamus, obstat quod in
altero hemistichio שְׁבוּעָתוֹ manifeste pendet ex זָכַר vs. 8. Rectius
igitur alii אֲשֶׁר ad דָּבָר versu superiore referunt, coll. Hagg. 2, 5.
Praestat tamen, illud neutraliter accipere, ut significet *id quod.*
Cf. Suffixum fem. in וַיַּעֲמִידֶהָ vs. 10., et ipsum neutraliter ca-

10. piendum. — *Et quod constituit Jacobo in statutum, Israeli in*
11. *foedus perpetuum*, — *Dicens:* „*tibi dabo terram Cananaeam*
12. *Partem peculii vestri;*“ — *Quum* adhuc *essent homines numeri,*
faciles numeratu, *Tanquam pauci et peregrini in ea.* Quod
pro בִּהְיוֹתָם in Chronicis vs. 19. legitur בִּהְיוֹתְכֶם non dixerim
lectionem difficiliorem, esse alteri praeferendam. Ea enim con-
13. formata videtur ad נַחֲלַתְכֶם vs. 11. — *Et migrarunt de populo*
14. *ad populum, De* uno *regno ad nationem aliam.* — *Non con-*
cessit cuiquam, opprimere eos, Et castigavit eorum causa
reges, veluti Pharaonem Gen. 12, 17., Abimelechum ibid. 20, 3
15. sqq. — „*Ne tangatis unctos* i. e. sacerdotes *meos, Et vatibus*
meis ne faciatis male!“ Sacerdotes et vates (cf. Gen. 20, 7.)
16. vocantur patriarchae, quia dei fuerunt quasi *internuntii.* — *Et*
vocavit famem super terram, Cananaeam, Gen. 41, 54 sqq.,
Omnem baculum panis fregit, panis maximam inopiam effecit,
17. cf. ad Jes. 3, 1. — *Misit ante eos virum, In servum venditus*
18. *est Josephus.* — *Afflixerunt compede pedes ejus, In ferrum,*
19. catenas *intravit anima ejus* i. e. ipse, — *Usque ad tempus quo*
evenit, eventum habuit *verbum ejus*, quo regiis ministris somnia
in carcere erat interpretatus, Donec *dictum Jovae*, quod pro-
locutus erat, cujus interpres fuerat Josephus (cf. Gen. 41, 16. al.),
20. *probavit eum.* — *Misit rex et solvit eum, Dominator popu-*
21. *lorum, et vinculis expedivit eum.* — *Posuit*, constituit *eum*
dominum super domum suam, Et dominatorem in omnem pos-
22. *sessionem suam*, — *Ut vinciret principes ejus ad libidinem*
suam, plena in eos uteretur potestate, *Et seniores ejus*, pro-
ceres *doceret sapientiam*, constituendae civitatis intellige sapien-
23. tiam, rei publicae disciplinam. — *Et venit Israel in Aegyptum,*
Et Jacob hospes commorabatur in terra Chami (78, 51.). —
24. *Et fecundum reddidit* deus *populum suum valde, Et validiorem*
25. *fecit eum hostibus ejus.* — *Et mutavit animum eorum, ut odio*
haberent populum suum, Ut fraudulenter agerent in servos
26. *suos.* — *Misit Mosen, servum suum, Aaronem, quem elegerat.*
27. — *Fecerunt inter eos res illius mirabiles, Et signa*, potentiae
28. ejus documenta, *in terra Chami.* — *Misit tenebras et caligi-*
nem fecit, Nec repugnarunt verbis ejus Aegyptii, qui, quoties-
cunque plagam immiserat deus, ad dimittendos Israelitas fuerunt
parati, simulatque vero plaga desierat, detrectarunt populum di-
mittere. Ceterum vates quamquam non omnes plagas, tamen eo

ordine quo immissae sunt refert, si discesseris a nona tenebra-
rum plaga, quam primo loco posuit. יַחְשִׁךְ nonnulli intransitive
acceptum volunt coll. Ps. 139, 12. et Jer. 13, 16. Sed vide
quae observavimus ad Jer. illum locum. — *Mutavit aquas eorum* 29.
in sanguinem, Et occidit pisces eorum. — *Scatuit terra eo-* 30.
rum ranis, In ipsis *conclavibus regum eorum.* Alii: *in* ipsa
conclavia, בְּ accipientes de motu, quod ad prius hemistichium
minus convenit. — *Jussit, et venit musca canina* (vid. ad 55, 31.
18.), *Culices in omnes fines eorum.* — *Fecit imbres eorum* 32.
grandinem, Ignem flammarum in terra eorum, loco imbrium
grandinem misit cum fulminibus. — *Et percussit vitem eorum* 33.
et ficum eorum, Et confregit arbores finium, regionis *eorum.*
Ad hunc et proximos versus cf. 78, 46. 47. 51. — *Jussit, et* 34.
venit locusta, Et insectum vorax carens numero. — *Et ab-* 35.
*sumsit omnem herbam in terra eorum, Et absumsit fructum
agri eorum.* — *Et percussit omne primogenitum in terra eo-* 36.
rum, Primitias omnium virium eorum (78, 51.). — *Et eduxit* 37.
eos, Israelitas, *cum argento et auro,* cum argenteis et aureis
vasis, Exod. 12, 35 sqq., *Neque erat in tribubus ejus,* Israelis,
labens, infirmus, qui sequi agmen non posset. — *Laetatus est* 38.
Aegyptus, Aegypti populus *exitu eorum, Nam ceciderat pavor
eorum super eos,* Aegyptios, pavebant Aegyptii Israelitas propter
calamitates, quas illorum causa deus ipsis inflixerat. — *Ex-* 39.
pandit nubem in tegumentum, pro tegumento, *Et ignem ad
illustrandam noctem,* Exod. 14, 19 sqq. — *Postulavit* Israel, *et* 40.
adduxit Jova *coturnices, Et pane coelesti satiavit eos.* —
Aperuit petram, et fluxerunt aquae, Manarunt per loca arida, 41.
deserta, *fluvius,* fluvii instar. — *Nam memor fuit verbi sui* 42.
sancti Cum Abrahamo, servo suo, quod locutus erat cum A.
Alii: *Abrahami, servi sui* (memor fuit). — *Atque ita eduxit* 43.
populum suum inter gaudia, Inter jubila electos suos. — *Et* 44.
dedit iis terras populorum, Et laborem nationum, partas ab
illis opes *occuparunt,* — *Ideo ut observarent statuta sua, Et* 45.
leges suas tenerent. Laudate Jah!

PS. CVI. „Celebrat et hic Psalmus beneficia dei, exhibita patribus populi Judaici in solitudine deserta et initiis occupationis terrae Cananaeae, inprimis autem misericordiam ejus ingentem, qua ignoverit benignissime peccatis gravissimis ipsorum."

10. piendum. — *Et quod constituit Jacobo in statutum, Israeli in*
11. *foedus perpetuum,* — *Dicens: „tibi dabo terram Cananaeam*
12. *Partem peculii vestri;“* — *Quum* adhuc *essent homines numeri,*
faciles numeratu, *Tanquam pauci et peregrini in ea.* Quod
pro בִּהְיוֹתָם in Chronicis vs. 19. legitur בִּהְיוֹתְכֶם non dixerim
lectionem difficiliorem, esse alteri praeferendam. Ea enim con-
13. formata videtur ad נַחֲלַתְכֶם vs. 11. — *Et migrarunt de populo*
14. *ad populum, De* uno *regno ad nationem aliam.* — *Non con-*
cessit cuiquam, opprimere eos, Et castigavit eorum causa
reges, veluti Pharaonem Gen. 12, 17., Abimelechum ibid. 20, 3
15. sqq. — „*Ne tangatis unctos* i. e. sacerdotes *meos, Et vatibus*
meis ne faciatis male!“ Sacerdotes et vates (cf. Gen. 20, 7.)
16. vocantur patriarchae, quia dei fuerunt quasi *internuntii.* — *Et*
vocavit famem super terram, Cananaeam, Gen. 41, 54 sqq.,
Omnem baculum panis fregit, panis maximam inopiam effecit,
17. cf. ad Jes. 3, 1. — *Misit ante eos virum, In servum venditus*
18. *est Josephus.* — *Afflixerunt compede pedes ejus, In ferrum,*
19. catenas *intravit anima ejus* i. e. ipse, — *Usque ad tempus quo*
evenit, eventum habuit *verbum ejus,* quo regiis ministris somnia
in carcere erat interpretatus, Donec *dictum Jovae,* quod pro-
locutus erat, cujus interpres fuerat Josephus (cf. Gen. 41, 16. al.),
20. *probavit eum.* — *Misit rex et solvit eum, Dominator popu-*
21. *lorum, et vinculis expedivit eum.* — *Posuit,* constituit *eum*
dominum super domum suam, Et dominatorem in omnem pos-
22. *sessionem suam,* — *Ut vinciret principes ejus ad libidinem*
suam, plena in eos uteretur potestate, *Et seniores ejus,* pro-
ceres *doceret sapientiam,* constituendae civitatis intellige sapien-
23. tiam, rei publicae disciplinam. — *Et venit Israel in Aegyptum,*
Et Jacob hospes commorabatur in terra Chami (78, 51.). —
24. *Et fecundum reddidit* deus *populum suum valde, Et validiorem*
25. *fecit eum hostibus ejus.* — *Et mutavit animum eorum, ut odio*
haberent populum suum, Ut fraudulenter agerent in servos
26. *suos.* — *Misit Mosen, servum suum, Aaronem, quem elegerat.*
27. — *Fecerunt inter eos res illius mirabiles, Et signa,* potentiae
28. ejus documenta, *in terra Chami.* — *Misit tenebras et caligi-*
nem fecit, Nec repugnarunt verbis ejus Aegyptii, qui, quoties-
cunque plagam immiserat deus, ad dimittendos Israelitas fuerunt
parati, simulatque vero plaga desierat, detrectarunt populum di-
mittere. Ceterum vates quamquam non omnes plagas, tamen eo

ordine quo immissae sunt refert, si discesseris a nona tenebra-
rum plaga, quam primo loco posuit. יַחְשִׁךְ nonnulli intransitive
acceptum volunt coll. Ps. 139, 12. et Jer. 13, 16. Sed vide
quae observavimus ad Jer. illum locum. — *Mutavit aquas eorum* 29.
in sanguinem, *Et occidit pisces eorum*. — *Scatuit terra eo-* 30.
rum ranis, *In* ipsis *conclavibus regum eorum*. Alii: *in* ipsa
conclavia, בּ accipientes de motu, quod ad prius hemistichium
minus convenit. — *Jussit*, *et venit musca canina* (vid. ad 55, 31.
18.), *Culices in omnes fines eorum*. — *Fecit imbres eorum* 32.
grandinem, *Ignem flammarum in terra eorum*, loco imbrium
grandinem misit cum fulminibus. — *Et percussit vitem eorum* 33.
et ficum eorum, *Et confregit arbores finium*, regionis *eorum*.
Ad hunc et proximos versus cf. 78, 46. 47. 51. — *Jussit*, *et* 34.
venit locusta, *Et insectum vorax carens numero*. — *Et ab-* 35.
sumsit omnem herbam in terra eorum, *Et absumsit fructum*
agri eorum. — *Et percussit omne primogenitum in terra eo-* 36.
rum, *Primitias omnium virium eorum* (78, 51.). — *Et eduxit* 37.
eos, Israelitas, *cum argento et auro*, cum argenteis et aureis
vasis, Exod. 12, 35 sqq., *Neque erat in tribubus ejus*, Israelis,
labens, infirmus, qui sequi agmen non posset. — *Laetatus est* 38.
Aegyptus, Aegypti populus *exitu eorum*, *Nam ceciderat pavor*
eorum super eos, Aegyptios, pavebant Aegyptii Israelitas propter
calamitates, quas illorum causa deus ipsis inflixerat. — *Ex-* 39.
pandit nubem in tegumentum, pro tegumento, *Et ignem ad*
illustrandam noctem, Exod. 14, 19 sqq. — *Postulavit* Israel, *et* 40.
adduxit Jova *coturnices*, *Et pane coelesti satiavit eos*. —
Aperuit petram, *et fluxerunt aquae*, *Manarunt per loca arida*, 41.
deserta, *fluvius*, fluvii instar. — *Nam memor fuit verbi sui* 42.
sancti Cum Abrahamo, *servo suo*, quod locutus erat cum A.
Alii: *Abrahami*, *servi sui* (memor fuit). — *Atque ita eduxit* 43.
populum suum inter gaudia, *Inter jubila electos suos*. — *Et* 44.
dedit iis terras populorum, *Et laborem nationum*, partas ab
illis opes *occuparunt*, — *Ideo ut observarent statuta sua*, *Et* 45.
leges suas tenerent. *Laudate Jah!*

PS. CVI. „**Celebrat et hic Psalmus beneficia dei, exhibita patribus populi Judaici in solitudine deserta et initiis occupationis terrae Cananaeae, inprimis autem misericordiam ejus ingentem, qua ignoverit benignissime peccatis gravissimis ipsorum.**“

Ros. Est hujus quoque pura puta prosa oratio. Quae vs. 47.
leguntur docent exsilii aetate compositum esse. In strophas
1. dividi non potest. Vs. 1—5. continetur prooemium. — *Laudate Jah! Gratias agite Jovae! nam benignus* est, *Nam in*
2. *perpetuum* est, manet *gratia ejus.* — *Quis eloquetur*, eloqui
poterit *fortia facta*, facinora *Jovae*, *Praedicabit omnes laudes*
3. *ejus?* — *O felices, qui observant legem*, Felicem, *qui exercet*
justitiam omni tempore! Quibus hoc sibi vult: quam longe
alia nunc conditio esset Israelitarum, si observassent leges divi-
4. nas! — *Memento mei, Jova, cum benevolentia erga populum*
tuum i. e. conferenda benevolentia in populum tuum, *Vise me*
cum auxilio tuo, adesto mihi ope tua! בִּרְצוֹן עַמֶּךָ male non-
nulli *pro bevevolentia erga populum tuum*, pro gratia qua am-
plecteris populum tuum, existimant significare. Esse verba ea
qua nos accepimus ratione accipienda, plane perlucet ex hemi-
stichio altero. Nec magis verum est, quod *memento mei, vise*
me positum dicunt pro *memento nostri, vise nos.* Suo nomine
deum rogat vates h. l.; sed quod suo nomine deum rogat, id
totius populi est salus; cf. vs. 5. Infra vs. 47. nomine omnium
rogat. Aliarum opinionum levitatem confutabimus ad vs. seq.
5. — *Ut cum voluptate videam felicitatem electorum tuorum*,
Israelitarum, cf. 105, 43. Jes. 43, 20. 45, 4. al., *Ut laeter lae-*
titia populi tui, Ut glorier cum peculio, populo *tuo!* Recen-
tiorum aliquis carmen ab exsule quodam eo tempore, quo major
pars populi in patriam rediisset, factum credens versum quartum
cum quinto sic explicat: *Memento mei, Jova, cum benevolentia*
erga populum tuum i. e. eandem erga me et reliquos qui adhuc
in exsilio versamur habe benevolentiam, quam habuisti erga eos,
qui jam reversi sunt in patriam ... *Ut cum voluptate videam*
felicitatem electorum tuorum, civium abs te jam nunc ereptorum
exsilii miseria cet. Verum nihil reperio, quo firmetur ista in-
terpretatio; ex בְּחִירִים enim nihil tale potest colligi (vid. sup.).
Repugnat potius, quod per totum Psalmum universus populus
respicitur; cf. inprimis conclusio. Qua eadem difficultate laborat
alius interpretatio haec: *Memento mei* cet. i. e. noli oblivisci
6. mei, cum populum tuum in patriam reduces. — *Peccavimus*
cum patribus nostris, i. e. ut patres nostri, *Prave fecimus*,
7. *impie egimus.* — *Patres nostri in Aegypto non attenderunt*
mirabilia tua, facinora tua, *Non memores fuerunt multitudinis*

beneficiorum tuorum, *Et rebellarunt ad mare*, *ad mare algosum*, sinum Arabicum. Postrema verba Alexandrinus *καὶ παρεπίκρανας ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ* reddidit, pro על ים legens עלים (עֹלִים), quod recipiendum putat recentiorum aliquis, existimans, עַל יָם scholion esse scioli qui offendisset in בְּיָם, ut quod pugnare visum esset cum historia, quum non *in mari*, sed *ad mare* primum rebellaverint Israelitae; esse vero בְּיָם *in mari* scriptum a vate ad amplificandam Israelitarum culpam, siquidem significetur, incepisse Israelitas rebellare eo ipso, quo liberarentur, temporis momento. Sed valde quaesitus mihi videtur hic qui ex עֹלִים scriptura et בְּיָם vocis ea quae placuit viro docto interpretatione nascitur sensus. Nec probabile est, offendisse aliquem in בְּ praemisso יָם voci, cum notissima res sit, בְּ etiam significare *ad*, *apud*, cf. בִּנְהַר כְּבָר Ezech. 10, 15. ibique not. Veri potius simillimum est, suo arbitratu Alexandrinum in עֹלִים mutasse עַל יָם, quod supervacaneum et molestum videretur sequente בְּיָם. Talia vero in scriptore qualis hic est nihil habent miri. Amant enim qui sententiarum inopia
laborant cumulare verba. — *Et liberavit eos* Jova *propter no-* 8.
men suum, *Ut notam faceret potentiam suam*. — *Et incre-* 9.
pavit mare algosum, *et exsiccatum est*, *Et duxit eos per*
fluctus, *velut* per *desertum*, regionem *aridam*. כַּמִּדְבָּר E. gr.
min. §. 534. — *Et liberavit eos e manu osoris*, *Et redemit* 10.
eos a manu hostis. — *Et operuerunt aquae adversarios eorum*, 11.
Ne unus quidem *ex illis reliquus fuit*. — *Et fidem habuerunt* 12.
verbis ejus Israelitae, *Et cecinerunt laudes ejus*; cf. Exod.
14, 31. — *Celeriter*, mox *obliti sunt operum ejus*, *Non ex-* 13.
spectaverunt consilium ejus, eventum eorum, quae ipsorum causa
facere instituerat Jova. — *Et cupiverunt cupidinem*, cepit eos 14.
cupido aliqua *in deserto*, *Et tentarunt deum in terra vasta*.
— *Et dedit*, concessit *iis petitum eorum*, *Et misit maciem in* 15.
ipsos. Non sine vi dicit וַיְשַׁלַּח *et misit*, ut quo poenam cu-
pidinis eodem tempore inflictam esse exprimat, quo concessum
est petitum. — *Et inviderunt Mosi in castris*, *Aaroni*, *sancto*, 16.
sacerdoti *Jovae*; cf. Num. 11. et 16. — *Et aperuit se terra*, 17.
et devoravit Dathanem, *Et operuit turbam Abirami*. פָּתַח
h. l. *aperire se*, propr. *aperire os*, omisso פִּיהָ Num. 16, 32.
G. gr. ampl. p. 851. — *Et exarsit ignis in turba eorum*, 18.
Flamma absumsit improbos. — *Fecerunt vitulum ad Horebum*, 19.

20. *Et prostraverunt se simulacro fuso*, coram eo. — *Et permu-*
tarunt gloriam suam i. e. Jovam, decus ipsorum, *Cum imagine*
21. *bovis vorantis herbam.* — *Obliti sunt dei, liberatoris ipsorum,*
22. *Qui fecerat magna in Aegypto,* — *Mirabilia in terra Chami,*
23. *Terribilia ad mare algosum.* — *Et cogitasset* Jova *delere eos,*
Nisi Moses, electus ejus, stetisset in ruptura coram eo i. e.
nisi Moses intercessisset, *Ad repellendam*, avertendam *iram ejus*
a perdendo, Exod. 32, 10. עָמַד בַּפֶּרֶץ *stare in ruptura* locutio
ab oppugnationibus petita est, ubi, qua parte stratus murus est,
fortiores milites arcent objectis corporibus hostes; cf. Ezech.
24. 13, 5. 22, 30. — *Et spreverunt terram desiderii*, audito explo-
ratorum nuntio abjecerunt omne studium occupandi terram opta-
tissimam, Num. 13 sq., *Non fidem habuerunt verbo ejus*, pro-
25. missis. — *Et fremuerunt in tentoriis suis, Non obtemperarunt*
26. *voci Jovae.* — *Et sustulit* Jova *manum suam* i. e. juravit *iis,*
27. *Se prostraturum esse eos in deserto,* — *Et projecturum se esse*
(140, 11. al.) *semen*, posteros *eorum inter populos, Et dis-*
persurum eos per terras. Quae scribenti obversabantur Lev.
28. 26, 33., nam Num. 14, 28 sqq. nihil tale legimus. — *Et ad-*
haeserunt Baal-Peoro, cultui ejus se addixerunt, *Et comede-*
runt sacrificia mortuorum. Sacrificia mortuorum alii putant
sacrificia esse oblata diis fictitiis, coll. Ps. 115, 5 sqq. Jer. 11,
10., alii sacrificia necromantica, coll. Jes. 8, 19. Deut. 18, 11.
Verum nil nisi *illicitae inferiae* videntur esse intelligendae. —
29. *Et irritarunt*, concitarunt Jovam in iram *facinoribus suis, Et*
30. *irrupit in eos plaga.* — *Et surrexit Pinehas et judicavit*, ju-
dicium exercuit castigando, Num. 25, 7 sq., *Et cohibita est*
31. *plaga.* — *Et imputatum* id *est ei pro justitia*, virtute, pietate,
32. *Per omnes aetates in perpetuum*, Num. 25, 12 sq. — *Atque in*
iram concitarunt (Jovam) *ad aquas Meribae (rixae), Et male*
33. *actum est cum Mose illorum causa*, Num. 20, 1 sqq. — *Nam*
repugnarunt animo, voluntati *ejus*, Mosis, *Et inconsiderata*
34. *locutus est labiis suis*, Num. 20, 10. — *Non deleverunt populos,*
Quos dixerat Jova iis, Exod. 23, 32 sq. 34, 11 sqq. Jud. 1, 27
35. sqq. 2, 2. — *Permiscuerunt se cum populis, Et didicerunt*
36. *opera eorum.* — *Et coluerunt simulacra eorum, Et facta sunt*
37. illa *iis laqueus*, causa perniciei. — *Et sacrificarunt filios suos*
38. *et filias suas diis commentitiis.* — *Et fuderunt sanguinem in-*
sontem, Sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, Quos

sacrificarunt simulacris Cananaeis, *Et profanata est terra*
sanguine. — *Et polluerunt se operibus suis*, *Et scortati sunt*, 39.
a deo defecerunt *facinoribus suis*. — *Et exarsit ira Jovae in* 40.
populum suum, *Et abominatus est peculium suum*. — *Et tra-* 41.
didit eos in manum populorum, *Et dominati sunt in eos oso-*
res eorum. — *Et oppresserunt eos hostes eorum*, *Et subjecti* 42.
sunt Israelitae *sub manum eorum*. — *Saepenumero eripuit eos*, 43.
Et, at *illi repugnarunt consilio suo*, sua ipsorum perversa,
perdita consilia sequentes, *Et corruerunt culpa sua*. — *Et* 44.
adspexit angustias quae *iis*, angustias eorum, *Ubi audivit*
clamorem eorum. — *Et memor fuit iis*, eorum in salutem *foe-* 45.
deris sui, *Et misertus est pro magnitudine gratiae suae*. Pro
חֲסָדוֹ Masorethae: חֲסָדָו (חֲסָדָיו), ut conformetur vox ad חֲסָדֶיךָ
vs. 7. — *Et dedit eos misericordiae Coram omnibus*, *qui eos* 46.
captivos tenebant, gratiam iis conciliavit omnium, a quibus
captivi, quorum imperio oppressi tenebantur. Ad pristina tem-
pora, non ad exsilium Babylonicum referenda haec esse docet
versus qui subjicitur. — *Libera nos*, *Jova*, *deus noster*, *Et* 47.
collige nos ex populis, *Ut celebremus nomen tuum sanctum*,
Ut gloriemur laudibus tuis! — Subjicitur doxologia libri qui 48.
hic finitur quarti. *Laudatus sit Jova deus Israelis ab aeterni-*
tate et in aeternitatem! et dicat omnis populus: Amen! Lau-
date Jah! Negavit nuper aliquis, בָּרוּךְ et וְאָמַר reddenda esse
laudatus sit, *et dicat*, reddenda potius *laudatus est*, *et dicit*,
sed levissimis de causis. בָּרוּךְ ne jussive capiatur impedire putat
מִן הָעוֹלָם, quasi non possit, ut *factum sit* aliquid, optari!
וְאָמַר vero quominus reddatur *et dicat* obstare credit Praeteriti
formam. At Praeteritum relativum est וְאָמַר, praegresso Jussivo
vim admittens Jussivi. Nec firmiores sunt rationes, quibus alius
interpres probare studuit, non doxologiam esse hunc versum,
sed carminis, cui adnexus est, conclusionem. Primum enim
plane nihil efficitur eo, quod ab argumento Psalmi versus non
abhorret. Deinde quod in reliquis doxologiis אָמֵן וְאָמֵן, hic
vero simpliciter אָמֵן dicitur, contra, quod 41. 72. 89. deest,
hic subjicitur הַלְלוּ יָהּ, et ipsum tam leve est quam quod le-
vissimum. Nam quum non ut ovum ovo inter se similes sint
doxologiae, sed sua quaeque habeat propria, facile profecto in-
telligitur, nullius momenti esse istas differentias. Videtur autem,
siquidem operae pretium facimus, causam quaerentes rei vilis,

simplex אָמֵן h. l. positum esse propter additum הַלְלוּ יָהּ, הַלְלוּ יָהּ vero quod appositum est, causa est ejusdem hujus formulae frequentatio in his ipsis, quos modo enarravimus, Psalmis (104. et seqq.).

PS. CVII. Qui nuperrime Psalmos enarravit voluisse statuit qui hunc Psalmum scripsit providentiam dei celebrare universe, eamque illustrare omnis generis exemplis non veris ex ipsa historia petitis sed fictis. Commemorari quidem initio carminis exsulum liberationem, sed eo tantum consilio, ut ab hac quoque parte proferatur divini auxilii exemplum. Verum quae in prooemiis Psalmorum dicuntur, ea indicare solent eorundem argumenta, ut vix dubium relinquatur, quin quaecunque hoc Psalmo continentur ad exsulum rationes referenda sint. Neque non certum est, posse ad illas commode referri omnia, dummodo recte distinguas signa et imagines a rebus significatis. Vere igitur jam Schnurrerus Psalmum hunc compositum esse statuit „tum, postquam Judaei ex Babylonia primum, deinde et aliunde ex variis regionibus, velut ex Aegypto, Arabia cet., quo olim, turbato reipublicae statu, vel ultro profugissent, vel per vim hostium abducti essent, reduces in patriam facti, rem suam publicam et familiarem atque domesticam feliciter instaurare coepissent.“ Strophae cum prooemio sex: vs. 1—3: gratias agant Jovae Judaei de exsilio revocati, 4—9: qui postquam sedibus suis expulsi summa inopia conflictati erant, restituti sunt a deo in rem familiarem, 10—16: qui ex carcere et vinculis in libertatem vindicati, 17—22: qui ex praesentissimo mortis periculo erepti, 23—32: qui ex immani procella salvi in portam deducti; 33—43: gratias agant, quod terra, quum vastata penitus incolisque orbata jacuisset, recepit nunc colonos suos, atque ad pristinam culturam ubertatemque rediit. Quae prooemium subsequuntur quatuor strophae, ita sunt conformatae, ut partibus suis singulis inter se respondeant. Primo loco ubique certum genus calamitatis exponitur (vs. 4 sq. 10—12. 17 sq. 23—27.), secundo auxilium divinum precibus efflagitatum commemoratur (vs. 6 sq. 13 sq. 19 sq. 28—30.), tertio ad gratias deo peragendas exhortatio subjungitur (vs. 8 sq. 15 sq. 21 sq.
1. 31 sq.). — „*Gratias agite Jovae, nam benignus est, Nam in*
2. *perpetuum est, manet gratia ejus!*“ — Sic *dicant* (cf. vs. 8.
15. 21. 31.) *redempti Jovae*, liberati a Jova, *Quos redemit*

a manu adversarii, — *Atque e terris collegit*, *Ab oriente et* 3.
ab occidente, *A septentrione et a mari*, a regione ad Afri-
cum sita. Post מִצָּפוֹן exspectatur *et ab austro*. Itaque non-
nulli pro וּמִיָּם legi volunt וּמִיָּמִין (89, 13.), quae mutatio nec
codicum potest neque veterum interpretum firmari auctoritate,
alii יָם h. l. esse volunt sinum Arabicum, invito usu loquendi.
Intellige maris medii partem ad Africum i. e. Aegyptum versus
sitam, quae plaga commode opponitur septentrioni. — *Errarunt* 4.
per desertum, *per solitudinem viae*, inviam solitudinem, *Urbem
habitationis*, ubi habitare possent, *non invenerunt*. Nonnulli
LXX, Vulg. Syr. secuti דֶּרֶךְ jungendum putarunt cum עִיר
(*Errarunt per desertum*, *per solitudinem*, *Viam urbis* cet.),
neglecto accentu et repugnante בִּישִׁימוֹן non munito articulo.
Describitur h. v. miseria exsulum vagantium, nullam habentium
sedem firmam. — *Esurientes* fuerunt *et sitientes*, *Anima eorum* 5.
in iis elanguit, defecit. — *Et clamarunt ad Jovam in angustiis* 6.
quae iis, in angustiis suis (106, 44.), *Ex angustiis eorum
eripuit eos*. — *Et ingredi fecit eos viam rectam*, duxit eos 7.
in viam rectam, *Ut venirent in urbem habitationis*, qua domi-
cilium collocare possent. Sensus: de exsilio reductos restituit
in patrias sedes. — *Celebrent Jovae gratiam ejus*, *Et mira-* 8.
bilia, magna facinora *ejus hominibus*, לְ utroque loco Dativi
signum est, — *Quod satiavit animam sitientem*, *Et animam* 9.
esurientem replevit bono, bonis! — *Incolae tenebrarum et um-* 10.
brae mortis i. e. qui sederunt in carcere tenebricoso et terroris
pleno, *Captivi miseriae et ferri*, quos captivos tenuit miseria
et ferrum, nisi mavis intelligere ferrum aerumnosum, עֳנִי וּבַרְזֶל
dictum per ἓν διὰ δυοῖν, coll. vs. 14. Quod suppressum est
sententiae Praedicatum inest in יוֹדוּ וגו' vs. 15. cf. 8. 21. 31.
— *Nam repugnarunt verbis dei*, *Et consilium altissimi spre-* 11.
verunt. — *Et depressit aerumnis animum eorum*, *Labarunt*, 12.
neque adfuit adjutor. — *Et clamarunt ad Jovam in angustiis* 13.
suis, *Ex angustiis eorum liberavit eos*. — *Eduxit eos e te-* 14.
nebris et umbra mortis, *Et vincula eorum rupit*, cf. vs. 10. —
Celebrent Jovae gratiam ejus, *Et mirabilia ejus hominibus*, 15.
— *Quod confregit januas aeneas*, *Et vectes ferreas concidit!* 16.
cf. Jes. 45, 2. — *Stulti*, male sani, *propter viam*, agendi ratio- 17.
nem *suam desciscentem*, eo quod desciverunt a Jova, *Et propter
delicta sua adflictos se reddiderunt*, mala sibi concitarunt. —

18. *Omnem cibum abominata est anima eorum*, prae summo moerore,
19. puta, cf. 102, 5., *Et pervenerunt ad portas mortis.* — *Et cla-*
marunt ad Jovam in angustiis suis, *Ex angustiis eorum libe-*
20. *ravit eos.* — *Misit verbum suum et sanavit eos*, i. e. jussit ut
sanarentur (cf. vs. 25.), refocillarentur exstincti paene miseria,
21. *Et eripuit eos e foveis*, sepulcris *eorum*, cf. vs. 18. — *Cele-*
22. *brent Jovae gratiam ejus*, *Et mirabilia ejus hominibus*, — *Et*
sacrificent sacrificia gratiarum, *Et enarrent opera ejus voce*
23. *laeta!* — Quae nunc sequuntur non possunt malorum, quae ex-
sulibus perferenda fuerunt, omnium communis imago haberi petita
a nautis procella agitatis, sed proprie accipienda sunt, quando-
quidem quae vs. 23. habentur prorsus aliena essent ab ista ima-
gine. *Qui descenderunt in mare navibus*, qui mari ingressi sunt,
navigationi se commiserunt, *Qui fecerunt opus in aquis magnis*,
i. e. qui vitae sustentandae causa mercaturam maritimam, aut,
si mavis, officium maritimum, operam navalem fecerunt exsules.
Cogitandi hic potissimum sunt exsules degentes in Aegypto, Phi-
listaea, Syria, aliisque oris et insulis quoque maris medii, cf.
Jes. 11, 11 sq. Joel. 3, 11. Am. 1, 6. 9. Ezech. 27, 13 sq. al.
Descendere in mare dicuntur, qui navigationi se committunt,
24. quia litus altius est mari. — *Illi viderunt opera Jovae*, *Et*
mirabilia ejus, mira ejus facta *in profundo* i. e. illi experti sunt
mirificum dei auxilium, utpote ex immani tempestate salvi de-
ducti in portum. Prorsus a vero aberrant, qui de multis variis-
que, quae in mari navigantibus se offerunt, rebus insolitis mi-
25. randisque hic cogitant; cf. quae statim subjiciuntur. — *Et dixit*,
jussit (cf. vs. 20.), *et surgere fecit*, excitavit *procellam*, *Et*
sustulit in altum procella *fluctus ejus*, maris (vs. 23 sq.). —
26. *Adscenderunt in coelum* navigantes, *descenderunt in abyssos*,
Animus eorum in calamitate, in tanto discrimine *diffluxit* pavore
27. et metu. — *Vertigine correpti sunt et titubarunt sicut ebrius*,
Et omnis sapientia eorum periit; cf. Ovid. Trist. 1, 2: rector
in incerto est, nec quid fugiatve petatve Invenit, ambiguis ars
28. stupet ipsa malis. — *Et clamarunt ad Jovam in angustiis suis*,
29. *Atque ex angustiis eorum eduxit eos.* — *Subsistere fecit*, co-
hibuit *procellam in silentium*, ut sileret, *Et tacuerunt fluctus*
eorum, יַמִּים, מַיִם, marium, aquarum, non, ut nuper alius judi-
cavit, navigantium, quorum fluctus dicantur fluctus qui illos
modo anxerint, quod quaesitum. דְּמָמָה non, ut alii volunt, la-

nem auram, sed nil nisi *silentium* ventorum oppositum eorundem
furori significat, ita ut prius hemistichium non nisi hoc dicat,
sedasse Jovam turbulentam tempestatem. יָקֵם, יָשֵׂם vs. 33., ut
18, 12. al. — *Et laetati sunt, quod consederunt*, siluerunt 30.
fluctus, *Et duxit eos* Jova *in portum desiderii eorum*, desideratum. חוז, a quo est מָחוֹז, secundum veteres interpretes *portus* (LXX, Vulg. Syr. ἐπὶ λιμένα θελήματος αὐτῶν, *in portum voluntatis eorum*), Gesenius idem esse suspicatur quod עוז *confugere*, ut מָעוֹז propr. sit *refugium*. Alius nuper vicinum putavit חָזוּת, ita ut מָחוֹז propr. significet *id in quod prospicimus*, *metam*, *scopum*. Equidem nihil audeo definire. In Targg. et Talmude eadem vox dicitur de termino, tractu, urbe, platea, similiterque arab. حَوْزٌ est margo, ora, terminus, tractus. —
Celebrent Jovae gratiam ejus, *Et mirabilia ejus hominibus*, — 31.
Et efferant eum laudibus in coetu populi, *Et in consessu se-* 32.
niorum laudent eum! — Vere jam monuit Schnurrerus, partem 33.
carminis postremam nequaquam agere de regionum populorumque vicissitudinibus universe, sed separatim atque unice exhibere singularem illam terrae Judaicae conversionem, qua factum sit, ut primum, deductis in Babyloniam incolis, vasta atque inculta relinqueretur, deinceps, redditis colonis, novam faciem indueret (cf. Jes. 41, 17 sqq.). Ita enim ut statuas totius carminis indoles postulat; vid. supra; cf. etiam vs. 36. et 4. 7. Quum poetarum scripta plena sint exemplorum omissi articuli, Nomina articulo destituta non obstant, non magis, quam quod Futuris utitur vates; cf. יָקֵם vs. 29. 18, 12. al. *Fecit*, convertit *fluvios in desertum*, *Et fontes aquarum in terram sitientem*, aridam,
— *Terram frugiferam in salsam*, sterilem, *Propter pravitatem* 34.
eorum qui habitarunt in ea. Ad מְלֵחָה cf. Plin. H. N. 31, 7. omnis locus, in quo reperitur sal, sterilis est nihilque gignit. Virg. Georg. 2, 238: Salsa tellus, et quae perhibetur amara, Frugibus infelix. — *Fecit*, convertit *desertum in stagnum*, lacum 35.
aquarum, *Et terram aridam in fontes aquarum*, — *Et habi-* 36.
tare facit ibi esurientes, *Et erexerunt*, fundarunt *urbem*, urbes *habitationis*, quibus domicilium collocarent; cf. vs. 4. 7. — *Et* 37.
conseverunt agros, et plantarunt vineas, *Et fecerunt*, reddiderunt agri et vineae *fructum proventus*. — *Et fortunavit eos*, 38.
et aucti sunt valde, *Et pecus eorum non minuit*. — *Et minuti*, 39.
ad paucitatem redacti *sunt*, *et depressi sunt Oppressione*, *cala-*

mitate et aerumnis. Ad haec verba Schnurrerus, mitto enim recentiorum artificiosas et contortas interpretationes, „Hoc, inquit, negari nequit, in oratione nihil prorsus esse, quod lectorem moneat, de aliis hominibus nunc esse subito cogitandum. Est potius oratio sic comparata, ut non possis non in eam sententiam adduci, quod ad eosdem referenda sint omnia. Nos putamus, Praeterita haec dicta esse in relatione ad res praeteritas ante commemoratas, adeoque reddenda esse in Plusquamperfecto, quo facto planissime progreditur omnis oratio. Etenim, cum diceret vates, auctum nunc iterum esse divino beneficio civium numerum, fere non poterat non succurrere memoria pristinae calamitatis, qua factum erat, ut ad exilem numerum redigeretur populus. Transferendum igitur: *ad paucitatem redacti fuerant* cet." Quae hic habentur ad praeterita supra memorata referenda esse vir b. monuit verissime, male vero judicavit reddenda esse in Plusquamperfecto, utpote quod a Futuro conv., non praegresso Plusquamperfecto, abhorreat. Est potius eadem hujus loci ratio, quam vidimus esse Jos. 3, 1., id est, *ipse* scriptor in tempus praeteritum se refert, ex eoque tempore rem metitur, dicens: *et minuti sunt*, non ex praesenti, dicendo: *et*
40. *minuti erant* cet. cf. not. ad Jos. I. I. — *Effudit contemtum in principes*, contemtim eos ab hostibus haberi permisit, *Et errare fecit eos in vastitate invia*, cf. vs. 4. Quod per grammaticas leges defendi non potest nullo cum praecedentibus vinculo cohaerens שֹׁפֵךְ Participium, manifeste una cum reliquis ex Job. 12, 21. 24., unde sumtus est hic locus, singulari negligentia
41. scriptoris huc translatum est. — *Et extulit pauperem*, exsulem *ex miseria*, *Et fecit gregis instar familias*, gregis instar numerosas reddidit familias. Opposita haec sunt iis, quae dixe-
42. rat vs. 39. — *Vident* id *probi*, Israelitae, quos constat saepissime יְשָׁרִים dici κατ᾽ ἐξοχήν, *et laetantur*, *Et omnis pravitas claudit os suum* i. e. abstracto posito pro concreto: omnes pravi i. e. Israelitarum hostes claudunt os suum, tacent, non ultra mutire audent, pudore affecti spe frustrata. Bene Schnurrerus: „Qui confusi nunc esse dicuntur, ut ne hiscere quidem audeant, putem Idumaeos esse, Philistaeos, aliosque olim infensiores accolas, quos Judaeis, quum in Babyloniorum potestatem venirent, proterve illusisse, atque adeo patrii numinis vel negligentiam, vel virium, quae vindicando populo suo pares essent, inopiam

exprobrasse, ex multis prophetarum locis certo constat." Cete-
rum posterius hemistichium assumtum est ex Job. 5, 16. — *Quis* 43.
est sapiens? i. e. quicunque sapit (vid. ad 25, 12.), *is observet*
haec, *Ii* (mutato numero) *attendant beneficia Jovae!*

PS. CVIII. *Canticum*, *carmen* (30, 1.) *Davidis*. Totum 1.
conflatum est verbis hic illic mutatis ex Pss. 57. et 60., atque
vs. 2—6. quidem transscripti sunt ex Ps. 57, 8—12., vs. 7—14.
assumti ex Ps. 60, 7—14. Strophae tres: vs. 2—5: immen-
sam benignitatem tuam canam, o deus! 6—10: ostende, ser-
vaturus cultores tuos, potentiam tuam, o Jova, qui terram sanctam
una cum terris adjacentibus nostram esse jussisti! 11—14: te
duce vincemus. — *Firmum*, intrepidum est *cor meum*, *o deus!* 2.
Canam voce et fidibus Gloriam, *inquam*, *meam* i. e. Jovam
decus meum! Sic enim hoc loco intelligendum putamus אַף כְּבוֹדִי,
cf. 106, 20., non ut alii: *etiam anima mea*, quod languidum.
— *Expergiscere*, *lyra et harpa! Vigilabo cum aurora!* — 3.
Celebrabo te inter populos, *Jova*, *Et canam te inter nationes!* 4.
— *Nam magna super coelos est gratia tua*, *Et usque ad* 5.
nubes fides tua. — *Effer te super coelos*, *o deus! Et super* 6.
omnem terram sit gloria tua! — *Ut liberentur dilecti tui*, 7.
Opem fer dextera tua, *et exaudi nos!* — *Deus dixit per* 8.
sanctitatem suam: „*Exsultabo! Distribuam* inter vos *Siche-*
mum, *Et vallem Succoth metiar*, distribuendam inter vos! —
Mihi est *Gileaditis*, *mihi Manasse*, *Et Ephraim munimentum* 9.
capitis mei, galea mea, *Juda sceptrum meum.* — *Moab* est 10.
olla, pelvis *mea lotionis*, *In Idumaeam projicio calceum meum*,
De Philistaea jubilo." — *Quis* igitur *ducet me in urbem mu-* 11.
nitam, *Quis deducit me usque ad Idumaeam?* — *Nonne deus*, 12.
qui *rejecisti nos*, *Neque exiisti*, *o deus*, *cum exercitibus no-*
stris? — *Da nobis auxilium ab adversario! Vanum* est *auxi-* 13.
lium hominum. — *Per deum*, ejus adjuti ope *agemus fortiter*, 14.
Isque pedibus comminuet, subiget *adversarios nostros*. Anno-
tationem vide suo loco.

PS. CIX. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Davidis carmen*. 1.
Optime hic Psalmus in eam aetatem convenit, qua piis Jovae
cultoribus gravissima quaeque mala inflicta sunt ab factionibus
adversariis, lacerata discordiis intestinis civitate Judaeorum, in
aetatem, inquam, quae fuit proxima ante exsilium Babylonicum,

Strophae sex: vs. 1—5: persequuntur me homines improbi,
insidiosi, ingrati; 6—10: causa cadat adversarius, morte pereat
immatura! 11—16: diripiant facultates ejus alieni, deleantur
posteri ejus! 17—20: ipsi eveniant quae imprecari amavit
mala! 21—25: auxilio tuo adsis, Jova, omnibus modis misero!
26—31: serva me, ut pudore afficiantur adversarii, pro tanto
in me collato beneficio summis a me efferendus laudibus! —
Deus laudum mearum, quem perpetuis laudibus effero, ut qui sis
summum meum bonum fidissimaque spes mea, cf. inprimis 71, 6.,
2. *ne sis surdus* ad preces meas! — *Nam os improbi*, os quali
utitur improbus, *et os fraudis*, fraudulentum *contra me aperiunt*
adversarii, *Loquuntur mecum lingua mendaci*. Nequaquam pro-
bare possum, quod e recentioribus quidam prius hemistichium sic
reddidit: *nam os improbi et os fraudis contra me aperta sunt*,
quandoquidem reflexive vel passive tum tantum capi potest פָּתַח,
quum cogitatione suppressum est פֶּה Objectum, velut 106, 17.
3. De לְשׁוֹן שָׁקֶר vid. ad 3, 5. — *Et verbis odii*, odium spiranti-
bus *circumdant me*, *Et impugnant me sine causa*, immerito.
דִּבְרֵי Accusativum esse rei qua quis circumdatur vix monitu opus.
4. — *Pro amore meo*, pro eo quod amore eos prosecutus sum,
hostiliter persequuntur me, *Et ego*, ego vero *preces* sum, in
precibus totus sum, nil nisi preces fundo, indulgeo solis ad deum
precibus meis; cf. 120, 7: אֲנִי שָׁלוֹם *ego sum pax*, in pace totus
5. sum, nil nisi pacem colo. — *Et tribuunt mihi malum pro bono*,
6. *Et odium pro amore meo*. — *Constitue super illum* hominem
improbum i. e. immitte, Jova, adversario meo judicem (cf. quae
subjiciuntur) improbum, qui eum vexet, da eum vexandum judici
improbo, *Et adversarius* illius, adversarii mei, *stet ad dexte-
ram ejus* i. e. reum faciat eum! nam qui reum aliquem egit
apud Hebraeos, eum reo a dextra stetisse colligitur ex Zach. 3, 1.
הַפְקִיד עַל פ' locutio eodem quo hic significatu gaudet Lev. 26,
16. Quod, postquam vs. 2 sqq. in Plurali de *adversariis* locutus
est, hic et in sequentibus Singulari utens loquitur de *adversario*,
id plane nullam habet difficultatem. Singularis enim manifeste
est collective capiendus; cf. vs. 15: זִכְרָם, vs. 20., ubi *haec sit
merces*, inquit, *adversariorum meorum!* et vs. 25 sqq., in quibus
7. et ipsis utitur Plurali. — *Quum judicatur*, *exeat*, discedat
e judicio *reus*, *Et preces ejus* ad deum *sint peccatum*, impu-
8. tentur ipsi pro peccato, scelesto facto! — *Sint dies ejus pauci*,

Opes ejus accipiat alius! פְּקֻדָּתוֹ ut Jes. 15, 7. ubi cf. not. Ita
jam Syrus. Alii: *munus ejus*, monentes, *facultatum* admisso
significatu perperam hic sumi, quae pertineant ad vs. 11. Quod
falsum. Ibi enim de facultatibus *vivi*, hic de *mortui* facultatibus
agitur. — *Sint liberi ejus orphani, Et uxor ejus vidua!* — 9.
Vagentur liberi ejus et mendicent, Et stipem cogant procul 10.
a ruderibus suis, ruderibus domus suae, paternae domus! שָׁאַל
petere, דָּרַשׁ *quaerere*, utrumque omisso לֶחֶם, cf. Thren. 4, 4.
Ps. 37, 25. מִן procul *a*, ut Job. 28, 4. Membrum posterius
alius sic reddendum putavit: *et legant de ruderibus suis*, rude-
ribus domus paternae, res quae adhuc aliquam praestare possint
utilitatem. Cui explicationi vereor ne repugnet parallelismus.
LXX et Vulg. pro וְדָרְשׁוּ legisse videntur יְגֹרְשׁוּ sic interpretati
verba postrema: ἐκβληθήτωσαν ἐκ τῶν οἰκοπέδων αὐτῶν, *eji-
ciantur de habitationibus suis*. Retinenda tamen scriptura re-
cepta, ut quae difficilior sit altera, quamque tueatur praecedens
שָׁאַל. — *Laqueos injiciat fenerator omnibus quae sunt illi*, 11.
artibus feneraticiis ad se rapiat omnes facultates ejus, fenerato-
ribus cedant omnes ejus facultates, *Et diripiant alieni laborem
ejus*, opes ejus labore partas (78, 46.)! — *Ne sit illi qui pro-* 12.
trahat, diuturnam faciat, servet *benevolentiam*, *Neve sit qui
misereatur orphanorum illius!* Falsi sunt, qui לוֹ construunt
cum מֹשֵׁךְ. Pertinere ad יְהִי et locus docet, quem tenet, et
Makkeph. Ad hemistichium posterius cf. Ovid. in Ibin 115: sis
miser et nulli miserabilis! — *Sit posteritas ejus ad delendum*, 13.
deleantur posteri ejus, *In altera aetate exstinguatur nomen
eorum!* — *In memoriam revocetur culpa patrum ejus apud* 14.
Jovam i. e. culpam majorum ejus imputet ipsi, puniat in ipso
Jova, *Et peccatum matris ejus ne exstinguatur!* — *Sint*, de- 15.
licta parentum intellige, *coram Jova perpetuo*, eorum nunquam
non memon sit Jova, *Et deleat de terra memoriam eorum*,
adversariorum meorum! — *Eo quod non cogitavit* adversarius 16.
facere, habere, praestare *benevolentiam*, *Et persecutus est ho-
minem afflictum et pauperem*, *Et fractum animo*, *ad inter-
ficiendum* eum. — *Et amavit exsecrationem*, mala imprecari 17.
miseris (cf. vs. 20. 2 sq. 28.): *atque ita superveniat ea illi!
Nec delectatus est precatione laeta: atque ita procul absit ab
illo!* וַתְּבוֹאֵהוּ, וַתִּרְחַק sunt optantis (cf. vs. 19.), quamquam
qui rem obiter adspicit, aliter possit judicare, quum Futura Vav

conversivo instructa illud tempus eumque modum, qui proxime
praecessit, soleant exprimere. Hic vero post וַיֶּאֱהַב קְלָלָה et
וְלֹא חָפֵץ בִּבְרָכָה cogitando suppressum est יְהִי! De תְּבוֹאֵהוּ
18. vid. ad 35, 8. — *Et induat exsecrationem ut vestimentum*
suum, *Et intret* illa *aquarum instar in intima ejus*, *Et olei*
19. *instar in ossa ejus!* — *Sit illi ut vestis*, qua *tegit se*, *Atque*
20. *cingulum*, pro cingulo sit, *quo perpetuo se cingit!* — *Haec*
sit *merces adversariorum meorum a Jova* praestanda, *Et eorum*,
21. *qui loquuntur malum contra me!* — *Et tu*, tu vero, *o Jova*,
domine, *Fac mecum* i. e. rebus meis, causae meae fave, vel:
age mecum i. e. age tandem aliquid mecum, noli otiosus spectator esse miseriae meae (cf. vs. 1.), sed prius praestat, *propter*
nomen tuum (vid. ad 23, 3.)! *Nam bona*, praestans, eximia
22. (ut 69, 17.) est *gratia tua: eripe me!* — *Nam afflictus et*
23. *pauper ego sum*, *Et cor meum vulneratum est in me.* — *Ut*
umbra, *quum inclinat*, *abeo*, evanesco (cf. 102, 12.), *Excutior*,
ejicior *ut locusta*. Locustarum agmina constat exagitari ventis,
imbribus, clamoribus al.. Sed tertium comparationis nonnisi in
24. abeundo, evanescendo est quaerendum. — *Genua mea labant*
prae jejunio, inedia, ex aegritudine puta (cf. 107, 18. 102, 5.),
Et caro mea deficit pinguedine (non: *a pinguedine*). Possit tamen etiam seorsum accipi מִשָּׁמֶן in hunc sensum: *et caro mea deficit*, *ut non* amplius *sit pinguedo*, pinguis. Ceterum falluntur etymologi primariam כָּחַשׁ verbi significationem ponentes in *mentiendo*. Quod quam falsum sit vel ex eo potest colligi, quod mentiendi significatus nonnisi in Pi. inest. Praeterea tam abstractae notiones non possunt esse primariae. Antiquior significatus est *deficere*, cf. כַּחַשׁ *macies* Job. 16, 8., hinc Pi. significat propr. deficere, desinere facere, facere ut aliquid esse desinat, non sit amplius, hinc *abnegare*, *negare*, *mentiri* rel. Nuper aliquis: „כָּחַשׁ est subtrahere, hinc subtrahere-veritatem, mentiri." Egregie vero! Sic enim nihil non extricabis, velut si
25. objectum feceris sanam mentem, habebis hallucinari. — *Et sum*
ego contumelia iis, contumeliose habeor ab iis, *Vident me*,
motitant caput suum, de quo gestu cf. Ps. 22, 8. 2 Reg. 19, 21.
26. ibique not. — *Adjuva me*, *Jova*, *deus mi*, *Serva me secundum*
27. *gratiam tuam!* — *Et cognoscant*, *tuam manum hanc esse*, te
28. praesentem exhibuisse te, *Te*, *o Jova*, *fecisse illud!* — *Exsecrentur illi*, *tu vero fortunes!* *Surgunt et pudore afficiuntur*

spe frustrati, *Et servus tuus laetabitur.* — *Induant adversarii* 29.
mei ignominiam, Et tegant se, ut tunica, contumelia sua! —
Celebrabo, si precibus meis satisfecerit, *Jovam valde ore meo,* 30.
Et in medio multorum laudabo eum, — *Quod stat ad dexteram* 31.
pauperis (cf. 16, 8.), *Et liberat* eum *iis qui damnant eum.*

PS. CX. *Davidis carmen.* Veterum interpretum plerique 1.
Messiam hic cani putarunt, eamque sententiam e recentioribus quoque sunt qui suam faciant. Monent illi, Hebraeos hanc spem fovisse, fore, ut Messias, perdomitis ac debellatis hostibus, ipsos ad summum potentiae et splendoris fastigium eveheret, omnibusque populis imperaret, quae supersint vatum Hebraeorum scripta clarissime probare. Vere hoc quidem. Sed nihil victoriarum, potentiae et splendoris in hoc carmine inest, quod non dictum reperiatur in multis aliis de aliis, quorum victricia arma fuerunt aut futura sperabantur, Hebraeorum regibus. Nolo laudare Ps. secundum, ut quem et ipsum, quamquam temere, multi referant ad Messiam. Verum ut relegant Pss. 18. 20. 21. 45. 72. 76. 87. al., conferant etiam 47. 48. al., per veritatem interpretes obtestor. Porro clamant, qui hoc carmine celebretur, cum regia dignitate *sacerdotalem* in se conjunctam habere, illamque *aeternam*, quod nec de Davide dici potuisse, nec de ullo alio rege terrestri, sed de solo Messia credunt. Quasi vero possit, qui legerit quae 2 Sam. 6. habentur (cf. Zach. 6, 13.), dubitare, an potuerit, a poeta maxime, dei *sacerdos* dici Davides. Quid? quod ista dignitas ne a reliquis quidem Hebraeorum regibus abhorret, dei quippe vicariis atque internuntiis, sacrorum supremis defensoribus, adjutoribus, auctoribus, 1 Reg. 8. 2 Reg. 12, 4 sqq. 18, 4 sqq. 23, 1 sqq. cf. etiam Ps. 105, 15. de patriarchis. Quasi porro ulla urgeat necessitas, ut, quod sexcenties de *vitae tempore*, saepius etiam de minoris ambitus spatio dicitur עוֹלָם, hoc loco de metaphysica aeternitatis notione intelligatur! Audeant tandem sibi constare interpretes! Probabile mihi videtur, esse Psalmum, non a Davide, ut inscriptio perhibet, sed in Davidem ab alio eo tempore factum, quum arcam sacram ex aedibus Obededomi magna cum pompa Sionem ille transtulisset ibique collocasset, 2 Sam. 6., in quam occasionem quae in Psalmo leguntur omnia mirifice conveniunt. Davidi ad bellum proficiscenti carmen cantatum esse quominus credam, praeter alia me impediunt verba שֵׁב לִימִינִי

vs. 1. Duarum stropharum (1—3. 4—7.) est Psalmus, quarum
utraque incipit a dicto quodam Jovae, utraque regem Jovae au-
spiciis hostes omnes prostraturum esse dicit. Nam quod nuper
alius interpres primum regem moneri putavit, ut murmurantibus
in praesenti hostibus quietum se teneat, spe in deo reposita, de-
inde vero, simulatque hostium perniciem decrevisset Jova, surgat
illosque devincat proelio, id ad suum ipsius arbitrium illum sta-
tuisse, nemo non intelliget, qui liber ab opinione praejudicata ad
Psalmum accesserit. — Sermonem suum bis oraculi in modum
proponit vates, ineunte et medio carmine; cf. 2, 6. et 7 sqq.
Dictum Jovae ad dominum meum i. e. regem: „*Sede ad dexteram*
meam i. e. utere mea auctoritate et potentia, *Usque dum fecero*
hostes tuos scabellum pedibus tuis, eos tibi subjecero!“ Sedendo
ad dexteram principis in hebraica pariter atque in graeca anti-
quitate quandam imperii societatem indicari, res nota est. Sic
etiam vicarii (أَرْدَاف) veterum Arabum regum in consessu ad
dexteram regis locum tenebant; cf. Monum. antiquiss. hist. Arab.
ed. Eichh. p. 220: adsidet رِدْف (i. e. *qui post sequitur*, qui se-
cundus a rege est) *a dextera ejus*, et si in expeditionem egres-
sus fuerit rex, sedet in loco ejus, et ejus vices gerit cet. Ad
שִׁית פ' הֲדֹם לְרַגְלֵי פ' cf. Jos. 10, 24 sq. Cum dicit *usque dum*,
donec fecero cet., tempus, quod excurrit, in praesenti non spectat,
minime vero excludit. Sic 112, 8: non timet, usque dum oculos
pascet adversariis suis; Gen. 28, 15: non derelinquam te, usque
dum fecero, quae locutus sum ad te, al. Sensus: meis auspiciis
2. hostes tuos tu tibi subjicies. — Jam vates alloqui regem incipit:
Baculum, sceptrum *potentiae tuae emittit*, protendit *Jova ex*
Sione, *Impera in medio hostium tuorum*, in mediis hostibus tuis,
i. e. quamvis circumcirca sint hostes, vel quod praeferendum vi-
detur: eorum dominus! רְדֵה Imperativus est fidenter promit-
tentis, q. d. certo imperabis. Sensus: imperium tuum Jova dila-
3. tabit ex Sione. — *Populus tuus promtus* est *die militiae tuae*
in ornatu sancto i. e. promto animo, festoque indutus ornatu
populus tuus se tibi sistit proficiscenti ad bellum; *Ex utero*
aurorae prodit *tibi ros juventutis tuae* i. e. rori aurorae ex
gremio prodeunti par multitudine et vigore tibi offert se pubes
tua bellica. נְדָבֹת abstractum pro concreto. בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ, de
quo cf. ad 29, 2., nonnulli ad hemistichium posterius trahunt,

quod non probaverim, quum relatum ad posterius elegantem imaginem paululum turbet. Pro בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ in libris bene multis et scriptis et editis est בְּהַרְרֵי ק׳ *in montibus sanctis* (cf. 87, 1.), expressum quoque ab Hieronymo, quam scripturam, licet faciliorem altera, tamen sunt qui praeferendam ducant, quod בְּהַדְרֵי ק׳ sensum commodum non fundat. Fundit vero quam maxime commodum. Quemadmodum enim festus ornatus decet eos, qui summo numini se offerunt in templo (29, 2. 96, 9.), sic idem eos decet, qui summi numinis auspiciis, Jova duce proficiscuntur ad bellum.
In altero hemistichio sine negotio cogitatione suppletur יֵצֵא, ita
ut facile careas aliorum artificiis. — Sequitur altera stropha et 4.
ipsa incipiens a dicto quodam Jovae. Differt haec stropha a priore
in eo tantum, quod in illa potentia describitur, quam rex habeat
in hostes, in hac vero ipsa pugna et victoria. *Juravit Jova,*
nec poenitebit eum, neque unquam mutabit decretum suum: „*Tu*
es sacerdos in perpetuum, *Secundum rationem* (Jod est parag.)
Melchisedeci,“ qui cum regia dignitate sacerdotalem in se con-
junctam habuerat, Gen. 14, 18. Habuisse eundem sedem suam
Hierosolymis, non tam certum atque exploratum est, ut vulgo
putant; cf. not. ad 76, 3. De reliquis vide quae disputavimus
in prooemio, coll. ad לְעוֹלָם 21, 5. 45, 3 sqq. al. — *Dominus*, 5.
Jova, *ad dexteram tuam*, i. e. qui praesens tibi est, ope sua tibi
adest, o rex (cf. 16, 8. 109, 31.), *Percutit die irae suae*, ubi
exarserit ira ejus, *reges*, hostiles. Miror multorum multa verba
ad planissimum hunc versum. — *Judicium* rex *exercet inter po-* 6.
pulos, punit eos afferenda illis clade, *Plena est* terra (propr.
plenum est, impers.) *cadaveribus*, *Percutit capita in terra am-*
pla, in campis late patentibus. Cum vs. 7. Subjectum efficiat *rex*,
vere recentiorum aliquis convenire monuit, *eundem* jam hoc loco
haberi pro Subjecto. מָלֵא nonnulli: *implet* sc. eos, populos. Ita
tamen scribendum erat מִלֵּא. Alii מָלֵא Adjectivum ad גּוֹיִם refe-
rendum habent, collective accipiendum (*judicium exercet inter*
populos repletos cadaveribus). Quod durius. Simplicissimum est
impersonaliter accipere מָלֵא, q. d. plena omnia sunt cadaveribus.
גְּוִיּוֹת Accusativum esse vix est quod moneamus. מָחַץ רֹאשׁ ut
68, 22: יִמְחַץ רֹאשׁ אֹיְבָיו. — *E rivo in via bibit*, *Hinc tollit* 7.
caput, aquae potu ex rivo obvio refectus persequi hostes pergit.

PS. CXI. Celebrantur beneficia, in majores potissimum collata a Jova. „Ordine alphabetico hic Psalmus conscriptus est,

sed ita, ut in singulis versibus binae reperiantur literae, in duobus postremis ternae." Ros. Quod ipsum acrostichidis artificium recentiorem aetatem prodit. Tot strophae, quod versiculi. —
1. *Laudate Jah! Celebrem Jovam toto animo, In consessu pro-*
2. *borum*, Israelitarum, *atque coetu!* — *Magna sunt opera Jovae, Exoptata quoad omnia desideria eorum*, proborum, i. e. ejusmodi sunt, qualia optare Jovae cultores possunt, ita ut alia aut majora desiderari ab iis non possint. Quum חֲפֵצֵיהֶם praepositum habeat כָּל, leve est, quod aliis quibus חֵפֶץ *desiderium* significat locis ponitur Singularis. Alii: *exoptata* (unus: *indaganda*, scrutanda in lege scripta) *quod ad omnem praestantiam suam*, sensu minus commodo. Alii חֲפֵצֵיהֶם cum Chald. Syr. Hieronymo ad חָפֵץ referentes: *exoptata omnibus qui delectantur iis*, quod languidius, vel, ut nuper Gesen. in Thes. p. 356: „*quaesita*, inventa *ab omnibus diligentibus ea*, ut sententia sit, maxima quaeque dei facinora ab eo obtineri precibus piorum," quem sensum verba ferre non posse videntur. Praeterea חֵפֶץ in stat. constr. Plur. Zere solet servare, 40, 15., ut tutius ad חָפֵץ quam ad חֵפֶץ re-
3. feras חֲפֵצֵיהֶם. — *Splendor et majestas* est *factum ejus*, splendida et magnifica sunt quae facit omnia, *Et justitia ejus con-*
4. *stat in perpetuum.* — *Memoriam fecit mirabilibus suis* (Dat.) i. e. tanta fecit facinora, ut iis nunquam defutura sit memoria; *Misericors et benignus est Jova.* Membri prioris simplicissimum planissimumque sensum vix credas potuisse interpretes latere. Unus de lege cogitat scripta in memoriam facinorum Jovae, praeter omnem necessitatem. Causa memoriae in ipsa facinorum magnitudine posita est. Alius: *memoriam fecit mirabilium suorum* (quidni *mirabilibus suis*?), magnis puta facinoribus, quae fecit Israelitarum causa. At *mirabilia* Jovae quid sunt aliud quam
5. *facinora* Jovae, facinora quid aliud quam mirabilia? — *Victum dedit cultoribus suis*, migrantibus per loca deserta; *Memor est*
6. *in perpetuum foederis sui.* — *Potentiam operum suorum notam fecit populo suo, Dando illis peculium populorum*, terram Ca-
7. nanaeam. — *Opera manuum ejus* sunt *integritas et jus*, quae facit omnia sunt recta et justa, *Firma omnia praecepta ejus,*
8. — *Suffulta*, immota (112, 8. Jes. 26, 3.) *in perpetuum, in sempiternum, Facta integre et recte.* מַעֲשֵׂי יָדָיו vs. 7. recentiorum aliquis putat esse *leges* Jovae. Idem עֲשׂוּיִם vs. 8. *facienda*
9. reddi vult. — *Redemtionem* a servitute Aegyptiaca *misit populo*

suo, *Sancivit in perpetuum foedus suum*, *Sanctum et terribile*
est nomen ejus. — *Initium sapientiae* est *timor Jovae*, cf. ad 10.
Jes. 11, 2. *Intelligentia bona*, recta, vera est *omnibus qui fa-*
ciunt ea, praecepta Jovae (vs. 7. 8.); *Gloria ejus*, Jovae, *con-*
stat, manet *in sempiternum*.

PS. CXII. Ordine alphabetico scriptus hic quoque, et qui-
dem ad exemplum proxime praegressi, cujus non modo artificium
ad literas pertinens verum etiam ipsas sententias, sed parum
idonea ratione imitatus est scriptor; cf. inprimis vs. 3. 4. Docet,
pios beatos esse. — *Laudate Jah! Felicem virum*, *qui timet* 1.
Jovam, *Praeceptis ejus delectatur valde!* — *Potens in terra* 2.
erit semen ejus, *Genus proborum fortunatur*. — *Opes et di-* 3.
vitiae sunt *in domo ejus*, *Et justitia ejus constat*, manet *in*
perpetuum. Quum צֶדֶק proprie rigidum, hinc rectum esse signi-
ficet, צְדָקָה igitur propr. sit quaevis *ratio recta*, ideo recentio-
rum aliquis non dubitavit sub hac voce h. l. subjicere significatum
faustae rerum conditionis, *felicitatis*, coll. hemistichio priore.
Alius voci lucem accendere voluit collata δικαιοσύνη Paullina.
Alii *justitiam* dictam volunt pro justitiae *praemio*. Quibus omni-
bus non opus est. Inprimis vero lucem ex Paulli epistolis sum-
tam humanissime equidem deprecor, persuasum habens, actum
futurum esse de sana V. T. interpretatione, simulatque licitum
fuerit, illius placita metiri ex Paulli apostoli opinionibus. Quid
multa? Spectavit scriptorem proxime praegressum scriptor (111,3.),
ordinem alphabeticum magis quam sententiarum seriem et nexum
curans; cf. vs. 9. — *Oritur in tenebris lux probis*, res probo- 4.
rum adversae in secundas convertuntur, *Misericors et benignus*
et justus est (probus). Inania et supervacanea sunt quotquot ab
interpretibus facta sunt pericula struendi aliter atque nos fecimus
hemistichii posterioris. Non potest nisi eo quo struximus modo
strui, quamquam deest אִישׁ, nec potest referri ad alium quam
ad eum, de quo agitur, probum, inquam, quamvis illis nominibus
alias semper Jova solet nuncupari. Vide quae modo diximus ad
vs. 3. Sumtus enim hic quoque locus est ex 111, 4. — *Beatum* 5.
virum, *qui gratificatur et mutuum dat*, *Tuetur causas suas*
de aequo! Alii, qui non virtutem, sed quae virtutem maneat
mercedem hic describi putant, versum sic interpretantur: *Beatus*
est vir talis: gratificatur et mutuum dat (cf. 37, 21. 26. al.),

Tuetur causas suas ex jure. Videtur tamen hic novum membrum orationis incipere, ab iisdem initiis proficiscens, a quibus
6. (אַשְׁרֵי אִישׁ) profectum est membrum prius, vs. 1—4. — *Nam in perpetuum non nutat, Memoriae sempiternae est justus*, floret
7. in perpetuum ejus memoria. — *A nuntio malo*, tristi *non timet*, metuit sibi, *Firmus*, intrepidus est *animus ejus, confisus Jovae.*
8. — *Suffultus*, immotus (cf. 111, 8.) est *animus ejus, non timet, Usque dum oculos pascet adversariis suis* (cf. ad 110, 1.). —
9. *Dispergit*, largiter distribuit (ut Prov. 11, 24.), *dat pauperibus, Justitia ejus manet in perpetuum* (cf. vs. 3.), *Cornu ejus effert se cum honore* (cf. 89, 18.). Sintne quae primo membro continentur descriptio virtutis (cf. membrum secundum et vs. 5.), an felicitatis (cf. membrum tertium), dici nequit; vide quae monui-
10. mus ad vs. 3. — *Improbus videt* id *et moeret* probi hominis bonis, *Dentibus suis frendit et liquescit*, se conficit aegritudine, cf. 22, 15. ibique not.; *Desiderium improborum evanescit* (1, 6.), voto improbi nunquam potiuntur.

PS. CXIII. In Jovam augustissimum eundemque benignissimum trium strepharum hymnus. Vs. 1—3: Jova celebrandus ab omnibus, omni tempore et ubique locorum, 4—6: Jova deus altissimus, 7—9: qui idem demittit se ad curam rerum humanarum. Efficit hic Psalmus cum quinque sequentibus apud Judaeos hymnum quendam majorem, jam Christi temporibus tum in aliis tum maxime in Paschatis festis cantari solitum, הַלֵּל dictum. De qua re Buxt. in Lex. chald. p. 613 sq. haec habet. „הַלֵּל *laudatio, hymnus.* Ita κατ' ἐξοχὴν appellant Judaei hymnum quendam, qui complectitur Psalmum 113. 114. 115. 116. 117. et 118., uti videre est in libris precum et ritualibus ipsorum. Dicunt autem hymnum istum in ראשׁ חֹדֶשׁ *principio mensis*, חֲנֻכָּה *in festo dedicationis*, et שָׁלֹשׁ רְגָלִים *in tribus festis majoribus*, nempe שָׁבוּעוֹת *septimanarum*, סֻכּוֹת *tabernaculorum*, פֶּסַח *et paschatis*, sicut iterum annotatur in libris precum, in vestibulo hujus hymni. Hymni hujus duas constituunt partes; prima continet Ps. 113. et Ps. 114. usque ad לְמַעְיְנוֹ מָיִם, quae sunt verba ultima illius Psalmi; altera continet Psalmos reliquos. Primam partem in festo Paschatis recitare solent, antequam accumbant et cibum sumant; alteram post sumptum cibum, quando quartum et ultimum poculum biberunt, addita alia benedictione, quam

בִּרְכַּת שִׁיר *benedictionem cantici* vocant, et incipit יְהַלְלוּךָ יְיָ
כָּל־מַעֲשֶׂיךָ, solenni item illa benedictionis formula, בָּרוּךְ בּוֹרֵא
פְּרִי הַגָּפֶן *benedictus sit qui creat fructum vitis.* Et sic coenam
paschalem claudunt. Consuetudinem hanc esse antiquam inde
patet, quod ejus mentio fiat in Talmud. in Pesachim, fol. 117.
col. 1. et seqq." — *Laudate Jah! Laudate, servi,* cultores *Jovae,* 1.
Laudate nomen Jovae! — Sit nomen Jovae celebratum, Ab hoc 2.
tempore et usque in aeternum! — Ab ortu solis usque ad oc- 3.
casum ejus Sit laudatum nomen Jovae! — Altus est super 4.
omnes populos Jova, Super coelos gloria ejus. Quum vs. 6.
deus *ex alto despicere* dicatur non solum in terram, verum etiam
in coelos, sunt, qui credant, scriptoris hujus Psalmi aliam atque
vulgi opinionem, eamque rectiorem de dei sede fuisse. Quod non
collegerim ex isto loco; cf. 104, 3. ibique not. — *Quis similis* 5.
est *Jovae, deo nostro, Qui excelse,* in excelso *sedet, — Qui* 6.
alte, in altum *despicit In coelos et in terram?* Recentiorum
aliquis versus sexti hemistichium posterius cum priore versus
quinti construit, reliqua habens tanquam in parenthesi interposita,
in hanc sententiam: *Quis similis* est *Jovae, deo nostro, — Qui
excelse sedet, Qui alte despicit, — In coelis et in terra?*
Quod quaesitum mihi videtur. הַגְבִּיהַ, הַשְׁפִּיל adverbialiter sunt
posita. De articulo Participiis praemisso vid. 18, 33. Quod iis-
dem affixum est Jod, paragogicum est. Sic etiam in מְקִימִי vs. 7.,
הוֹשִׁיבִי vs. 8., מוֹשִׁיבִי vs. 9. — *Erigit ex pulvere tenuem,* 7.
E fimeto extollit pauperem, — Ut collocet eum *cum principibus,* 8.
Cum principibus populi sui, pari cum principibus loco faciat.
Qui duo versus fere iisdem verbis leguntur 1 Sam. 2, 8. Minus
recte plerique מְקִימִי vs. 7. et מוֹשִׁיבִי vs. 9. *qui erigit, qui ha-
bitare sinit* transferunt. Desinit relatio, omisso articulo. —
Habitare sinit heram sterilem Matrem filiorum laetam; cf. 9.
1 Sam. 2, 5. עֲקֶרֶת הַבַּיִת ut נְוַת בַּיִת 68, 13. Alii: *habitare
facit sterilem domum,* domi, עֲקֶרֶת habentes pro statu absolute.
Laudate Jah!

PS. CXIV. Elegans hymnus in Jovam Israelitas a servitute
Aegyptiaca vindicantem. Strophae quatuor: vs. 1. 2: quum Israe-
litae ex Aegypto excesserunt, tum Jova illos sibi sacros fecit.
3. 4: tum universa natura commota est. 5. 6: cur commota est
universa natura? 7. 8: ad conspectum tanti numinis! — *Quum* 1.
exiret Israel ex Aegypto, Domus Jacobi e populo barbare lo-

2. *quente*, peregrino, — *Facta est Juda sacrum ejus*, Jovae, i. e.
facta est terra Jovae sacra, *Israel imperium ejus*, terra cujus
Jova rex esset. יְהוּדָה est femininum, quia terra significatur.
Juda et Israel ex recentiorum usu loquendi. In Plurali מַמְשְׁלוֹתָיו
nonnulli de duodecim tribubus cogitant. Malo esse Pluralem
magnitudinis. Non sine vi est, quod Jova, cujus plenus est va-
3. tes, solo Suffixo significatur. — *Mare vidit* educentem ex Ae-
gypto Israelitas deum, *et fugit*, *Jordanes vertit se retrorsum*.
Respicitur Israelitarum per mare rubrum et Jordanem transitus.
4. — *Montes subsilierunt ut arietes*, *Colles ut agnelli*; cf. Exod.
5. 19 sq. — Jam vates admirans quasi ingentem naturae commo-
tionem et quid causae subsit non perspicere se simulans: *Quid
est tibi, mare, quod fugis, Jordanes*, quod *vertis te retrorsum?*
6. — *Montes*, quod *subsilitis ut arietes*, *Colles*, *ut agnelli?* —
7. Et vero habetis, cur contremiscatis! *Prae conspectu domini
8. treme, terra*, *Prae conspectu dei Jacobi*, — *Qui convertit pe-
tram in stagnum*, lacum *aquarum*, *Silicem in locum irriguum
aquis!* cf. Exod. 17. Num. 20.

PS. CXV. Difficilibus temporibus factum esse, recte inter-
pretes colligere videntur ex vs. 1 sq. Probabile est etiam, quod
recentioribus post reditum ex Babylonia temporibus compositum
statuunt, quum deorum commenticiorum vanitas eodem fere modo,
quo in posteriore libri Jesajani parte describatur. Nonnulli plures
per omnem Psalmum choros sibi respondere putant. Sed quam
incerta sint, quibus se regi passi sunt, indicia, ipsa sententia-
rum, quas defendunt, mira discrepantia ostendit. Unus vs. 1—11.
populum loqui opinatur, 12—15. pontificem, 16—18. denuo
populum. Alius, sed fateor, ne intelligere quidem posse me, quot
et quosnam is faciat choros. In iis tantum, quae vs. 9. 10. 11.
habentur, alternis membris cecinisse videri possint. Sed ne hoc
quidem necesse est ut sumas. Videtur carmen in quinque stro-
phas dividi posse has: vs. 1—4: adjuva nos, Jova, ut intelligant
qui te rident barbari, te esse deum verum! 5—8: ipsorum dii
sunt falsissimi. 9—11: confidite, Israelitae, Jovae, 12—15:
1. res nostras fortunaturo! 16—18: celebrate Jovam! — *Non
nobis, o Jova, non nobis*, *Sed nomini tuo da gloriam*, defende
nos ab impiis barbaris non gloriae nostri nominis sed tui causa!
Propter gratiam tuam, propter fidem tuam defende nos! Quae

membro tertio continentur seorsum a praegressis capienda sunt,
nam quae suae ipsius famae causa facit Jova, non facit miseri-
cordia motus ac fide. — *Cur dicant populi: „Ubi tandem deus* 2.
eorum?" cf. 42, 4. 79, 10. — *Et* tamen (2, 6.) *deus noster* est 3.
in coelis, Quaecunque voluerit, facit. — *Simulacra illorum,* 4.
barbarorum, eorum dii *argentum et aurum* sunt, *Opus manuum*
hominis. — *Os iis* est, *nec loquuntur, Oculi iis* sunt, *nec vi-* 5.
dent. — *Aures iis* sunt, *neque audiunt, Nasus iis* est, *neque* 6.
odorantur. — *Manus eorum* (Nomin. absol.), *non palpant, Pedes* 7.
eorum, non incedunt, Non edunt sonum gutture suo. De וְלֹא
in primo et secundo membro vid. G. gr. min. §. 142, 2. Non-
nulli: *manus eorum* sunt, adsunt, *nec palpant* cet., ita ut יְדֵיהֶם,
רַגְלֵיהֶם non sint Nominativi absoluti, sed posita pro יָדַיִם לָהֶם,
רַגְלַיִם לָהֶם. Sed quod tertio membro habetur לֹא יֶהְגּוּ בִּגְרוֹנָם
ostendit, praeferendum esse prius. — *Similes illis,* diis fictitiis 8.
i. e. aeque impotentes et nihili quid *sunt qui faciunt eos, Qui-*
cunque fiduciam collocat in iis. יִהְיוּ alii *sint* transferunt nescio
qua moti causa. — *Israel, fiduciam colloca in Jova! Auxilium* 9.
eorum, Israelitarum *et clypeus eorum is* est. Pro בְּטַח et בִּטְחוּ
in hoc et duobus sequentibus versibus interpretes antiqui omnes
expresserunt בָּטַח et בָּטְחוּ, nulla alia de causa, quam quod offen-
derant in tertia pers. Suffixo in עֶזְרָם וּמָגִנָּם vocibus. Eadem de
causa e recentioribus quidam in his tribus versibus ab alio choro
membrum prius, ab alio posterius cantatum esse judicavit. Con-
stat vero, nihil frequentius esse personarum mutatione. — *Domus* 10.
Aaronis, sacerdotes, *fiduciam collocate in Jova! Auxilium eo-*
rum et clypeus eorum is est. — *Cultores Jovae, fiduciam collo-* 11.
cate in Jova! Auxilium eorum et clypeus eorum is est. יִרְאֵי
יְהוָה nonnulli *proselytos* esse volunt, nulla idonea de causa.
Magis placeret alius, *laicos* intelligens, oppositos sacerdotibus,
coll. 118, 3 sq. 135, 20. Ita vs. 9. compellatos haberes Israelitas
universos, vs. 10. sacerdotes, vs. 11. eos qui non essent ex or-
dine sacro. — Eadem rursus distributione utitur, qua antea. 12.
Jova memor est nostri, fortunabit, Fortunabit domum Israelis,
Fortunabit domum Aaronis, — *Fortunabit cultores Jovae, Par-* 13.
vos cum magnis, cujuscunque conditionis fuerint homines, cf. Jer.
6, 13. 31, 34. — *Augeat* (cf. 71, 14.) *Jova vos, Vos et liberos* 14.
vestros! Alii ad יֹסֵף cogitando suppleri volunt בְּרָכָה (dixissem
לְבָרֶכְךָ, בָּךְ) in hunc sensum: *pergat* fortunare *Jova* cet., minus

15. convenienter ad nexum, ut mihi quidem videtur. — *Fortunati*
16. estote *vos Jovae*, o Jova, *Creatore coeli et terrae!* — *Coelum*
coelum est *Jovae*, Jovae proprium, coelum Jova sibi retinuit,
Et terram dedit hominibus, terram vero hominibus habitandam
concessit, non, ut plerique volunt, eo consilio, ut in terra homines
divinum numen laudibus efferrent, quod alienum est ab iis,
quae proxime praegressa sunt, sed, ut bonis in ipsos a Jova
17. collatis (vs. 12—15.) in terra fruerentur homines. — Agite igitur,
celebremus Jovam, dum vita fruimur in hac terra, mortui
non amplius celebraturi deum! Hic nexus, haec sententia est
vss. 17. et 18. *Non mortui laudant Jah*, *Nec* laudant *quicunque*
18. *descenderunt in loca silentia*, orcum. דּוּמָה ut 94, 17. — *Et*
nos, nos igitur *celebremus Jah*, *Ab hoc tempore et usque in*
sempiternum! Laudate Jah!

PS. CXVI. E recentioribus esse hoc carmen, praeter formam chaldaicam vs. 12. aliasque recentioris aetatis formas (7. 19.) loci docent aliunde sumti vs. 3. cf. 18, 5., vs. 8. 9. cf. 56, 14., vs. 11. cf. 31, 23., vs. 15. cf. 72, 14. Strophae duae: vs. 1—11: liberavit me Jova ex summa miseria; 12—18: pro tanto in me collato beneficio illi ego ante oculos omnium maximas exsolvam gratias! Quas nuper aliquis gratiarum actioni admixtas vidit preces pro liberatione ex novo in quo vates in praesenti denuo
1. versetur periculo, eas fateor deprehendere me non posse. — *De-*
lector eo, gratum mihi est, *quod audit Jova Vocem meam*,
preces meas. אָהַב *amare* seq. Acc. 40, 17., hinc *delectari* seq.
כִּי. Nonnulli posterius hemistichium: *vocem precum mearum*,
Jod in קוֹלִי paragogicum habentes, nulla urgente necessitate. —
2. *Nam inclinavit aurem suam ad me; Et per dies meos vocabo*,
hinc, quod me invocantem audivit, invocabo eum per dies vitae
3. meae, dum vivam. — *Cinxerunt me funes mortis* (vid. ad 18, 5.,
ex quo loco haec assumta sunt), *Et angustiae orci*, vitae discrimina
invenerunt me, inciderunt mihi, *Calamitatem et aerumnas*
inveni, incidi in eas. Non solum, *calamitas invenit me*, incidit
mihi, Hebraei dicunt, verum etiam, sed rarius, *calamitatem in-*
4. *venio*, in eam incido *ego*, Prov. 6, 33. — *Et nomen Jovae in-*
5. *vocavi: „Ah, Jova, eripe animam meam!“* — *Benignus* est *Jova*
6. *et justus*, *Et deus noster misericors* est. — *Custodit*, tuetur
simplices, rerum imperitos, qui insidias effugere, depellere pari-

cula nesciunt, *Jova*, *Debilis*, exhaustus *fui*, *et me adjuvit.*
יְהוֹשִׁיעַ 28, 7. — *Redi, anima mea, ad quietem tuam*, acquiesce 7.
jam, depone dolorem! *Nam Jova benefecit tibi* (13, 6.). לִמְנוּחָיְכִי,
עָלָיְכִי, בְּתוֹכֵכִי. G. gr. min. §. 35. adn. 1. 4. E. gr. min. §. 302.
— *Nam liberasti*, o Jova, *animam meam a morte*, *Oculum* 8.
meum a lacrymis, *Pedem meum ab impulsione* ad lapsum. —
Ambulabo coram Jova In terris viventium, inter vivos, in his 9.
terris. Sumta haec et quae proxime praecesserunt ex 56, 14. —
Fidem habui, in deo spem repositam habui, non desii in Jova 10.
fiduciam collocare, *quamvis dicerem: „Ego afflictus sum valde!"*
כִּי ut 49, 19. *licet*, *quamvis*, propr. *sit!* cf. ad 49, 20. Possit
etiam utroque loco *quum* reddi, sensu haud diverso. Sed cf.
Exod. 13, 17. Redslobum in Comment. de כִּי particula p. 45.
super illo *quamquam* significatu haec legimus disputantem. Ibi
„post aliam sententiam כִּי, ait, disertae affirmationis causa adhi-
betur ad introducendam sententiam aliam, quam *item*, *simul* et
juxta illam *valere* et *locum habere* dicere volunt. Quae res
quum jam eo fiat, ut aliquid omnino edicatur, facile intelligitur,
disertae et energicae affirmationis advocandae tum tantummodo
rationem sufficientem esse, ubi, si non diserte adfirmaretur, forte
de veritate dubitare, certe offendi et mirari posses. Quod ut
impediant Hebraei, sententiae praeponunt expressum כִּי, quod
significet alteram sententiam, quae priori contradicere posset vi-
deri, *nihilominus*, *aeque bene* (gleich wohl) valere et locum habere,
ut כִּי per *quanquam* vertere possis." Qui alium significatum
subjiciunt, locum misere distorquent. Recentiorum nonnemo:
„*confido*, *nam loquor.* Sensus: me in Jova fiduciam collocare,
inde patet, quod eidem hoc carmen cano." In qua interpretatione
prorsus neglectus est sententiarum nexus, ut dubitem, an unquam
absurdius quicquam aliquis protulerit. Alius: *Spem habeo*, fiducia
plenus sum, *quoniam dico: „Ego afflictus fui valde* i. e. fiducia
plenus sum, quoniam repute, quanta fuerit (ex qua nunc sum
ereptus) miseria. Alius: *Spem habui*, *ita ut dicerem: „Ego
afflictus sum valde!* i. e. ita ut proloquerer, aperirem, quererer
deo miseriam meam (persuasum habens, fore, ut subveniret mihi).
— *Ego dixi*, cogitavi *in trepidatione mea*, consternatione animi 11.
mei (cf. 31, 23., ex qua loco depromta sunt): *Omnis homo fallit*,
falluntur qui in hominibus spem repositam habent. Hinc, sen-
tentia est vatis, in solo Jova fiduciam collocavi. — *Quomodo* (ut 12.

Gen. 44, 16.) *rependam Jovae Omnia beneficia ejus in me col-*
13. *lata?* תַּגְמוּלוֹהִי cum Suff. chaldaico, Win. p. 25. — *Calicem*
salutis i. e. calicem gratiarum actionis pro accepta salute *attollam*,
i. e. coenam sacrificalem instituam ad significandum animum gra-
tum pro accepto beneficio (vs. 14. 17 sqq.), *Et nomen Jovae*
14. *invocabo.* — *Vota mea Jovae persolvam Coram universo po-*
15. *pulo ejus.* — *Pretiosa est in oculis Jovae Mors cultorum ejus*,
non facile deus concedit, ut cultores sui pereant, nam quae pre-
tiosa sunt, non facile largimur. Inest in his ratio, cur vates
16. a deo sit servatus. Sumta haec ex 72, 14. — *Ah, Jova! cle-*
menter excipe grati animi significationem! nam ego sum servus
tuus, Ego sum servus tuus, filius servae tuae (86, 16.); *Sol-*
visti vincula mea. Nonnulli: *Sane vero, o Jova!* nam cet. Sed
precantis (vs. 4.), non affirmantis particula est אָנָּה. Alius: *Ah,*
Jova, quia ego sum servus tuus . . . hinc solvisti vincula mea.
17. In quo quid sibi velit *Ah!* non intelligo. — *Tibi sacrificabo*
sacrificium gratiarum actionis, Et nomen Jovae invocabo; —
18. 19. *Vota mea Jovae persolvam Coram universo populo ejus,* — *In*
atriis domus Jovae, In medio tuo, Hierosolyma! Laudate Jah!

PS. CXVII. Excitantur omnes populi ad celebrandum deum. „Brevitas Psalmi probabilem facit conjecturam, adhibitum illum fuisse vel ut ἐξιτήριον, quo populus finitis sacris dimitteretur, vel sub sacrorum initium, ante solennius canticum, populi excitandi causa, fuisse decantatum.“ Ros. Possit etiam cantus fuisse interjectus inter strophas singulas longiorum carminum. In pluribus libris et scriptis et editis junctus est Psalmo sequenti. —
1. *Laudate Jovam, omnes populi! Celebrate eum, omnes nationes!*
2. — *Nam potens est super nos*, nos protegens, nobis consulens
gratia ejus, Et fides Jovae est, manet *in sempiternum. Lau-*
date Jah!

PS. CXVIII. Compositus videtur recentioribus post reditum de exsilio Babylonico temporibus. In ea enim quae vs. 5. et seqq. leguntur de hostibus, a quibus Jova Israelitas partim liberaverit partim liberaturus sit, omnia conveniunt optime. Cantatum putamus certis quibusdam diebus solemnibus, vs. 19 sq. 24. 26 sq., iisque tabernaculorum, vs. 15. 25., in quibus solemnibus cum itineris per deserta Arabiae facti memoria (Lev. 23, 42 sq.) aptissime jungebatur et praeteritorum exsilii et praesen-

tium a vicinis populis inflictorum malorum recordatio. Non desunt loci assumti aliunde, velut vs. 1 sqq. cf. 115, 9 sqq., vs. 6. cf. 56, 12., vs. 14. cf. Exod. 15, 2. al. Vs. 1—21. loqui videtur populus (cf. vs. 26, b.), 22—27. sacerdotum chorus, 28. sq. denuo populus. Strophae novem: vs. 1—4 (populus): celebret Israel sempiternam Jovae clementiam! 5—9: Jova me adjuvit, non reformido hominum conatus deum habens propitium; 10—14: circumdederunt me barbari, adest mihi Jova auxilio suo; 15—18: qui magna facinora facit Jova non patitur me perire; 19—21: aperite portas sanctas, ut ingressus gratias agam salutis datori, Jovae! 22. 23 (sacerdotes): qui contemtus fuerat, ad dignitatem evectus est auctore deo; 24. 25: laetemur die a Jova instituto! res nostras, deus, fortuna! 26. 27: bene vobis sit, quicunque huc venistis! ligate hostias! 28. 29 (populus): gratias agite
Jovae, cujus clementiae nullus est finis! — *Gratias agite Jovae!* 1.
nam benignus est, Nam in sempiternum est, manet *clementia*
ejus. — *Dicat Israel: In sempiternum* manet *clementia ejus!* 2.
— *Dicant domus Aaronis*, sacerdotes: *In sempiternum* manet 3.
clementia ejus! — *Dicant cultores Jovae: In sempiternum* ma- 4.
net *clementia ejus!* cf. 115, 9 sqq. — *Ex angustiis invocavi* 5.
Jah: Exaudivit me educens me *in spatium amplum Jah.* Quibus respicitur liberatio ab exsilii miseria. עָנָנִי בַמֶּרְחָב constructio praegnans eo modo complenda quo fecimus, coll. 18, 20. Alii: *exaudivit me cum salute* s. *ad salutem*, quod falsum, quoniam מֶרְחָב, quamquam frequens imago est *libertatis*, *salutis*, tamen
nusquam deposuit *spatii ampli* significatum proprium. — *Jova* 6.
mihi, meae partis est, mecum stat, *non timeo*, *Quid faciet*, fa-
cere poterit *mihi homo?* Sumta ex 56, 12. — *Jova mihi* est 7.
inter adjutores meos, me adjuvat, *Atque ego oculos pascam osoribus meis*, Idumaeis, Moabitis, Ammonitis, Syris aliisque qui adhuc undique me infestant populis, vs. 10 sqq., oculos pascam
eorum spe frustrata. Ad hemistichium prius cf. 54, 6. — *Melius* 8.
est *confugere ad Jovam*, *Quam fiduciam collocare in homini-*
bus. — *Melius confugere ad Jovam*, *Quam fiduciam collocare* 9.
in principibus. — *Omnes populi circumdederunt me, In nomine* 10.
Jovae, Jovae auspiciis, *nae* ego *exscindam*, exstirpabo *eos!* Plerique, cum גוֹיִם non munitum articulo sit, כָּל־גּוֹיִם *varios populos* reddi volunt. Quos qui volet pace mea sequatur, modo cogitet, exigui momenti in poeta articuli omissionem esse. Qui-

nam intelligendi sint populi, vidimus ad vs. 7. Ante כִּי nonnulli
cogitando suppleri jubent בָּטַחְתִּי, alii נִשְׁבַּעְתִּי, alii יִחְיָת, quibus
omnibus facile cares. כִּי hic primario gaudet significatu *nae*,
profecto, de quo vid. ad 49, 20. אֲמִילַם E. gr. min. §. 305, 3). —
11. *Circumdederunt me atque circumdederunt me*, etiam atque etiam
circumdederunt me; *In nomine Jovae*, *nae* ego *exscindam eos!*
12. De סַבּוּנִי גַם סְבָבוּנִי cf. not. ad 18, 6. — *Circumdederunt me
velut apes*, magno cum impetu atque iterum iterumque irruentes,
Exstinguuntur ut ignis spinarum, qui quamquam ingentem cre-
pitum majoresque flammas emittit, tamen subito deflagrat; *In
nomine Jovae*, *nae* ego *exscindam eos!* Ad *apes* cf. Deut. 1, 44.
13. Ad *ignem spinarum* Jes. 33, 12. nec non Ps. 58, 10. — *Impu-
listi me*, o hostis, *ut caderem*, *Et*, sed *Jova adjuvit me*. —
14. *Gloria mea et cantio est Jova*, *Estque mihi saluti*. Quae ea-
15. dem leguntur Jes. 12, 2. et Exod. 15, 2., ubi cf. not. — *Vox
jubili et salutis est in tentoriis justorum*, Israelitarum; *Dextera
Jovae praestat se fortem*. „Quum sit בְּאָהֳלֵי צַדִּיקִים *in taber-
naculis*, domibus *piorum*, vult significare, non publice tantum,
sed etiam privatim a singulis, quod est argumentum magnae nec
fictae laetitiae, illa beneficia celebrari.“ Ros. Quum vero inter
dies solemnes cantatum sit carmen (vs. 19 sq. 24. 26 sq.), prae-
stat sane de *casis frondeis* cogitare σκηνοπηγίας; cf. etiam vs. 25.
16. — *Dextera Jovae elata est*, *Dextera Jovae praestat se for-*
17. *tem*. — *Non moriar*, *sed vivam*, cf. 71, 20., *Et narrabo opera*
18. *Jah*. — *Castigavit me Jah*, *Et*, sed *morti non tradidit me*. —
19. Jam perventum est ad portas templi, quas sibi nunc jubent ape-
riri; cf. 24, 7. *Aperite mihi portas justitiae*, divinae puta,
cultoribus Jovae salutem afferentis, quo eodem significatu semel
atque iterum צֶדֶק et צְדָקָה sumta legimus in Jes. 40: et seqq.
(cf. ad 41, 2. 46, 12 sq.), qui liber multum valet ad hunc Psal-
mum, aliis verbis: aperite mihi portas templi, in quo sedem habet
20. auctor salutis meae, *Ingrediar per eas*, *celebrabo Jah!* — *Haec
porta Jovae est*, *Justi ingrediuntur per eam*. Ad זֶה הַשַּׁעַר
21. cf. 24, 8. 104, 25. et quae ibi notavimus. — *Celebro te*, *quod
22. exaudivisti me*, *Et fuisti mihi auxilium!* — *Lapis* quem *rejo-
cerant aedificantes*, *Factus est caput anguli* i. e. vel lapis
supremus anguli, vel quod praeferendum videtur, lapis angularis
in fundamento positus. „לְרֹאשׁ פִּנָּה *caput anguli* fieri dicitur
lapis, quando in eo loco ponitur, ubi totius aedificii commissuram

sustinet. Eadem figura Job. 38, 6. Zach. 4, 7. Sunt tamen, qui non lapidem in angulo inferiore collocatum intelligendum putent, sed epistylium, quum ex ruinis observetur, veteres Aegyptios, templa et aedificia majora columnis struentes, earum capitibus lapides ingentis longitudinis et crassitiei imposuisse, qui trabium primariarum loco inservierint, atque bis dein transversim alios lapides, quibus structura contegeretur, instravisse.“ Haec Rosenmüllerus. Ac potest sane utraque significatio defendi. Nam quum ראשׁ translate nominetur quod *summum, supremum* est, ראשׁ פִּנָּה *caput anguli* potest *lapidem summum*, *supremum anguli* significare. Potest vero idem significare *lapidem angularem in fundamento positum*, quia ראשׁ vocatur id quoque, quod *prius* et *anterius* est, *initium*, *principium.* Quum vero qui Job. 38, 6. dicitur אֶבֶן פִּנָּה ex parallelismi lege sit *lapis angularis in fundamento positus*, eandemque significationem per nexum ferat quod Zach. 4, 7. habetur הָאֶבֶן הָרֹאשָׁה, probabile est, eligendam illam hic quoque esse. Sensum autem si spectas, perinde est, utrum hanc an alteram illam admittas. Sive enim lapidem angularem in fundamento positum intelligis, sive lapidem anguli supremum, semper habes lapidem *primarium*, qualem postulat lex oppositionis. Est vero in hac proverbiali locutione neque (ut nuper quidam fecit, qui locum multis verbis non explicavit sed turbavit) *aedificantes* quinam sint, neque *aedificium* quodnam sit, quaerendum, sed tertium comparationis ponendum in sola *evectione ab ima ad summam dignitatem.* Jam quum qui hic ab imo ad summum dignitatis gradum evectus dicitur non possit esse alius, quam is est, de quo per totum Psalmum agitur, sequitur, intelligendum esse Israelitarum populum per exsilii tempora de statu suo deturbatum, post exsilii tempora restitutum ita, ut mox iterum pro more excelsa et alta de se speraret jactaretque (nam quae fuerit vera ejus conditio, quidve de eo judicaverint alii, id quaerere huc plane non pertinet); cf. Jes. 40 sqq. Quod nuper cuidam in mentem venit, *Jovam* esse lapidem angularem, id non solum totius carminis consilio, verum etiam proximo quod subjicitur commati repugnat. Ceterum פַּן, פִּנָּה *angulus* dictus mihi videtur a פָּנַן *vertere se* (cf. פִּנָּה et אֹפַן), ita ut proprie sit *flexus, circumactus* plateae, aedificii. — *A Jova factum est hoc,* 23.
quod lapis rejectus factus est lapis angularis fundamenti (22.), *Id admirabile est in oculis nostris,* quod ut maxime mirandum

24. agnoscimus. — *Hic est dies*, quem *fecit Jova*, vel quod ob
Makkeph praeferendum videtur, *hunc diem* (cf. ad vs. 20.) *fecit*
Jova; Exsultemus et laetemur eo! Die a Jova facto multi ge-
neratim diem maxime illustrem atque insignem indicari putant.
Videtur tamen intelligendum esse festum a Jova sancitum, idque
σκηνοπηγίας. Cf. quae observavimus ad vs. 15. et quae statim
25. monebimus ad vs. proximum. — *Ah! Jova, adjuva, quaesumus!*
Ah! Jova, prospera, quaesumus! Quibus verbis Judaei potissi-
mum utebantur et etiamnunc utuntur in festo tabernaculorum
(Buxt. Lex. chald. in הוֹשַׁעְנָא p. 992.). Quae res quamquam non
multum valet ad interpretationem hujus carminis, tamen non omni
26. caret pondere. — *Bene sit illi qui venit*, optima quaeque eve-
niant omni qui huc venit *in nomine Jovae* i. e. Jovae cultor!
27. *Bona precamur vobis e domo Jovae.* — *Deus est Jova, et lucem*
i. e. prosperitatem, prospera omnia *dedit nobis*. *Ligate festum*
i. e. sacrificium festivum, victimam festivam *funibus Ad cornua*
arae usque adducentes eam! Recentiorum aliquis: *Redimite*
choream frondibus Usque ad cet., חַג vocem primario hic signi-
ficatu gaudere volens, עֲבֹתִים vero idem esse jubens quod Ezech.
31, 3. 10. Verum nusquam de *chorea* dicitur חַג, contra מוֹעֵד
festum 2 Chron. 30, 22. (nam qui ab aliis laudantur loci Exod.
23, 18. Mal. 2, 3. nihil probant) prob. per meton. dictum est pro
sacrificio festo, victima festiva in verbis וַיֹּאכְלוּ אֶת־הַמּוֹעֵד
שִׁבְעַת הַיָּמִים *et comederunt festum*, sacrificium festum *per septem*
dies, nisi forte, quod durius, אָכַל absolute dictum et אֶת־הַמּוֹעֵד
Accusativum temporis esse velis pariter atque שִׁבְעַת הַיָּמִים. Sa-
crificia autem quod commemorantur, id in *σκηνοπηγίας* festum
maxime convenit, utpote quo tot sacrificia offerrentur, quot vix
alio unquam festo, Num. 29, 13 sqq. Hinc Josephus Antt. 8, 4, 1.
σκηνοπηγίαν appellat *ἑορτὴν σφόδρα ἁγιωτάτην καὶ μεγίστην*,
item 15, 3, 3. *ἑορτὴν εἰς τὰ μάλιστα τηρουμένην*. Ceterum
constructio praegnans est in h. v. similis illi quam vidimus vs. 5.
28. — *Deus meus es tu, et celebrabo te; Deus mi, efferam te*
29. laudibus! — *Gratias agite Jovae! nam benignus est, Nam in*
sempiternum est, manet clementia ejus.

PS. CXIX. Viginti duobus octostichis conscriptum carmen, hac ratione, ut primum octostichon per omnes versus a prima alphabeti litera א incipiat, secundum a ב, tertium a ג et sic

deinceps. In quo ipso artificio, recentioris aetatis indicio, prae-
cipua causa ponenda est, quod non perpetua sed dissipata et ab-
rupta oratione argumentum persequitur scriptor. Praecipuum vero
quod carmine continetur hoc est, quod non possit beate vivere
nisi qui observet leges divinas. Ex vs. 54. non collegerim, fuisse
scriptorem patria extorrem; ex 23. et 161. perlucere videtur,
fuisse eundem ordinis sui spectatissimum; vs. 46. 79. et multi
alii prodere possint legis divinae nuntium atque interpretem. —
Felices integros viae, vitae, *Qui ambulant in lege Jovae*, con- 1.
venienter Jovae legibus vivunt! cf. ad 1, 1. — *Felices qui ser-* 2.
vant praecepta ejus, *Toto animo quaerunt*, curant *eum!* —
Plane non faciunt pravum facinus, *In viis ejus ambulant*, eam 3.
quae ipsi probatur agendi rationem sequuntur! — *Tu proposuisti* 4.
edicta tua, *Ut observarentur valde*, omni studio. — *Utinam* 5.
dirigerent se viae meae Ad observandum statuta tua! Nescio
tamen an rectius sic transferam locum: *Utinam recte se dirige-*
rent viae meae, utinam recte instituerem vitam meam, *Ut ser-*
varem cet. cf. 2 Chron. 27, 6., ubi הֵכִין דְּרָכָיו non est *dirigere*
vias suas aliquo, sed *recte dirigere eas*, vitam recte instituere.
— *Tunc non pudore afficiar*, *Respiciens omnia jussa tua*, quo- 6.
rum verborum dubium mihi videtur sitne sensus hic: tunc, cum
observabo statuta tua, non erit quod confundar, cum oculos con-
vertero in praecepta tua, an hic: tunc nulla unquam spes me
fallet, nihil non prospere mihi succedet, utpote respicienti, ob-
servanti omnia praecepta tua. — *Celebrabo te animo sincero*, 7.
Discens sententias tuas justas. — *Statuta tua observabo; Ne* 8.
derelinquas me nimis! — *Qua ratione puram reddet juvenis* 9.
viam suam, sanctam aget vitam? *Custodiendo* eam (viam, vitam)
secundum verbum tuum. כִּדְבָרֶךָ Masorethae positum volunt pro
כִּדְבָרֶיךָ, nulla idonea de causa. — *Toto meo animo quaero*, curo 10.
te; Noli aberrare me facere a jussis tuis! — *In animo meo* 11.
recondo verbum tuum, *Ut ne peccem in te*. — *Celebratus tu*, 12.
o Jova, sis! *Doce me statuta tua!* — *Labiis meis enarro* 13.
Omnes sententias oris tui. — *De via praeceptorum tuorum* 14.
Laetor velut de cunctis divitiis vel (cf. ad 118, 10.) *quibuscunque*
divitiis. Via praeceptorum divinorum est via, quam ingredi nos
jubent praecepta divina, nisi mavis intelligere rationem, modum,
consilium, quo utitur deus in tradendis praeceptis; cf. vs. 27. —
De edictis tuis meditari volo, *Et respicere vias tuas*. — *Sta-* 15. 16.

17. *tutis tuis oblecto me, Non obliviscar verbi tui.* — *Benefacias*
18. *servo tuo! Vivam et observem verbum tuum!* — *Retege,* aperi
oculos meos, ut adspiciam Mirabilia ex lege tua i. e. quae ex
lege tua prodeunt, quae pertractanti leges tuas apparent! —
19. *Peregrinus ego sum in terra,* nesciens quae facienda mihi, quae
fugienda sint, *Ne occultes a me jussa tua,* doce me, quae facere
20. et a quibus mihi cavere debeam! — *Comminuta,* consumta *est
anima mea desiderio Sententiarum tuarum,* decretorum tuorum,
21. *omni tempore.* — *Increpas insolentes* istos *devotos,* iis minitaris,
22. *Qui aberrant a jussis tuis.* — *Devolve a me opprobrium et
contemtum,* quo me afficiunt isti insolentes (21.) praeter studium
pietatis meum, *Nam praecepta tua servo.* גַּלֵּל חֶרְפָּה מֵעַל ut
Jos. 5, 9. גַּל G. gr. min. §. 66. adn. 3. Alii גַּל Imperativum Pi.
a גָּלָה (vs. 18.) habentes: *retege,* remove *a me opprobrium* cet.
23. quo tectus, coopertus sum. — *Sedent principes, contra me col-
loquuntur, Servus tuus* interea *meditatur de statutis tuis;* cf.
vs. 161. Quod non expressimus גַּם manifeste alphabeti in gratiam
24. praemissum est. Sic vs. 41. et sqq. וְ. — *Praecepta tua de-*
25. *liciae meae, Consiliarii mei.* — *Adhaeret pulveri,* jacet ad ter-
ram, aegritudine confecta, *anima mea,* cf. 44, 26., *Vitae me
restitue,* recrea me paene exhaustum *secundum verbum,* promis-
26. sum *tuum!* — *Vias meas,* i. e. res meas, sortem meam (vid. not.
ad 37, 5.) *enarro,* tibi propono inter preces, *et exaudis me;*
27. *Doce me statuta tua!* — *Viam edictorum tuorum* (vid. ad vs. 14.)
fac me nosse; Et meditabor de mirabilibus tuis (cf. vs. 18.).
28. — *Lacrymat anima mea ex aegritudine; Erige me secundum*
29. *verbum,* promissum *tuum!* — *Viam mendacii remove a me,* averte
a me quae a veritate abducunt, *Et legem tuam,* veritatis fontem
30. *gratiose concede mihi!* — *Viam veritatis eligo, Sententias
tuas statuo,* veras habeo, agnosco. Temere alii ad שִׁוִּיתִי cogi-
31. tatione supplent לְנֶגְדִּי. — *Inhaereo praeceptis tuis, Jova, ne
pudore afficias me,* noli permittere, ut spe mea excidam! —
32 *Viam jussorum tuorum curro, Nam latum facis,* aperis *animum
meum* institutioni, intelligentem me reddis; cf. 25, 17. et רֹחַב לֵב
33. 1 Reg. 5, 9. — *Doce me, Jova, viam statutorum tuorum, Ut
servem eam usque ad finem,* semper! עֵקֶב Adv. ut 112. —
34. *Intelligentem me redde, ut servem legem tuam, Et observem*
35. *eam toto animo!* — *Fac ut ingrediar tramitem jussorum tuo-*
36. *rum, Nam eo delector.* — *Inclina animum meum ad praecepta*

tua, *Neque ad lucrum iniquum!* — *Praeterire fac*, averte (ut 37.
vs. 39.) *oculos meos*, *ne respiciant vanum*, noli permittere, ut
oculi mei convertant se ad res vanas, *In viis tuis vivum*, ala-
crem *me redde*, fac ut alacriter persequar vias a te praescriptas,
incita in me eorum quae tibi probantur studium! — *Stare fac*, 38.
praesta *servo tuo verbum*, promissum *tuum*, *Quod est*, factum
est *timori tui* i. e. ei qui te timet, cedit! Alii: *qui* (servus) *est*,
deditus *est timori tui*. — *Praeterire fac*, averte *opprobrium* 39.
meum, *quod timeo!* *Nam sententiae tuae bonae*, rectae, justae
sunt, ita ut sperare mihi liceat, te non permissurum esse, ut
contumelia afficiar. — *En*, *desiderio teneor edictorum tuorum*, 40.
In justitia tua vivum, alacrem *me redde*, incita in me justitiae
quae tibi probatur studium! cf. vs. 37. Alii: *pro justitia tua*
vivum me serva! — *Et superveniant*, contingant *mihi beneficia* 41.
tua, *Jova*, *Auxilium tuum secundum verbum*, promissum *tuum!*
— *Ut respondeam conviciatori meo*, qui probris me afficit, quasi 42.
spes mea me fefellisset, *verbum*, aliquid, rem; *Nam fiduciam*
colloco in verbo, promisso *tuo*. — *Neve subtrahas ori meo ver-* 43.
bum veritatis nimis! *Nam sententias tuas exspecto*. — *Et ob-* 44.
servabo legem tuam continuo, *In perpetuum atque sempiternum*.
— *Et incedam in spatio amplo*, bene procedent res meae, cf. 45.
31, 9, 18, 20. 4, 2. *Nam edicta tua quaero*, curo. — *Et lo-* 46.
quar de praeceptis tuis coram regibus, *Neque erubescam*, non
capiet me ejus rei pudor. — *Et oblectabo me jussis tuis*, *Quae* 47.
amo. — *Et tollam manus meas ad jussa tua*, sancte habebo 48.
praecepta tua, *quae amo*, *Et meditabor de statutis tuis*. —
Memor sis verbi ad servum tuum, promissi servo tuo facti (cf. 49.
vs. 76.), *Propterea quod spem fecisti mihi*. Alii לְעַבְדֶּךָ con-
struentes cum זְכֹר (cf. 106, 45. al.): *memor sis verbi* tui (56, 11.)
servo tuo. Sed quod דָּבָר Suffixo caret, id satis certo indicio
est, construendum esse לְעַבְדֶּךָ cum דָּבָר. Posterius hemistichium
alii: *cujus* (promissi) *spem fecisti mihi*. — *Hoc est solatium* 50.
meum in miseria mea, *Quod verbum tuum vitam mihi reddit*,
me erigit. — *Insolentes illudunt mihi valde*, *A lege tua non* 51.
deflecto. — *Memor sum sententiarum tuarum a temporibus inde* 52.
antiquis, *Jova*, *Et consolor me*. — *Aestus*, ira vehemens *pre-* 53.
hendit me prae improbis, *Qui derelinquunt legem tuam*. —
Cantus sunt mihi, cantandi mihi materiam praebent, exhilarant 54.
me *statuta tua* *In domo peregrinationum mearum*, quod pre-

babilius de vita quae in hac terra vivitur, quam de exsilio in-
55. telligitur; cf. vs. 19. — *Memor sum nocte nominis tui, Jova,*
56. *Et observo legem tuam.* — *Hoc est mihi*, hoc meum, mihi pro-
57. prium est, *Quod edicta tua servo.* — *Pars mea, o Jova, dico,*
Est observare verba tua. Alii: *Pars mea est Jova; Cogito,*
58. statuo mecum, *observare verba tua.* — *Gratiam tuam quaero*
toto animo; Miserere mei secundum verbum, promissum *tuum!*
De פ׳ פְּנֵי חִלָּה locutione vid. quae disputavimus ad Dan. 9, 13.
59. — *Reputo*, circumspicio *vias meas*, examino vitam meam, *Et*
60. *reduco*, sicubi deflectunt, *pedes meos ad praecepta tua.* — *Fe-*
61. *stino, nec cunctor, Observare jussa tua.* — *Laquei* (alii: *ca-*
tervae) *improborum circumdant me; Legis tuae non obliviscor.*
62. — *Media nocte surgo ad agendas gratias tibi Propter sen-*
63. *tentias tuas justas.* — חֲצוֹת Acc. temporis. — *Sodalis ego sum*
omnibus qui timent te, Et iis qui observant edicta tua. —
64. *Clementiae tuae, Jova, plena est terra; Statuta tua doce me!*
65. — *Benefacis servo tuo* (E. gr. ampl. p. 608.), *Jova, secundum*
66. *verbum*, promissum *tuum.* — *Bonum intelligentiae et scientiae*
67. *doce me, Nam jussis tuis innitor.* — *Antequam afflictus essem,*
erravi, deliqui, culpam commisi, *Nunc vero verbum*, praeceptum
68. *tuum observo.* — *Benignus tu es et benefaciens; Doce me sta-*
69. *tuta tua!* — *Agglutinant* (hoc significatu טָפַל gaudet in Talm.)
mihi mendacium, quam non commisi culpam in me conferunt *in-*
70. *solentes; Ego toto animo servo edicta tua.* — *Obesum*, stu-
pidum, sensu carens *est, ut pinguedo, cor eorum; Ego lege tua*
71. *oblecto me.* De priore hemistichio cf. not. ad 17, 10. — *Bene*
72. *mihi, quod afflictus fui, Ut discerem statuta tua!* — *Melior*
mihi lex oris tui est, Quam millia auri et argenti. De טוֹב
73. masc. vid. not. ad 66, 3. — *Manus tuae fecerunt me et forma-*
runt me; Intelligentem me redde, ut discam jussa tua! —
74. *Timidi tui*, cultores tui *vident me et laetantur, Nam verbum*,
75. promissum *tuum exspecto.* — *Novi, Jova, justitiam*, justas *esse*
sententias tuas, Et cum fide i. e. ita tamen, ut fidem mihi ser-
vares, *te affixisse me.* Ad אֱמוּנָה cf. E. gr. min. §. 515. —
76. *Sit, quaeso, gratia tua solatio meo, Secundum verbum tuum*
ad servum tuum, secundum promissum tuum servo tuo factum!
77. cf. vs. 49. — *Superveniat*, contingat *mihi misericordia tua, ut*
78. *vivam! Nam lex tua deliciae meae.* — *Pudore afficiantur*, ex-
cidant consiliis suis, *insolentes, nam sine causa deprimunt me;*

Ego meditor de edictis tuis. — *Convertant se ad me cultores* 79.
tui, *Et cognoscant praecepta tua!* Pro וְיֵדְעוּ vel si mavis
וְיֵדְעוּ *et cognoscant* interpretes uno ore cum Masorethis legunt
וְיֹדְעֵי *et qui cognoscunt*, quasi vero qui recepta scriptura expri-
mitur sensus sit alienus a scriptore, qui iterum iterumque *habi-
tare se in lege divina* dicit! cf. etiam vs. 46. — *Sit cor meum* 80.
totum in statutis tuis, *Ut ne pudore afficiar!* — *Tabescit* 81.
desiderio auxilii tui (vs. 123. 84, 3.) *anima mea*; *Verbum*,
promissum *tuum exspecto.* — *Tabescunt oculi mei desiderio verbi*, 82.
promissi *tui*, *Dum dico: quando consolaberis me?* — *Nam sum* 83.
ut uter in fumo, tam aridus et torpescens rugis; *Statutorum
tuorum non obliviscor.* Videntur utres vinarii, priusquam vino
complerentur, exsiccati esse in fumo. — *Quot* sunt *dies* vitae 84.
servi tui? Quando facies de persecutoribus meis judicium?
Vindica me ab adversariis meis, antequam actum fuerit de me! —
Fodiunt mihi insolentes foveas, *Qui non* sunt, vivunt *secundum* 85.
legem tuam, non curant legem tuam. — *Omnia jussa tua firma*; 86.
Sine causa persequuntur me, *juva me!* — *Prope fuit*, *ut per-* 87.
derent me ad terram, prostratum; *Ego vero non dereliqui edicta
tua.* — *Secundum gratiam tuam vitae me restitue*, erige, recrea 88.
me (vs. 25. 50.), *Ut observem praeceptum oris tui!* — *In per-* 89.
petuum, *o Jova*, *Verbum tuum firmiter stat in coelis*; cf. 89, 3.
— *Per omnes aetates est*, manet *fides tua!* *Fundasti terram*, 90.
et stat. — *Ad sententias tuas stant* cuncta *hodie*, usque ad 91.
hunc diem, *Nam omnia sunt servi tui*, omnes naturae sunt ser-
vae tuae, tibi subjectae. Quod in posteriore hemistichio est הַכֹּל
pertinet ad prius quoque. Constat, saepissime compleri membrum
unum ex altero. Alii, לְמִשְׁפָּטֶיךָ habentes Nominativum absolu-
tum: *ad sententias tuas* quod attinet, *stant* cet. — *Nisi lex tua* 92.
deliciae meae: Tunc periissem in miseria mea. — *In perpe-* 93.
tuum non obliviscar edictorum tuorum, *Nam iis vitae me re-
stituis*, me erigis, cf. vs. 25. 50. 88. — *Tibi*, tuus *ego* sum, 94.
adjuva me! *Nam edicta tua quaero*, curo. — *Me exspectant*, 95.
inhiant, appetunt (ut 56, 7.) *improbi*; *ut perdant me*; *Praecepta
tua attendo.* — *Omni perfectioni*, omnis rei perfectae *vidi finem*; 96.
Late patens est *jussum tuum valde.* Nihil vidi rerum huma-
narum tam perfectum et solidum, quod non deficeret tandem et
interiret; praecepta tua sola infinita sunt et immutabilia. —
Quam diligo legem tuam! *Omni tempore illa est meditatio mea.* 97.

98. — *Hostibus meis sapientiorem me reddunt jussa tua,* *Nam in
perpetuum id,* lex tua, *mihi* est, manet. De verbo singulari vid.
99. ad 18, 35. — *Omnibus doctoribus meis prudentior ego sum*
100. *Nam praecepta tua meditatio mihi,* mea sunt. — *Senioribus in-*
101. *telligentior ego sum,* *Nam edicta tua servo.* — *Ab omni tra-*
mite malo cohibeo pedes meos, *Ut observem verbum tuum.*
102. — *A sententiis tuis non recedo,* *Nam tu instituisti me.* —
103. *Quam laevia,* dulcia *sunt palato meo verba tua!* *Magis quam mel*
104. *ori meo!* נִמְלְצוּ אִמְרָתֶךָ E. gr. ampl. p. 640. — *Ex edictis tuis
intelligentem me facio,* sapere disco, *Propterea odi omnem tra-*
105. *mitem mendacii.* — *Lucerna pedi meo est verbum tuum,* *Et*
106. *lux semitae meae.* — *Juravi, et praesto* quod juravi, *Observa-*
107. *turum me esse sententias tuas justas.* — *Afflictus sum valde;*
Jova, vitae me restitue, erige me *secundum verbum,* promissum
108. *tuum!* — *Spontanea sacrificia oris mei,* i. e. laudes meas, *bene-*
vole excipe, quaeso, Jova, *Et sententias tuas doce me!* —
109. *Anima,* vita *mea in manu mea* i. e. praesentissimo periculo ex-
posita est *continuo,* *Et,* verum *legis tuae non obliviscor.* Locutio
quae priore in membro inest, eo nititur, quod quae in manibus
gestantur facillime possunt elabi. Plena locutio videatur Jud.
110. 12, 13. 1 Sam. 19, 5. 28, 21. Job. 13, 14. — *Posuerunt improbi*
111. *laqueum mihi;* *Et,* sed *ab edictis tuis non aberro.* — *Peculii
instar teneo praecepta tua in perpetuum,* *Nam gaudium cordis
mei illa* sunt. זִמָּה G. gr. min. §. 119, 5. E. gr. min. §. 449.
112. p. 283. — *Flexi cor meum ad faciendum statuta tua,* *In per-*
113. *petuum usque ad finem.* — *Divisos,* divisi, ambigui animi ho-
114. mines, dubitatores, *odi,* *Et legem tuam amo.* — *Latibulum
meum,* tutela mea *et clypeus meus tu es;* *Verbum,* promissum
115. *tuum exspecto.* — *Recedite a me, malefici,* *Ut servem jussa*
116. *dei mei!* — *Sustenta me secundum verbum,* promissum *tuum, ut*
117. *vivam,* *Neque pudore afficias me propter spem meam!* — *Fulci*
118. *me, ut server,* *Et respiciam statuta tua continuo!* — *Con-
temnis omnes, qui aberrant a statutis tuis;* *Nam vanitas,* vana
est *fraus eorum,* frustranei sunt omnes eorum conatus subdoli.
119. — Tanquam *scorias aufers omnes improbos terrae;* *Hinc ego*
120. *amo praecepta tua.* — *Horret prae terrore tui,* prae terrore
quem tu injicis, *caro mea,* *Atque a sententiis tuis timeo,* per-
territus sum metu sententiarum tuarum. Sensum recte descripsit
Rosenmüllerus his verbis: exhorresco toto corpore ad cogitationem

sententiâ severae tuae, qua uteris adversus eos, qui discedunt
a decretis justis tuis. — *Feci quod justum et rectum est; Non* 121.
relinques, dabis me oppressoribus meis! — *Sponde pro servo tuo,* 122.
in fidem tuam me recipe *in bonum*, in salutem meam! *Ne opprimant*
me insolentes! De עָרַב verbo vide quae disputavimus ad 55, 18. —
Oculi mei tabescunt desiderio auxilii tui, Et verbi, promissi *tui* 123.
justi. — *Fac cum servo tuo secundum gratiam tuam, Et statuta* 124.
tua doce me! — *Servus tuus ego sum: intelligentem me redde,* 125.
Ut cognoscam praecepta tua! — *Tempus* est *agendi Jovae,* tempus 126.
est maximum, peropus est, ut agat, vim exserat, potentiam suam
ostendat, praesentem se exhibeat Jova; *Fregerunt,* ruperunt,
violarunt *legem tuam.* הֵפֵרוּ absolute est positum, ut 22, 32.
37, 5. 52, 11. Jer. 14, 7. 18, 23. al. — *Propterea amo jussa tua,* 127.
Magis quam aurum et aurum purum. Noli anxius quaerere, quo
referendum sit עַל כֵּן; cf. vs. 23 sq. 41 sqq. — *Propterea omnia* 128.
edicta omnis generis recta habeo, probo, *Omnem tramitem men-*
dacii odi. Praeter omnem necessitatem recentiorum aliquis pro
כֹּל פִּקּוּדֵי legi vult פִּקּוּדֶיךָ. כֹּל eodem hic significatu gaudet,
quo Ezech. 44, 30. *Dei* vero intelligenda edicta esse, docet nexus.
Sic *dei* justitia 40, 10. simpliciter dicitur צֶדֶק omisso Suffixo.
— *Mirabilia sunt praecepta tua; Propterea servat ea anima* 129.
mea. De ם Suffixo masc. vid. ad vs. 111. — *Apertio* i. e. de- 130.
claratio, interpretatio *verborum tuorum illustrat, Intelligentes*
reddit simplices. — *Os meum distendo, et inhio; Nam jusso-* 131.
rum tuorum desiderio teneor. — *Converte te ad me, et miserere* 132.
mei, Pro jure quod est, pro eo quod debetur *amantibus nomen*
tuum, sicut fas est te esse iis, qui te colunt! Alii: *pro more,*
erga, ut facere soles iis, qui. — *Gressus meos confirma in verbo* 133.
tuo, fac ut constantiam adhibeam in observandis praeceptis tuis;
Nec facias, sinas *dominari in me ullam nequitiam,* neque pote-
statem da ulli in me homini scelesto! cf. vs. qui sequitur. Ad
ipsum parallelismum tamen magis convenit, petere vatem, ne do-
minetur in ipsum ullum unquam *scelus,* prava *cupiditas.* —
Redime, libera *me ab oppressione hominum, Ut observem edicta* 134.
tua! — *Faciem tuam illustra in servum tuum,* sereno, propitio 135.
vultu, gratiose me respice, *Et doce me statuta tua!* — *Rivos* 136.
aquarum, lacrymarum *demittunt oculi mei, Propterea quod non*
observant legem tuam. Ad prius hemistichium cf. G. gr. min.
§. 135, 1, adn. 2. E. gr. min. §. 513. עַל pro עַל אֲשֶׁר ut saepius.

137. Nonnulli: *propter eos qui.* — *Justus tu es, Jova, Et rectae*
138. sunt *sententiae tuae.* De יָשָׁר Sing. vid. not. ad 66, 3. — *Prae-*
stituisti justitiam praeceptorum tuorum i. e. praecepta tua justa,
Et firmitatem eorundem *valde* i. e. et valde firma. אֱמוּנָה ex
139. lege parallelismi pro אֱמוּנָה עֵדֹתֶיךָ est positum. — *Perdit,* con-
sumit *me indignatio mea, Quod obliviscuntur verborum tuorum*
140. *adversarii mei.* — *Sincerum est verbum tuum valde, Et servus*
141. *tuus amat illud.* — *Tenuis ego sum et contemtus; Edictorum*
142. *tuorum non obliviscor.* — *Justitia tua* i. e. qua tu uteris juris
norma, *jus,* justa est *in perpetuum, Et lex tua est integritas,*
143. integra. — *Miseria et angustiae inveniunt me,* incidunt mihi
144. (116, 3.); *Jussa tua* sunt *deliciae meae.* — *Jus,* justa sunt
praecepta tua in perpetuum; Intelligentem me redde, ut vivam!
145. — *Voco toto corde: exaudi me, Jova! Statuta tua servabo!*
146. — *Voco te: juva me! Et observabo praecepta tua!* —
147. *Anteverto* aliis (cf. vs. seq.) *in crepusculo* matutino, *et vocife-*
148. *ror; Verba,* promissa *tua exspecto.* — *Antevertunt oculi mei*
vigilias, priusquam decedant vigiliae nocturnae, jam evigilant oculi
149. mei, *Ad meditandum de verbo tuo.* — *Vocem meam audi se-*
cundum gratiam tuam! Jova, secundum sententiam tuam vitae
150. *me restitue,* erige me! — *Appropinquant* contra me, *qui sectan-*
151. *tur scelus; A lege tua procul absunt.* — *Propinquus tamen tu*
es, *Jova,* ope tua tu mihi ades; *Et omnia jussa tua* sunt *inte-*
152. *gritas,* integra. — *Dudum scio ex praeceptis tuis, In perpe-*
153. *tuum te constituisse illa.* — *Vide afflictionem meam, et eripe*
154. *me! Nam legis tuae non obliviscor.* — *Age causam meam et*
redime me! Ad, secundum *verbum,* promissum *tuum vitae me*
restitue, erige me! לְאִמְרָתְךָ i. q. כְּאִמְרָתְךָ, cf. vs. 107. al. —
155. *Procul abest ab improbis auxilium; Nam statuta tua non quae-*
156. *runt,* curant. Ad רָחוֹק masc. cf. vs. 72. — *Misericordia tua*
magna est, Jova; Secundum sententias tuas vitae me restitue,
157. erige me! — *Multi sunt persecutores mei et adversarii mei;*
158. *A praeceptis tuis non deflecto.* — *Video perfidos et fastidio,*
159. *Qui verbum tuum non observant.* — *Vide, edicta tua me amare;*
160. *Jova, secundum gratiam tuam vitae me restitue!* — *Summa*
verbi tui, verborum tuorum *veritas est, Atque in perpetuum*
161. est, stat *omnis sententia tua justa.* — *Principes persequuntur me*
162. *sine causa; Et,* sed *a verbis tuis* solis *timet cor meum.* — *Lae-*
163. *tor ego de verbo tuo, Ut qui invenit praedam magnam.* — *Men-*

dacium odi et abominor; Legem tuam amo. — *Septies per* 164.
diem, singulis diebus *laudo te Propter sententias tuas justas.*
— *Pax magna est amantibus legem tuam, Neque iis est*, obji- 165.
jicitur *offendiculum*, nec quicquam adversi iis accidit. — *Ex-* 166.
specto auxilium tuum, Jova, Et jussa tua facio. — *Observat* 167.
anima mea praecepta tua, Et amo ea valde. ־ם ut vs. 129.
— *Observo edicta tua et praecepta tua; Nam omnes viae meae* 168.
coram te, tibi notae sunt, nihil te latet omnium, quae facio. —
Appropinquet clamor meus in conspectum tuum, Jova! Secun- 169.
dum verbum, promissum *tuum intelligentem me redde!* — *Veniant* 170.
supplicia mea in conspectum tuum! Secundum verbum tuum eripe
me! — *Ebulliant labia mea laudes! Nam doces me statuta tua.* 171.
— *Canat* (147, 7.) *lingua mea verbum tuum! Nam omnia jussa* 172.
tua justitia, justa sunt. — *Sit manus tua ad juvandum me*, au- 173.
xilio mihi! *Nam edicta tua elegi.* — *Desiderio teneor auxilii* 174.
tui, Jova; Et lex tua deliciae meae. — *Vivat anima mea et* 175.
laudet te! Et sententiae tuae juvent me! — *Oberro, ut ovis* 176.
perdita: require servum tuum! Nam jussorum tuorum non obli-
viscor.

PS. CXX. שִׁיר הַמַּעֲלוֹת praeter hoc quod prae manibus 1.
habemus quattuordecim quae proxime sequuntur carmina (elegantiora omnia) inscripta sunt. Gesenius ש׳ה׳ *carmen graduum* significare putat, existimatque sic illa carmina appellata esse „propter numerum rhythmumque in pluribus conspicuum, qui in eo cernatur, quod gradatim quasi progrediatur oratio, siquidem vel postrema vel prima antecedentis sententiae verba ab initio subsequentis repeti soleant, v. c. Ps. 121, 1: אֶשָּׂא עֵינַי אֶל־הֶהָרִים מֵאַיִן יָבוֹא עֶזְרִי, vs. 2: עֶזְרִי מֵעִם יְהוָה; vs. 3: אַל יָנוּם שֹׁמְרֶךָ, vs. 4: הִנֵּה לֹא יָנוּם וְלֹא יִישָׁן שׁוֹמֵר יִשְׂרָאֵל; vs. 7: יְהוָה יִשְׁמָרְךָ מִכָּל־רָע יִשְׁמֹר אֶת־נַפְשֶׁךָ; item 122, 2. 3. 4. 123, 3. 4. 124, 1. 2. 3. 4. 5. 126, 2. 3. 129, 1. 2." Verum ab indole poetica carminum reliquarum quotquot leguntur inscriptionum repetita est nulla. Praeterea ista figura non in cunctis ש׳ הַמַּעֲלוֹת dictis carminibus reperitur, contra observatur in aliis inscriptis aliter. Magis mihi probatur eorum sententia, qui שִׁיר הַמַּעֲלוֹת *carmen ascensionum* esse volunt, atque sic dicta haec carmina judicant, quod post reparatam urbem sanctam (cf. Ps. 122.) ab Israelitis ad celebrandos dies festos Hierosolyma proficiscentibus (*ascendentibus* ex usu loquendi Hebraeorum) canerentur. Nihil est, quod laetitiae illi

publicae, qualis esset Israelitarum ad agendos dies festos proficiscentium, negant congruere querelas, quae in Ps. 120. aliisque horum Psalmorum fundantur. Neque enim, dum peregrinatores sacri Ps. 120. aliosque huic similes cantabant, praesentia (ut qui scripserunt istos Psalmos) sed praeterita mala respiciebant eorumque recolebant memoriam. Contra favet illi sententiae, quod certe primi novem Psalmi ita dispositi videntur, ut tres carminum series efficiant, ternorum singulas carminum, quorum primum quodque optime conveniat in peregrinationis initium, secundum in mediam fere peregrinationem, tertium in peregrinationis finem. Posset etiam illa ipsa quam significavimus rerum *progressio* causa videri, cur הַמַּעֲלוֹת 'שׁ dicta sint haec carmina. Quum vero quae ab 129. sequuntur ad eam legem referri vix possint, abjicienda videtur haec sententia. Ceterum nos cunctos hos Psalmos eadem qua cantatos occasione, compositos putamus. Videntur nonnulli jam ante exstitisse nec nisi accommodati esse ad illos usus. Atque hic quidem Psalmus factus videtur eodem tempore, quo probabile est compositum esse Psalmum 83., ad quem vid. not. Strophae duae: vs. 1—4: Jova me defendet ab hostibus dolosis, insidiosis, 5—7: qui sine intermissione turbant pacem meam.

— *Ad Jovam in angustiis* quae mihi, in angustiis meis *Clamo,*
2. *et exaudit me.* — *Jova, libera animam meam A labio mendaci, a lingua fraudulenta!* Ad לָשׁוֹן רְמִיָּה cf. 69, 5. ibique not. Rem bene illustravit Tilingius his verbis: „Quibus Samaritani machinationibus, quibus dolis falsisque criminationibus fuerint usi, ut Judaeos templo et urbe reparandis depellerent, multis relatum legimus in libris Esrae et Nehemiae. Modo apertis mendaciis et falsis criminationibus regum Persarum animos in Judaeos accenderunt; effeceruntque, ut severis edictis prohiberent, quominus templum repararent, quod inprimis ab Arthasasta factum legimus Esr. 4.; modo tecta fraude et fucatis verbis illos ab opere suscepto revocare illudque impedire studebant, Esr. 4, 1. 2. Atque paucis annis interjectis, sub Artaxerxe Mnemone, idem tentarunt, Judaeos a reficiendis moenibus urbis abstrahere conantes, nunc virulentis cavillis, Neh. 3, 19. et 4, 1—5., nunc vi et armis, Neh. 4, 7 sqq., nunc iterum verbis ad dolum comparatis, aliisque fraudulentis mediis, Neh. 6. Variis tandem artibus rem eo deduxerunt, ut non solum quosdam ex principibus viris ad se pellexerint, uti nepotem Eliaschibi, Neh. 13, 28., sed et ut dimidia

pars Israelis, nepotes Abrahami Zabeadi, ut Ismaelitas deseriit.
— *Quid dabit* Jova *tibi, et quid iterum dabit tibi* i. e. quaenam 3.
putas te praemia manere a parte Jovae? *O lingua fraudulenta!*
Ad רְמִיָּה quae iteranda est vocula לָשׁוֹן aut atque est praeceden-
tibus repetenda, ut multis aliis in locis. Nonnulli: *Quid dabit*
tibi, o hostis, *et quid iterum dabit tibi* i. e. quid te juvabit,
o hostis, *Lingua fraudulenta?* Sed praeferenda videtur prior
ratio, quod יִתֵּן facilius refertur ad Jovam ante nominatum, quam
לְךָ ad hostem nondum nominatum. — Sequitur responsum. *Sa-* 4.
gittas herois acutas (tibi dabit Jova) *Cum carbonibus genista-*
rum i. e. afficiet te poenis mortiferis ac talibus quae acerbissimos
dolores tibi faciant. Prius illud significatur sagittis, posterius
genistarum carbonibus, ut qui maximum ardorem concipiant (cf.
Burkhardt Itin. II. p. 791.), neque urant pertinacius et diutius.
Alii haec alio sensu cum לָשׁוֹן vs. 3. appositione cohaerere putant,
quod durius. — *Vae mihi, quod commoror cum Moschis, Habito* 5.
apud tentoria Cedreorum! גּוּר cum Acc. ut 5, 5. Cum Moschi
inter *Iberiam, Armeniam* et *Colchidem* sedes haberent, Cedrei vero
Arabiae sint populus, facile intelligitur, verba haec non proprie
capienda, sed omnino homines barbaros, inhumanos et saevos in-
telligendos esse. — *Multum*, satis diu, jam satis *habitavit sibi* 6.
anima mea Cum osore pacis. רַבַּת Adv. ut 65, 10. ubi vid.
not. Iterum legitur in his ipsis Psalmis 123, 4. 129, 1. — *Ego* 7.
pax sum, in pace totus sum, nil nisi pacem volo; *et*, verum *cum*
loquor, causam ago pacis, auctor suasorque sum pacis: *Illi pro*
bello sunt, nil nisi bella et discordias spirant. Ad אֲנִי שָׁלוֹם cf.
109, 4. Ad rem cf. supra not. ad vs. 2.

PS. CXXI. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Ab exsule 1.
quodam, fortasse totius populi cum ipso in exsilio versantis no-
mine (vs. 4.) compositus Psalmus. Strophae quatuor: vs. 1. 2:
summo cum desiderio oculos attollo ad montes, ultra quos terra
patria est sita, inde exspectans auxilium a Jova; 3. 4: tutore
ac defensore fido, 5. 6. et 7. 8: nunquam non praesenti. —
Attollo oculos meos ad montes (vid. supra). *Unde veniet auxi-*
lium meum? — *Auxilium meum* veniet *a Jova*, *Creatore coeli* 2.
et terrae. — *Non sinet nutare pedem tuum, Non dormitabit* 3.
custos tuus! אַל יִתֵּן וגו׳ subjective dictum (44, 3.) לֹא יָנוּם וגו׳
objective dictum. Prius spem exprimit, posterius spem confirmat.

Rosenmüllerus: „non improbanda prorsus mihi quidem," ait, Lackemacheri videtur conjectura, carmen hoc recitatum fuisse a choris, sive coetibus Levitarum duobus, quorum unus personam sustineret totius populi, alter huic per antiphonam quandam responderet, et priorem quidem chorum versus cecinisse duos primos, alterum vero reliquos. Neque tamen repugnabimus, si unius haec esse et ejusdem recitatoris omnia malit aliquis." Videtur sane, quum ad primam personam non redeatur, sed secunda servetur usque ad finem, scriptor ab hoc versu ipse se alloqui et confirmare. —
4. 5. *Ecce, non dormitat, nec dormit Tutor Israelis.* — *Jova est
tutor tuus; Jova umbra, tutela *tua, ad manum dexteram tuam*
i. e. praesidium tuum est, cf. 16, 8. 109, 31. יְהוָה שֹׁמְרֶיךָ proprie est: *Jova est tutores tui,* quod nihil aliud significat quam: Jova in se suscepit partes tutorum tuorum, Jova te tuetur. Poterat fere eodem sensu dici: יְהוָה בְּשֹׁמְרֶיךָ *Jova est in tutoribus tuis,* Jova te tuetur, ut si alibi dicitur יְהוָה בְּעֹזְרָי, velut 118, 7. cf. 54, 6. Errant igitur, qui שֹׁמְרֶיךָ Pluralem majestaticum esse volunt. Verba עַל יַד יְמִינֶךָ et צִלְּךָ non jungenda,
6. sed dirimenda esse, vix monitu opus puto. — *Interdiu sol non feriet,* tanget *te, Et, nec luna noctu.* „Ut enim solis aestus gravis in aprico, ita lunae lux noxia creditur sub hac dormientibus, in terris illis calidis." Ros. Alii de frigore nocturno, praesertim sub noctem mediam orientis in regionibus gravi et molesto cogitant, quod frigus lunae tribuatur, ut ardor diurnus soli, coll. Gen. 31, 40. al. Nescio an rectius nonnisi hoc dici putem: neque interdiu, nec noctu tibi quicquam adversi accidet.
7. — *Jova tuetur te ab omni malo, Tuetur animam tuam.* —
8. *Jova tuetur egressum tuum et introitum tuum* i. e. universam tuam vitae agendique rationem, cf. Deut. 28, 6. 1 Sam. 29, 6. al., *Ab hoc tempore et usque in sempiternum.*

1. PS. CXXII. *Canticum ascensionum* (120, 1.), *Davidis carmen.* Ab Israelitis ad celebrandos dies festos Hierosolyma proficiscentibus cantatum hoc carmen. Non a Davide, sed a recentiore manu profectum esse, docet quod vs. 5. memorantur reges gentis Davidicae, docet Schin praefixum vs. 3. 4. Compositum vero est ante exsilii Babylonici tempora, quum post illa neque reges exstiterint Davidicae familiae, neque amplius tribus fuerint Israelitarum vs. 4., nec denique tam amplae et magnificae urbis,

qualis vs. 3. et 7. describitur, formam habuerit urbs reparata. Strophae duae: vs. 1—5: te salutamus, urbs ampla, regia! 6—9: bene tibi sit, urbs magnifica, sancta! — *Laetor dicenti-*
bus mihi: Domum Jovae eamus! — Stant pedes nostri In 2.
portis tuis, Hierosolyma! Jam cernit animo se cum reliquis peregrinatoribus sacris subsistentem intra portas desideratissimae
urbis. — *Hierosolyma, aedificata, Sicut urbs quae juncta sibi* 3.
est invicem! i. e. quae perpetuis aedibus tota inter se juncta est et cohaerens, quae non domibus hinc inde dispersis, sed arcte junctis et cohaerentibus aedificiis constat! Quibus verbis eleganter depingitur peregrinatorum, qui talem urbem nondum vidisse sibi videntur, admiratio. Alii haec verba referenda putant ad urbem reparatam, cujus ruinae lapidesque diu disjecti iterum con-
juncti nunc sint. Sed cf. ad vs. 1. — *Quo ascendunt*, proficis- 4.
cuntur *tribus*, *tribus Jah*, *Lex Israeli*, ex lege data Israeli, *Ad celebrandum nomen Jovae.* עָלָה de proficiscentibus Hierosolyma (cf. inscriptio שִׁיר הַמַּעֲלוֹת), quo ter quotannis ad agendos dies festos proficisci debebant Judaei, Deut. 16, 16. Verba עֵדוּת
לְיִשְׂרָאֵל cum praegressa sententia appositione cohaerent. — *Nam* 5.
ibi insident soliis ad judicium, ad judicandum, *Soliis domus Davidis.* יָשַׁב cum Acc. cf. 80, 2. 99, 1. al. יָשְׁבוּ reges puta. Nam de Serubabele aliisque e gente Davidica ortis magistratibus quominus cogites, obstat quae in eodem hoc Psalmo celebratur urbis magnificentia. Alii, Chaldaeum secuti: *nam ibi stant s. collocata sunt solia*, coll. 125, 1., cujus loci tamen alia ratio
est. — *Poscite salutem Hierosolymorum*, fausta apprecamini 6.
Hierosolymis! *Salvi sint qui diligunt te!* שָׁאַל שְׁלוֹם פ׳ *poscere salutem* alicujus, apprecari alicui fausta; cf. in contrariam partem שָׁאַל נֶפֶשׁ פ׳ *poscere vitam* alicujus, apprecari alicui mortem 1 Reg. 19, 4. Jon. 4, 8. Job. 31, 30. Alii: *quaerite de salute Hierosolymorum*, quae interpretatio aeque aliena est ab usu loquendi, atque a nexu. Nam *quaerere de salute* alicujus est שָׁאַל לְפ׳ לְשָׁלוֹם Gen. 43, 27. Exod. 18, 7. 1 Sam. 10, 4. 17, 22. 30, 21. Ad nexum vero quod attinet, statim subjiciuntur vota. Bene, inquit, precamini urbi sanctae; bene omnibus qui illi favent,
illiusque tutelae esse volunt! De יִשְׁלָיוּ cf. ad 57, 2. — *Sit* 7.
salus in antemurali tuo, in moenibus tuis, *Securitas in palatiis*
tuis! — Propter fratres meos et socios meos i. e. propter po- 8.
pulares meos *Loquar jam: sit salus in te!* Fratres et socii

vatis, nec cives Hierosolymitani sunt, nec sacri peregrinatores,
9. sed populares vatis omnino omnes; cf. vs. 3. 6. 4. — *Propter domum Jovae, dei nostri, Rogabo, petam, bona tibi, fausta omnia apprecabor tibi.* Sic capienda esse verba אֲבַקְשָׁה טוֹב לָךְ, non, ut tantum non omnes volunt: *bene tibi facere studebo*, clarissime perlucet e nexu; cf. inprimis vs. 6.

1. PS. CXXIII. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Hunc Psalmum alii ad injurias referunt, quibus exsules affecti sunt a Babyloniis, alii ad injurias, quae Judaeis in patriam restitutis illatae sunt a Samaritanis. Nos nostram facimus sententiam priorem, quum quae vs. 3. 4. habentur magis conveniant in Babylonios, Judaeorum dominos, quam in Samaritanos una cum Judaeis subjectos Persarum imperio. Fatendum tamen, neque ab ipsis Samaritanis illa abhorrere, quum Persae Samaritanorum rebus magis quam Judaeorum faverent. Strophae duae: vs. 1. 2: fiducia et exspectatione pleni rogamus te, Jova, ut miserearis nostri; 3. 4: nam satis superque nos probris affecerunt, ludibrio habuerunt homines insolentes et fastuosi. — *Ad te attollo oculos meos, Qui sedes*, regio solio insides *in coelis*. הַיֹּשְׁבִי cum י parag.
2. ut 113, 5 sqq. al. — *Ecce, ut oculi servorum in manum domini ipsorum, Ut oculi ancillae in manum herae ipsius, Sic oculi nostri in Jovam, deum nostrum* sunt directi, *Dum misereatur nostri.* Vix credas, non vidisse interpretes, quorsum pertineat similitudo servorum et ancillarum non dimoventium oculos a manibus herorum et herarum. Sole enim clarius est, tertium comparationis non in causa, cur servi et servae oculos defigant in manibus dominorum dominarumque, sed in eo ipso, quod oculos illi a manu istorum non movent, ponendum esse. Quemadmodum, inquit, servi et servae sollicito studio oculos defigunt in manu dominorum dominarumque (sc. ut ad omnes nutus et motus illius sint parati, id quod hic non spectatur), sic nos oculos a Jova
3. non movemus, immotis oculis Jovam intuemur, dum cet. — *Miserere nostri, Jova, miserere nostri! Nam satis satiati sumus*
4. *contemtu.* רַב et רַבַּת vs. 4. adverb. cf. 120, 6. — *Satis satiata est sibi anima nostra Hac irrisione insolentium, hoc contemtu fastuosorum.* Articulus praemissus Nomini constructo הַלַּעַג videtur vim habere Pronominis demonstrativi, G. gr. min. §. 108, 2, a). E. gr. ampl. p. 581, min. §. 501. לִגְאֵיוֹנִים efferendum לִגְאֵי יוֹנִים

vel גְּאֵיוֹנִים, coll. [illegible] Masorethae: גְּאֵי יוֹנִים *oppressores fastuosi*, propr. *fastuosi oppressorum*, cui scripturae parallelismus haud favet.

PS. CXXIV. *Canticum ascensionum* (120, 1.), *Davidis* 1.
carmen. Convenit in Judaeos de exsilio revocatos a Jova. Strophae duae: vs. 1 — 5: nisi Jova ope sua nobis adfuisset, hostes nos perdidissent; 6 — 8: laudibus efferatur Jova, qui ab illis nos liberavit! — *Nisi Jova* fuisset, *qui adfuit nobis*, *Dicat Israel*; — *Nisi Jova* fuisset, *qui adfuit nobis*, *Quum surgerent contra* 2.
nos homines: — *Tunc vivos devorassent nos*, *Quum exardesce-* 3.
ret ira eorum in nos; — *Tunc aquae obruissent nos*, *Torrens* 4.
transivisset super animam nostram; — *Tunc transivissent super* 5.
animam nostram Aquae aestuosae. De aquarum imagine cf. ad 18, 5. Ad נַחְלָה עָבַר עַל נַפְשֵׁנוּ vs. 4. cf. inprimis 69, 2. Ad עָבַר Sing. vs. 5. cf. E. gr. ampl. p. 641. min. §. 569. c.). —
Celebratus sit Jova, *Qui non dedit nos praedam dentibus eo-* 6.
rum! — *Anima nostra ut avis evasit ex laqueo aucupum*; 7.
Laqueus dilaceratus, discissus *est*, *et nos evasimus.* — *Auxilium* 8.
nostrum est *in nomine Jovae* (cf. ad 20, 2.), *Creatore coeli et terrae.*

PS. CXXV. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Rosenmül- 1.
lerus verisimilem Tilingii habet sententiam, hunc Psalmum scriptum esse, postquam Samaritani magnam Judaeorum multitudinem ad sese pellexissent, inprimis proceres quosdam, ut Semajam, argento corruptum, Neh. 6, 12. 13., et nepotem Eliaschibi, pontificis maximi, matrimonii illecebris inescatum, Neh. 13. Hoc igitur praesenti carmine vatem spectasse, ut magis confirmaret eos, qui neque minis hostium, neque blanditiis aut corruptionibus seduci se passi fuerint ad prodendum, impia defectione ad Samaritanos, communem populi Judaici causam. Minoris momenti esse, quod contra monent alii, Samaritanos Judaeis non imperasse, documento est, quod Samaritania firmius quam Judaeis praesidium in satrapa Persarum fuit. Nihilo secius vero mera conjectura manet Tilingii sententia, cum certiora illius, ut cujusvis alius, temporis indicia prorsus desint. Strophae duae; vs. 1 — 3: qui Jovae confidunt, manebunt: neque enim diu duratura est improborum tyrannis; 4. 5: consule, Jova, piis; sed qui deficiunt a te, eos una cum maleficorum turba dele! — *Qui fiduciam collocant in*

Jova, Sunt *instar montis Sionis: Non nutat*, *in perpetuum*
2. *manet*, instar Sionis, qui non nutat est. — *Hierosolyma, montes circum ea* sunt, *Et Jova circum populum suum* est, i. e. quemadmodum urbs Hierosolymitana est montibus tanquam vallo munita, sic Jova praesidio suo tuetur populum suum, *Ab hoc tem-*
3. *pore et usque in sempiternum.* יְרוּשָׁלַםִ Nomin. absol. — Ne iis, quas de praesidio divino modo dixerat, opponat aliquis praesentem rerum statum, eum non diu duraturum promittit. Neque enim, inquit, permittet Jova, ut opprimantur pii perpetuo impiae tyrannidis imperio, ne impulsi nimia potentia improborum tandem ipsi etiam a Jova deficiant. *Neque enim residebit*, manebit *sceptrum improbitatis in sorte justorum*, i. e. in terra quae sorte obtigit justis i. e. in terra sacra Israelitarum, *Ne extendant justi ad pravitatem manus suas*, relicto Jova in eadem cum improbis scelera delabantur. Sceptrum improbitatis possit esse satrapae Persarum imperium, Samaritanorum magis quam Judaeorum
4. rebus favens. עַוְלָתָה 3, 3. — *Bene fac, Jova, bonis, Et rectis in cordibus ipsorum*, et integris animi, piis tuis cultoribus! —
5. *Et qui deflectunt in vias curvas suas*, res Jovae relinquunt (cf. ad Jes. 30, 11.), *Eos perdat* (cf. 78, 39.) *Jova una cum maleficis*, scelestis istis, qui vi et dolis inducunt pios, ut a Jova deficiant! *Salus super Israelem* veniat, obtingat illi! cf. 128, 6. 3, 9.

1. PS. CXXVI. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Compositum est carmen, quum pars populi exsilio Babylonico rediisset. Strophae duae: vs. 1—3: quanta fuit laetitia nostra, quum de exsilio nos Jova reduceret! 4—6: revoca, Jova, ceteros quoque omnes, ut flebile tempus fortuna sequatur melior! — *Quum reduceret Jova captivos Sionis*, *Fuimus ut somniantes*, somniare visi sumus, vix oculis nostris credidimus, dubitavimus an verum
2. esset, quod nobiscum agebatur. — *Tunc plenum fuit risu os nostrum*, *Et lingua nostra clamore laeto; Tunc dixerunt inter populos: „Praeclare Jova egit cum his!“* Israelitis reducibus.
3. 4. — *Praeclare Jova egit nobiscum! Sumus laeti.* — „Gratulationem sequitur petitio. Non omnes Hebraei simul in patriam ex Babylone rediere; sed alii regnante Cyro, alii Dario, alii Xerxe, Darii filio. Qui igitur primi redierant, petunt reliquos quoque reduci et sic coeptum beneficium perfici ac compleri.“ Ros. *Reduc, Jova, captivos nostros*, *Ut torrentes in austro*, in regio-

nibus aestu solis exsiccatis, aridis, i. e. quemadmodum qui in
terris calidis per aestatem exsiccati erant torrentes pluvio anni
tempore aquis se replent terramque aridam iterum irrigant, sic
fac, o Jova, ut desolata haec terra suis iterum repleatur incolis,
a suis iterum excolatur colonis! — *Qui serunt cum lacrymis*, 5.
inter lacrymas, *Cum laeto clamore*, inter laetos clamores *metent*.
Quorum verborum praeter necessitatem varie tentatorum ab inter-
pretibus sensus sine dubio is est, quem sub illis subjecit Rosen-
müllerus his verbis: „In spem se erigunt laetiorum temporum,
quae sequutura sint exsilii miserias, vixdum exantlatas, atque
difficultates et labores, quibuscum adhuc inter ipsa novae reipu-
blicae initia reversis erat confligendum. Proverbiali vero sententia
utitur, qua significatur, *tristibus laeta solere succedere*, sive, ut
Ovidius dicit Met. 7, 518., flebile principium meliorem fortunam
sequi. Similitudo deprompta est a seminantibus, quibus, dum
terrae semina committunt, adversa quaeque occursant, quae lacry-
mas saepe cient pauperculo agricolae, qui ultra sementem vix
quicquam demi retinet, incertumque messis proventum reputat;
quas ipsas tamen molestias laetissima messis excipit atque com-
pensat.“ — *Vadit, vadit et flet*, *Qui portat trahendum*, spar- 6.
gendum per sulcos *semen*, propr. *tractionem seminis*; *Venit,
venit cum laeto clamore*, *Qui portat manipulos suos*.

PS. CXXVII. *Canticum ascensionum* (120, 1.), *Salomonis* 1.
carmen. Docet, nihil proficere hominum labores, nisi deo juvante.
Quo tempore aut qua occasione factum sit, dici nequit. Inscriptio
orta est ex vs. 1. male relato ad templum. Strophae duae: vs.
1. 2: ex Jova pendent habitatio, securitas, quaestus, victus,
3—5: stirps liberorum. — *Nisi Jova exstruat domum*, *Frustra
operam collocant structores ejus in ea*; *Nisi Jova custodiat
urbem*, *Frustra vigilat custos*. Quum mentio hic fiat structo-
rum et custodum, prorsus falsi sunt interpretes, qui בָּנָה בַיִת
aliter atque proprie intelligendum putant. — *Frustra vobis* est, 2.
nihil proficitis, *Qui primo mane surgitis*, ad opus, *Ad multam
noctem sedetis* industrii, *Comeditis panem laborum*, magno la-
bore quaesitum: *Sic* i. e. tot ac talia bona, quot et qualia vos
multa opera quaeritis, *dat* Jova *dilecto suo per somnum* i. e.
absque magno labore. Quibus nonnisi hoc sibi vult vates, nihil
proficere homines opera sua et laboribus, nisi juvante et prospe-

rante deo, deo vero favente omnia procedere. Cf. Prov. 10, 22: בִּרְכַּת יְהוָה הִיא תַעֲשִׁיר וְלֹא יוֹסִף עֶצֶב עִמָּהּ *favor Jovae, is divitem te facit, nec quicquam addit labor gravis*; nec non Matth. 6, 34: *μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς.* — מַשְׁכִּימֵי קוּם 'וגו E. gr. ampl. p. 575. שְׁנָא forma chald. i. q. שֵׁנָה, Acc. ut alias בֹּקֶר *mane*, עֶרֶב *vespere*, al.

3. *En, peculium Jovae*, peculium a Jova concessum, Jovae donum, *liberi sunt, Praemium est fetus uteri*, stirps liberorum. — Post-
4. quam his ita dei munus esse dixit stirpem liberorum, jam, quae est lyricorum consuetudo, in hunc campum paullulum exspatiatur, docens, quantum bonum sit, educasse liberos. *Sicut sagittae in manu herois, Sic sunt filii juventutis* i. e. quos quis juvenis genuit (cf. בֶּן־זְקֻנִים *filius senectutis*, patri seni natus Gen. 37, 3., אֵשֶׁת נְעוּרֶיךָ *uxor juventutis tuae*, quam juvenis duxisti Prov. 5, 18.) i. e. adulti et robustiores, quales firmissimum praesidium solent esse domus paternae et senescentium parentum, quod ipsum significatur eo, quod dicuntur esse *sicut sagittae in manu herois*.
5. — *Felicem virum, qui implevit pharetram suam illis! Non pudore afficientur*, non causa cadent tales viri, talibus filiis stipati viri, *quum loquentur*, litigabunt *cum adversariis in porta*, in foro, judicio, i. e. quum erit illis certandum in foro, pervincent tam strenuis fortibusque stipati filiis, ipsorum causam agentibus. Alii יֵבֹשׁוּ 'וגו ad filios referunt, sensu haud diverso quidem. Sed quod in hoc membro Plurali utitur vates, id non videtur idonea causa esse, cur aliud Subjectum facias prioris, aliud posterioris hemistichii. Alii, qui et ipsi filios faciunt Subjectum, ultima verba sic explicanda putant: *quum insidias struent* (coll. دَبَرَ) *hostibus*, vel: *nam perdent* (ut 2 Chron. 22, 10.) *hostes in porta*, quam ideo commemorari credunt, quod ad portas pugnari plurimum et periculosissime soleat. Causam vero, cur locum sic expediendum existiment, afferunt nexum, qui, ut armis, non verbis dimicetur postulet. Verum ea qua vates usus est imagine nonnisi *fortitudo* significatur universe, fortitudini vero, quam virtutem pro aequitate propugnantem dicit Cicero de Off. 1, 19., in foro pariter atque in bello locus est. Quid? quod et ipsa arma a certaminibus veterum forensibus nequaquam fuere aliena! Puto igitur adquiescendum esse in vulgari דִּבֶּר verbi significatu, quamquam, si quis maluerit eligere *perdendi* signi-

fœtuum, qui licet semel tantum reperiatur tamen non est in du-
bium vocandus haud ita pertinaciter repugnantibus.

PS. CXXVIII. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Duarum 1.
stropharum carmen. Vs. 1—3: felicem hominem pium! privatà
pariter ille, 4—6: atque publica utitur salute. — *Felicem
omnem, qui timet Jovam, Qui ambulat in viis ejus*, vias ingre-
ditur, quas Jova jubet eum ingredi, eam quae Jovae probatur
agendi rationem sequitur! — *Laborem manuum tuarum* (oratione 2.
conversa ad ipsum pium) *nae tu comedes*, non in cassum labo-
rabis, sed rebus labore tuo partis secure frueris (cf. Lev. 26, 16.
Deut. 28, 33.). *O te felicem et fortunatum!* כִּי ut 118, 10.
cf. ad 49, 20. Alii: *nam laborem manuum tuarum comedes*, כִּי
per synchysin trajectum putantes. וְטוֹב לָךְ propr. *et bene tibi!*
— *Uxor tua ut vitis frugifera est In penetralibus domus tuae*; 3.
Filii tui ut surculi olearum, laete crescentes, *Circum mensam
tuam.* De יַרְכְּתֵי בֵיתֶךָ vid. not. ad Jes. 14, 13. 15. — *Ecce*, 4.
considerate, attendite! *nam sic*, hoc modo *fortunatur vir, Qui
timet Jovam!* — *Fortunabit te Jova ex Sione*, sede sua, unde 5.
beneficia sua dilargitur, cf. 20, 3. al., *Et cum voluptate adspice*
i. e. certo adspicies *felicitatem Hierosolymorum Omnes dies vi-
tae tuae!* רְאֵה Imperativus est fidenter promittentis, ut 110, 2.
— *Et adspice filios filiorum tuorum! Salus super Israelem* 6.
veniat, obtingat illi! cf. 125, 5.

PS. CXXIX. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Composi- 1.
tum carmen, quo tempore exsilio redierant Judaei. Strophae duae:
vs. 1—4: ex multis iisque gravissimis malis Israelem Jova eri-
puit. 5—8: excidant ausis suis omnes illius hostes! — *Multum
presserunt me inde a pueritia mea* i. e. inde ab initiis meis,
temporibus quibus eram in Aegypto, cf. Jer. 2, 2. 22, 21. Ezech.
23, 3. Hos. 2, 15., *Dicat Israel.* רַבַּת 123, 4. 120, 6. 65, 10.
ubi cf. not. — *Multum presserunt me inde a pueritia mea*; 2.
Atque non, neque tamen *superarunt me.* — *Super dorsum meum* 3.
ararunt aratores, Longos fecerunt sulcos suos, i. e. dorsum
meum verberibus prosciderunt adversarii, longis illud opplentes
vibicibus, i. e. multa et gravissima mala mihi inflixerunt. חָרְשׁוּ
חֹרְשִׁים E. gr. ampl. p. 644. לְ praemissum מַעֲנוֹתָם voci dubito
an recte habeant interpretes Accusativi notam ex usu recentiorum.
Videtur enim הֶאֱרִיךְ לְ propr. hic significare *longum spatium*,

ductum facere alicui rei. Pro מַעֲנוֹת, ad quod cf. 1 Sam. 14, 14., Masorethae legi volunt מַעֲנִית, quod nusquam alibi reperitur. Ceterum מַעֲנָה *sulcus* non videtur dictus esse a *laborando* (coll. عَنِىَ), verum a *respondendo*, ita ut propr. significentur *lineae respondentes sibi invicem*, *lineae paribus intervallis distantes*.
4. — *Jova justus* est, *Abscidit funes*, vincula *improborum*. —
5. *Pudore afficiantur*, excidant ausis, *et cedant retro Omnes osores*
6. *Sionis!* cf. 35, 4. al. — *Sint ut gramen tectorum*, quod in tectis
planis aedificiorum nascitur, *Quod*, quia altas radices non agit, *priusquam extrahat*, evellat aliquis, *exarescit*. Quam elegantem felicitatis fluxae imaginem in iis quae subjiciuntur vates uberius exornat. שָׁלַף E. gr. ampl. p. 644. Nonnulli verba שֶׁקַּדְמַת שָׁלַף יָבֵשׁ sic volunt reddi: *quod*, *priusquam effloresoat*, *exarescit*, שָׁלַף de planta dictum significare posse putantes *producere*, *proferre flores*, *fructus*. Quae significatio, quamquam non aliena ab etymo (laudare poterant אָבַב, אֵב al.), tamen in dubium vocanda videtur, quod ne in aramaicis quidem, quas laudant, linguis
7. idoneis exemplis firmari potest. — *Quo gramine non implet ma-*
num suam messor, *Et*, nec *sinum suum*, *qui colligat mergites*. Messor culmos manu prehendit; qui colligat mergites, sumit illos
8. in sinum s. gremium. — *Nec dicunt praetereuntes: Favor Jo-*
vae ad vos veniat! *Bene precamur vobis in nomine Jovae!* Mos erat, ut qui per agrum, dum segetes meterentur, transirent, gratularentur et bene precarentur messoribus, Ruth. 2, 4. Verba postrema videntur esse repetitio et confirmatio formulae praecedentis, parallelismi in gratiam adjecta. Placet tamen etiam ignoti cujusdam apud Ros. interpretis sententia, qui „sunt, inquit, accipienda pro salutatione mutua, quod et Chaldaeus vidit, qui his verbis haec praemisit: *neque respondent illis*, salutantibus viatoribus messores. Ita enim Ruth. 2, 4: *Boos e Bethlehem veniens dixit messoribus: Jova vobiscum! Illi vero ei responderunt: Jova te fortunet!* Est autem ἀφέλεια haec amabilis antiquitatis, quales sunt multae Homericae, quod simul tota bene precandi formula refertur et exprimitur, quum satis esset dicere: nemo bene precatur talibus."

1. PS. CXXX. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Totius po-
puli preces continens Psalmus, in exsilio compositus. Strophae quatuor: vs. 1. 2: in gravissimis calamitatibus haerens ad Jovam

preces fundo, 3. 4: delictorum veniam petens, 5. 6: spe et
fiducia plenus. 7. 8: preces tuas, Israel, Jova exaudiet! — *Ex
profundis*, ex profundis aquis, profunda fovea i. e. mersus malis,
cf. 69, 2. 3. 15. 16. 40, 3. 18, 5. et quae notavimus ad eos locos,
voco te, Jova! — Domine, audi vocem meam! Sint aures tuae 2.
attentae ad vocem suppliciorum meorum! — Si delicta, malorum 3.
quae patior causam, *serves*, eorum memoriam retineas, iis non
ignoscas, *Jah: Domine, quis constabit?* pereundum mihi est! —
Minime! *nam tecum*, apud te est *condonatio*, ad condonandum 4.
paratus tu es, *Ut colaris*, „ut spe veniae hominibus facta ad
colendum te perducantur, ut colant te homines ut deum misericordem. Nisi enim talis esset, coleretur Jova non aliter, quam Vejoves, ne noceret scilicet, aut fugeretur etiam prorsus, ut tyrannus.“ Ros. Qui ignoscere nescit dominus timetur, at non diligitur. כִּי particula h. l. eadem vi gaudet, qua 44, 23., ubi
quae observavimus vide. — *Opperior Jovam, opperitur anima* 5.
mea; Et verbum, promissum *ejus exspecto*, spero, ut promissum
suum praestet, restituat me in pristinum statum, reducat me in
patriam, cf. vs. 1. 8. — *Anima mea* exspectat, quod verbum hoc 6.
versu repetendum est ex superiore, *dominum*, *Magis*, ardentius
quam custodes nocturni exspectant *mane*, *Custodes mane*. Qui
noctem pervigilant, cupidius lucem expetunt et prospectant. —
Nunc ipse se alloquitur atque confirmat populus. *Exspecta, Israel*, 7.
Jovam! Nam cum Jova, apud Jovam est *gratia*, *Et multum*
cum eo liberationis. — Isque liberabit Israelem Ab omnibus 8.
delictis ejus, delictorum poenis, i. e. omnibus quae patitur malis!

PS. CXXXI. *Canticum ascensionum* (120, 1.), *Davidis* 1.
carmen. Hic quoque populus loquitur isque reductus de exsilio.
Testatur autem vs. 1. 2: se alienissimum esse ab omni insolentia
et elatione, i. e. ad pristinum splendorem nequaquam adspirare,
sed vs. 3: totum se deo committere. Quae demissi et contenti
animi significatio apprime convenit in populum fractum diuturnis
et gravissimis exsilii malis. — *Jova, non effert se cor meum,
neque elati sunt oculi mei*, cf. 18, 28. 101, 5.; *Nec versor in
rebus magnis et altioribus me*, nec cogito, molior res conditione
mea majores. — *Sane composui et compescui animam meam*; 2.
Ut infans ablactatus apud matrem suam, in sinu jacens matris
suae, *Ut infans ablactatus*, sic *apud me est anima mea*, i. e.

quemadmodum qui a lacte depulsus est puer ubera non amplius appetit, sic ego eorum, quae olim ardentissime cupiveram, desiderium omne nunc deposui; cf. quae supra monuimus in procemio.
3 אִם לֹא affirmantis. De עָלַי vid. ad 42, 5. et Jer. 8, 18. — In
qua cupiditatum moderatione nunc se confirmat, ad fiduciam in solo Jova collocandam se excitans. *Exspecta, Israel, Jovam, Ab hoc tempore et usque in sempiternum!* cf. 30, 7 sq.

1. PS. CXXXII. *Canticum ascensionum* (120, 1.). Hunc
Psalmum nonnulli in dedicationem templi Salomonici, alii in templi secundi inaugurationem, alii tempore exsilii Babylonici factum putant. Salomonis aetati repugnat, quod tristior est Psalmi sonus; cf. inprimis vs. 15. De Serubabelis aetate quominus cogites, obstat vs. 10., ubi *regem* intelligendum esse clarissime perlucet ex vs. 11. 12. 17. 18. Exsilii vero certiora indicia prorsus desunt. Laudant quidem vs. 8. Sed nihil illo efficitur. Aut enim quae ibi leguntur una cum praecedentibus et versu qui proxime sequitur 9. Davides loquens inducitur, aut verba vatis ea sunt, illud ipsum, quo scripsit, respicientia tempus. Prius si sumis, et est sane quod sumas: sponte sequitur, nihil posse colligi ex isto loco; sin posterius: tantum abest, ut in exsilii tempora conveniant illa verba, ut iis repugnent. Deleta est enim una cum templo Salomonico arca sacra, fuitque *vacuum* secundi templi adytum, Jos. bell. jud. 5, 5, 5. Nos igitur compositum putamus carmen iis temporibus, quibus res Judaeorum ad finem vergere coeperunt, fortasse in Josiam regem post instaurata ab illo Jovae sacra ad praescriptum legis Mosaicae nuper inventae. Strophae quatuor: vs. 1—5: Davides constituit locum stabilem condere arcae sacrae, 6—9: et quod ille sibi proposuerat, peractum est. 10—12: promissa tum facta Davidi utinam Jova nunc praestet, 13—18: qui Sionem sedem suam sempiternam, regisque populique florentissimum per omnes aetates statum, esse voluit! — *Memento, Jova, Davidi Omnis aerumnae ejus!* reputa, quaesumus, quantam ille curam adhibuerit de constituendis tuis sacris, quantum ea in re consumserit operae et laboris! —
2. 3. *Qui juravit Jovae, Promisit potenti deo Jacobi:* — „*Profecto
non ingrediar tentorium domus meae, Non conscendam lectum*
4. *stratorum meorum;* — *Non dabo*, concedam, somnum *oculis meis,*
5. *Palpebris meis soporem* i. e. prorsus non adquiescam: — *Donec*

invenero locum pro Jova, „Aedes pro potente deo Jacobi,“ donec
sedem stabilem condere arcae sacrae, cf. vs. 6 sqq. 2 Sam. 6. —
Jam peractum esse dicitur propositum Davidis, idque ita, ut denuo 6.
loquentes inducantur Davides et qui cum eo erant. „*En, audi-
vimus eam* i. e. audivimus, esse eam, arcam sacram, puta, quae
obversatur animo vatis, cf. vs. 8., *in Ephrata* i. e. in finibus
Ephraimitarum, Silunte, puta, cf. ad 78, 60., *Invenimus eam in
campis Jaar* i. e. in Kirjath Jearim oppido 1 Sam. 7, 1. 2 Sam.
6, 2. אֶפְרָתָה i. q. אֶפְרַיִם *Ephraimitarum provincia*, cf. אֶפְרָתִי
Ephraimita Jud. 12, 5. al., nam sub utroque hoc nomine eadem
subest forma אֶפְרָת, ita ut ab ineptiis, quibus recentiorum aliquis
carpere voluit eos, qui אֶפְרָתִי conferunt, satius ille abstinuisset.
Quod idem valet in ea, quibus יַעַר pro קִרְיַת יְעָרִים sumtum im-
pugnavit vir bonus. Habet enim, quum יְעָרִים non sit nisi Plu-
ralis יַעַר vocis, יַעַר per scripturae compendium positum pro קִרְיַת
יְעָרִים nullam difficultatem, praesertim in poetico dicendi genere.
Sic נִמְרָה Num. 32, 3. idem est quod נִמְרִים Jes. 15, 6., utrumque
vero positum pro בֵּית נִמְרָה Num. 32, 36. Jos. 13, 27., *Βηθνα-
βρίς*. Partem compositorum nominum priorem praecisam habes
in his quoque: חֶרְמוֹן Deut. 3, 9. pro בַּעַל חֶרְמוֹן Jud. 3, 3.
1 Chron. 5, 23.; בַּעַל מְעוֹן Num. 32, 38., בֵּית מְעוֹן Jer. 48, 23.,
hodie *Maein*, pro בֵּית בַּעַל מְעוֹן Jos. 13, 17.; עָשָׁן Jos. 19, 7.
pro כּוֹר עָשָׁן 1 Sam. 30, 30.; עֲטָרוֹת Jos. 16, 7. pro אַרְכִּי עֲטָרוֹת
ibid. vs. 2.; שֶׁבַע passim pro בְּאֵר שֶׁבַע Jos. 19, 2.; שִׁטִּים Num.
25, 1. Jos. 2, 1. Mich. 6, 5. pro אָבֵל הַשִּׁטִּים Num. 33, 49. Pars
posterior omissa in חֲמָת Num. 13, 22. Jud. 3, 3. pro חֲמַת רַבָּה
Am. 6, 2., חֲמַת צוֹבָה 2 Chron. 8, 3.; קָדֵשׁ Deut. 1, 46. pro קָדֵשׁ
בַּרְנֵעַ Num. 34, 4. Deut. 1, 2.; cf. פּוּל 2 Reg. 15, 19., apud scri-
ptores profanos passim *Phul Belochus*. Nonnulli ה in שְׁמַעֲנוּהָ,
מְצָאנוּהָ neutraliter accipiunt referuntque ad illud, quod vs. 7. di-
citur; אֶפְרָתָה *Bethlehemum*, ut reliquis quibus legitur locis, יַעַר
sylvam, eamque *Libani* esse volunt, Bethlehemo autem *meridiem*,
sylva Libani *septentrionem* significari putant, in hunc sensum:
En, audivimus illud (vs. 7.) *Ephratae*, Bethlehemi, *Invenimus
illud in campis sylvae* i. e. in regionibus meridianis atque septen-
trionalibus, i. e. a regionibus meridianis usque ad septentrionales,
i. e. per universam terram audivimus et percepimus laetas voces
incolarum se excitantium his verbis: *Eamus* ect. Quam rationem
qui sequi maluerit, poterit quae vs. 6. et 7. leguntur vel ad 1 Sam.

7, 2. 4., ubi omnes Israelitae Kirjathjearimi Jovam precibus adiisse
atque ad unum Jovam colendum mentes suas convertisse dicuntur,
vel, quod magis conveniet cum praegressis, ad ea referre, quae
narrata habentur 2 Sam. 6, 1 sqq. cf. ad vs. 7. Vereor tamen
7. valde, ne repugnet huic interpretationi מָצָא verbum. — Existi-
mant interpretes, silentio hic praetermissam esse translationem
arcae, quum h. v. statim exhortentur se invicem Israelitae ad loci
sacri jam firmiter constituti frequentationem. Verum quod prae-
cipuum est in aliqua re, non facile praetermittitur. Neque igitur
ad frequentandum stabilem arcae locum, Sioniam puta sedem,
verum ad conveniendum in Kirjath Jearim oppidum hoc loco ex-
citare se videntur Israelitae, utpote arcam inde translaturi Sionem,
2 Sam. 6, 1 sqq. Quod ipsum confirmatur eo, quod versu proximo
demum ad occupandam sedem fixam Jova evocatur. „„*Eamus
igitur ad aedes ejus! Prosternamus nos ad scabellum pedum*
8. *ejus*, invitaturi eum ad occupandam sedem Sioniam! — *Surge,
Jova, ad quietem tuam*, locum quietis tuum, *Tu et arca poten-*
9. *tiae tuae! — Sacerdotes tui vestiant se salute*, ornentur, fruan-
tur salute, utantur felicitate, *Et pii tui*, cultores tui *laetas voces
tollant*, laetentur cultus tui percipientes fructus!"" צֶדֶק *salus,
felicitas*, ut 65, 6. al. cf. not. ad Jes. 41, 2. Alii: induant *ju-
stitiam*. Sed prius illud praeferendum, non tam quod in loco
parallelo vs. 16. pro צֶדֶק positum est יֶשַׁע, amant enim quas re-
petunt sententias ita repetere vates hebraici, ut subinde aliquid
varient (cf. ad 49, 13. 59, 7.), sed quod *felicitatis* notionem
postulare videtur parallelismus. Alius צֶדֶק de externo qui lege
praescriptus sit sacerdotum vestitu atque ornatu intellectum vult,
10. quod frigidius. — Accedit jam ad id, cujus causa Davidis de
Jovae sacris merita hucusque laudaverat. *Propter Davidem, ser-
vum tuum, Ne repellas faciem uncti tui*, ne averteris preces
regis a te constituti! הֵשִׁיב פְּנֵי פ' *repellere faciem* alicujus,
aliquem prohibere janua, repellere foribus, repudiare, rejicere,
1 Reg. 2, 16. 17. 20. *Uncto* significari regem aliquem jam supra
monuimus perlucere ex vs. 11. 12. 17. 18. Ibidem vidimus, ulti-
morum aliquem regem intelligendum esse, prob. Josiam, regem
post Davidem et Salomonem de sacris Jovanis meritissimum divi-
11. noque praesidio maxime dignum. — *Juravit Jova Davidi veri-
tatem, Non recedet ab illa*, promissum solvet: „*De fructu
ventris tui*, de natis tuis *collocabo in solio tibi*. לְכִסֵּא ut 9, 5.

ubi vide not. — *Si observent filii tui foedus meum, Et prae-* 12.
cepta mea, quae doceo eos: Etiam filii ipsorum in sempiternum
Sedebunt in solio tibi!" זוֹ G. gr. min. §. 88. adn. 1. —
Nam elegit Jova Sionem, Voluit esse habitationem sibi: — 13.
„*Haec est quies mea*, mea ad quietem sedes, *in sempiternum*, 14.
Hic habitabo; nam volui, expetivi eam. — Sensus hujus vs. et 15.
eorum qui sequuntur hic est: ex hac mea sede beneficiis meis
ornabo regemque populumque. *Cibum ejus beabo, Pauperes ejus*
satiabo pane. — *Et sacerdotes ejus vestiam salute, Et pii* 16.
ejus laetas voces tollant! cf. vs. 9. — *Ibi*, Sione, *germinare fa-* 17.
ciam cornu Davidi, faciam ut potentia et dignitate emineat regia
Davidis familia, constat enim *cornu* symbolum esse roboris et
potentiae, *Paravi lucernam uncto meo*, prosperari jubebo res
regum a me constitutorum, cf. 18, 29. — *Hostes ejus vestiam*, 18.
operiam *pudore*, frustratos spe sua, *Et in ipso*, uncto meo, in
capite ejus *micabit diadema ejus*, gloriose splendescet regium
decus (89, 40. al.)."

PS. CXXXIII. *Canticum ascensionum* (120, 1.), *Davidis* 1.
carmen. Concordiae fraternae laudes. „Quodsi Davidicum sit hoc
carmen, ut inscriptio dicit, non improbanda eorum conjectura,
qui illud tunc editum putant, quum post civilia octo ferme annorum
bella omnes tribus ad Davidem ungendum regem convenissent
(2 Sam. 5.), ut in laetitia illa publica ad deponenda omnia odia
et mutuis officiis colendam amicitiam illos hortaretur." Ros. Alii
primis post reditum ex Babylonia temporibus Psalmum compositum
volunt, quum sublato vetere illo tribuum regni Israelitici et Judaici
dissidio restituti in patriam ex omnibus tribubus unis legibus
unisque sacris juncti viverent Judaei. Quae posterior sententia
probabilior videri possit ob Schin praefixum. Quid vero, si causa
carminis non publica, sed privata fuerit, si in circulum, inquam,
fratrum et amicorum factum sit carmen? Certe quam nuper aliquis
obstare monuit Sionis mentionem vs. 3., haudquaquam obstat,
quum nonnisi per imaginem dicta illa sint, neque ad Sionem,
verum ad concordiam fraternam referenda sit שֶׁ particula. —
Ecce, quam bonum et quam jucundum, Habitare fratres etiam
una i. e. qui sanguinis aut quocunque alio vinculo juncti sunt,
eos etiam concorditer vivere! Recentiorum aliquis: quiete *habitare*
fratres, et quidem una! quod quaesitum mihi videtur. —

nubes a fine terrae, qui sermo, ut recte monent interpretes, ac-
commodatus est ad oculorum judicium, quippe cum horizontem
eminus contemplamur, videntur ex ultimis illis terrae partibus, ubi
visus noster terminatur, nubes elevari et adduci, *Fulgura ad
pluviam facit*, facit ut cum pluvia sint conjuncta fulgura, *Educit
ventum ex thesauris*, promtuariis suis; cf. Jer. 10, 13. 51, 16.
8. — *Qui percussit*, occidit *primogenitos Aegypti*, *Ab homine
9. usque ad bestiam*; — *Misit signa potentiae suae et miracula in
medium tuum, Aegypte, In Pharaonem atque in omnes servos,
10.* ministros *ejus*. — *Qui percussit*, occidit *populos multos*, *Et
11. interfecit reges numerosos*; — Caedem, inquam, fecit *Sichoni,
regi Amoritarum, Et Ogo, regi Basanitidis, Et omnibus regnis
Cananaeae*. Falluntur qui לְ his Accusativi signum habent. Quod
superiore versu cum Accusativo positum est: *interficere aliquem*
הָרַג, id hoc loco, mutata, quod saepe fit, structura, cum לְ con-
structum est *caedem facere alicui* (cf. cum בְּ *caedem facere inter*
Ps. 78, 31. 2 Chron. 28, 9.). Quod ita esse clarissime perlucet
ex eo, quod hoc ipsum verbum ter praeter hunc locum sic con-
structum reperitur, Ps. 136, 19. 20. Job. 5, 2. 2 Sam. 3, 30. —
12. *Et dedit terram eorum possessionem*, possidendam, *Possessio-
13. nem*, possidendam *Israeli, populo suo*. — *Jova! nomen tuum est,
manet in sempiternum, Jova! memoria tui per omnes aetates*.
14. — *Nam judicat Jova populum suum*, causam ejus agit, *Et
15. servorum suorum miseretur*; cf. Deut. 32, 36. — Ad vs. 15. et
sqq. cf. 115, 4. et seqq. *Simulacra populorum argentum et au-
16. rum sunt, Opus manuum hominis*. — *Os iis est, nec loquun-
17. tur; Oculi iis sunt, nec vident*; — *Aures iis sunt, neque
auscultant; Et non est spiritus in ore eorum*. Quod 115, 6.
18. *nasum* significat אַף, hoc loco est *etiam* particula. — *Similes
illis*, diis fictitiis, aeque impotentes *sunt qui faciunt eos, Qui-
19. cunque fiduciam collocat in iis*. — *Domus Israelis, celebrate
20. Jovam! Domus Aaronis*, sacerdotes, *celebrate Jovam!* — *Domus
Levi*, Levitae, *celebrate Jovam! Cultores Jovae, celebrate Jovam!*
21. — *Celebratus sit Jova ex Sione*, ex Sione personent longe la-
teque laudes Jovae, *Qui habitat*, habet sedem suam *Hierosolymis!
Laudate Jah!*

PS. CXXXVI. Est hoc quoque recentioris temporis car-
men, et ipsum in usum sacrum compositum, idque ad imaginem
carminis superioris, cujus non solum ordinem sententiarum, verum

et ipsa verba (17—22.) sequitur. Praecipuum, quo differt ab
illo carmine, hoc tantum, quod singuli versus per totum carmen
in eandem formulam desinunt, idque etiam tum, cum sensus manet
imperfectus. Argumentum: vs. 1—4: gratias agite Jovae be-
nigno, summo deo ac domino, magna facienti facinora! 5—9:
qui omnes naturae res creavit easdemque sapienter instituit;
10—22: qui majoribus nostris servitute Aegyptiaca liberatis
possidendam dedit terram Cananaeam; 23—26: qui ex hostium
manu nos eripuit. — *Gratias agite Jovae! nam benignus* est, 1.
Nam in sempiternum est, manet *gratia ejus.* — *Gratias agite* 2.
deo deorum! Nam in sempiternum manet *gratia ejus.* — *Gra-* 3.
tias agite domino dominorum! Nam in sempiternum manet
gratia ejus; — *Illi qui facit facinora magna solus, Nam in* 4.
sempiternum manet *gratia ejus;* — *Illi qui fecit coelos cum* 5.
intelligentia, intelligenter, sapienter, *Nam in sempiternum* manet
gratia ejus; — *Illi qui expandit terram super aquas*, cf. 24, 2., 6.
Nam in sempiternum manet *gratia ejus;* — *Illi qui fecit lumina* 7.
magna, Nam in sempiternum manet *gratia ejus;* אוֹרִים hoc
loco idem significat quod מְאוֹרִים; — *Solem dominationem in* 8.
diem, dominatorem diei, *Nam in sempiternum* manet *gratia ejus;*
מֶמְשָׁלֶת *dominationem* pro concreto *dominatore, domino* poni hoc
loco, intelligitur ex eo, quod versu proximo, ubi *lunam et stellas*
memorat, *Plurali* utitur vates. Ceterum cf. Gen. 1, 16. — *Lu-* 9.
nam et stellas dominationes in noctem, dominatrices noctis, *Nam*
in sempiternum manet *gratia ejus;* — *Illi qui percussit*, occidit 10.
Aegyptios in primogenitis eorum, Nam in sempiternum manet
gratia ejus; בְּ κατά, ut Gen. 7, 21. al.; — *Et eduxit Israelem* 11.
e medio illorum, Nam in sempiternum manet *gratia ejus;* —
Manu forti et brachio extenso, Nam in sempiternum manet 12.
gratia ejus; — *Illi qui dissecuit mare algosum in segmenta,* 13.
Nam in sempiternum manet *gratia ejus;* — *Et traduxit Israe-* 14.
lem per medium illius, Nam in sempiternum manet *gratia ejus;*
— *Et decussit*, dejecit *Pharaonem et exercitum ejus in mare* 15.
algosum, Nam in sempiternum manet *gratia ejus;* — *Illi qui* 16.
duxit populum suum per desertum, Nam in sempiternum manet
gratia ejus; — *Qui percussit*, cecidit *reges magnos, Nam in* 17.
sempiternum manet *gratia ejus;* — *Et interfecit reges illustres,* 18.
Nam in sempiternum manet *gratia ejus;* — Caedem fecit (vid. 19.
ad 135, 11.) *Sichoni, regi Amoritarum, Nam in sempiternum*

20. manet *gratia ejus*; — *Et Ogo, regi Basanitidis,* *Nam in sem-*
21. *piternum* manet *gratia ejus*; — *Et dedit terram eorum posses-*
sionem, possidendam, *Nam in sempiternum* manet *gratia ejus*;
22. — *Possessionem, possidendam Israeli, servo suo,* *Nam in sem-*
23. *piternum* manet *gratia ejus*; — *Qui in humilitate nostra,* quum
misera esset conditio nostra, *memor fuit nostri,* *Nam in sempi-*
ternum manet *gratia ejus*; videntur autem haec et quae subji-
ciuntur non ad antiquas sed ad recentiores exilii miserias refe-
24. renda esse; — *Et abrupit,* liberavit *nos ab adversariis nostris,*
25. *Nam in sempiternum* manet *gratia ejus*; — *Qui dat panem*
omni carni, cunctis animantibus, *Nam in sempiternum* manet
26. *gratia ejus.* — *Gratias agite deo coelorum!* *Nam in sempi-*
ternum manet *gratia ejus.*

PS. CXXXVII. Carmen elegiacum, idque elegantissimum. Post reditum de exsilio fusum esse, ostendit res ipsa. Videtur autem non primis post reditum annis, sed praeterlapso aliquo tempore scriptum esse, quum promissas hostium poenas a Jova frustra exspectassent reversi in patriam; cf. vs. 7 sqq. Strophae tres: vs. 1—3: quum ad flumina Babylonis patriae memores jaceremus in lacrymis, otiantibus interea harpis, tum qui nos oppressos tenebant ut laeta de Sionicis carminibus caneremus postularunt a nobis. 4—6: quibus nos: „quomodo possimus sacra carmina profanare sanctae urbis obliti!“ 7—9: ne impunitum, o Jova, Idumaeis, ne inultum Chaldaeis omittas diem fatalem
1. Hierosolymorum! — *Ad flumina Babylonis,* regni puta, per quod
dispersi vivebant, *ibi sedimus atque flevimus,* *Quum recordaremur Sionis.* Flumina intellige Euphratem, Tigrim, Chaboram, Eulaeum eorumque fossas; cf. Ezech. 1, 1. 3, 3, 15. 23. al. Dan. 8, 2. 10, 4. Rosenmüllerus „fluminum mentio forsan eo pertinet, ait, quod synagogae apud flumina condi solerent, quia Judaei obstricti erant ad manus suas ante preces abluendas, illa vero puriores aquas subministrant, quam alia aquarum receptacula. Unde et prophetis in exsilio degentibus visiones ad flumina obvenisse legimus. Alii exsules ad Euphratem, occidentalem Babyloniae terminum, consedisse putant, vultu ad patriae terrae, cujus desiderio tenebantur, plagas converso“ (cf. Ps. 121, 1.). Ex recentioribus interpretibus nonnulli flumina nonnisi *describendae* terrae Babylonicae, utpote fluminibus fossisque concisae, inservire

credunt, fluminumque mentionem mox, ut salices quoque commemoraret (vs. 2.), adduxisse vatem. Nos jam ad Dan. 8, 2., quod ad *flumina* se recipiant *lugentes* ac vates, caussam nullam aliam videri monuimus, quam quod *solitudinem* et *aquarum placita murmura* quaererent, qui velint dolori indulgere, aut secum meditari soli; neque est, quod eam sententiam hodie mutemus. — *In* 2.
salicibus, vicinis istis fluminibus, *in medio illius*, terrae Babylonicae, *Suspendimus harpas nostras.* Sensus: tum feriabantur harpae nostrae. De עֲרָבִים vide ad 55, 18.; de כִּנּוֹר ad 33, 2.
— *Nam ibi postularunt a nobis, qui captivos nos abduxerant,* 3.
cantica, Et obsessores nostri, qui nos continuo circumsidebant, circumsistebant, *laetitiam,* cantus laetos: „*Canite nobis de canticis Sionis!*" כִּי, quod male alii *profecto*, alii *quando*, alii aliter reddunt, nonnulli etiam supervacaneum esse volunt, rationem reddit non solius secundi qui proxime praecessit, verum etiam primi versus, q. d. ibi harpis depositis e manu in maximo moerore jacebamus, qui eo fuit acerbior, quod illi ipsi, qui nos oppressos tenebant, carmina laeta sibi cani postulabant a nobis. Ut תּוֹשָׁב *advena, colonus*, propr. est *habitare factus* a יָשַׁב, sic תּוֹלָל posset a יָלַל esse *laetas victoris voces tollere factus*, i. e. cui contigit victoria, *victor*, cf. הֵילִילוּ de *laetis vocibus* victorum superbientium Jes. 52, 5. et syr. [illegible] de clamore bellico. Sed multo probabilius mihi videtur, significare תּוֹלָל *obsessorem* (sensu latiore) a תָּלַל (טָלַל) aggerem exstruere, cingere aliquid aggere, cf. חוֹתָם ab חָתַם. Plerique תּוֹלָל a יָלַל propr. actum ejus qui lamentari facit alios, lamentationes aliis extorquet, hinc *vexationem*, hinc *vexatorem* esse volunt, quod longius petitum mihi videtur. Alii aliter. — Quae hoc et duobus qui proxime 4.
sequuntur versibus continentur sunt responsum ad verba Babyloniorum vs. superiore prolata. Quod miror non vidisse interpretes, nam aliter si statuis, totius loci omnis infringitur nervus.
„„*Quomodo canamus canticum Jovae In terra peregrina?* Absit a nobis ista sacrorum profanatio elogiorum! — *Si obliviscar tui,* 5.
Hierosolyma: Obliviscatur dextera mea sui, non amplius munere suo fungatur! Similia vide Ps. 76, 6. Job. 31, 22. Plerique ad תִּשְׁכַּח cogitando suppleri volunt Suffixum primae personae, secuti Syrum qui: *obliviscatur mei dextera mea!* Alii Objectum faciunt *cantum*. Quibus complementis non opus videtur, quum

6. שָׁכַח intransitive capi potest. — *Adhaereat lingua mea palato
meo, et ipsa desinat fungi munere suo, *Nisi recorder tui*, *Nisi
adscendere faciam Hierosolyma Supra fastigium laetitiae meae*,
si non pluris faciam urbem Hierosolymitanam, quam summa quae
7. mihi obtingere possint gaudia!“ “ — Nunc demum ex eo loco
eoque tempore, quo in praesenti vivit, loquitur vates. *Memento*,
Jova, *Idumaeis* i. e. ne impunitum illis omittas *Diem fatalem*,
exitialem (37, 13. al.) *Hierosolymorum! Qui dicebant: „denu-
date*, *denudate*, evertite, evertite *Usque ad fundamentum in ea*,“
urbe; omnia diruite usque ad fundamenta! Idumaei, sempiterni
Judaeorum hostes, cum Chaldaeis Hierosolyma expugnantibus non
solum se conjunxerant, verum etiam incitarant eos, non socii sed
instigatores crudelitatis, Thren. 4. 21 sq. Ezech. 25, 12 sqq. 35, 5.
Obad. 10 sqq., suis rebus ita se consulturos sperantes. Existima-
bant autem, Judaeis a Babyloniis terra exturbatis, suos se fines
amplificaturos esse adjectis illorum possessionibus, Ezech. 35, 10.
8. 36, 5. De עָרוּ עָרוּ vid. ad 37, 20. — *Filia Babylonis* i. e. urbs
Babylonia, *magnis praedita viribus*, vel si mavis: *violenta, dura!
Felicem, qui rependet tibi Facinus tuum, quod fecisti nobis!*
De בַּת בָּבֶל vid. not. ad 2 Reg. 19, 21. Quemadmodum supra
תּוֹלָל vocem, sic hoc loco iterum הַשְּׁדוּדָה male interpretati sunt
interpretes. Alii enim: *o vastata!* i. e. quam jam vastatam video
animo! alii, quod eodem redit: *o vastanda!* vastationi devota!
coll. LXX qui ἡ ταλαίπωρος, Vulg. qui *misera*; quod alienum
est a nexu. Alii: *o vastatrix*, coll. Chald. Syr. Symm., qui
depraedatrix, *spoliatrix*, ἡ λῃστρίς; quae ratio formae laborat
difficultate. Alii non dubitarunt mutare puncta. Quum שָׁדַד pro-
prie sit *validum esse, viribus valere*, שְׁדוּדָה quid aliud erit quam
valida facta, *magna potestate praedita*, hinc etiam *violenta*,
dura (cf. شَدَّ V. *corroboratum esse*, *invaluisse*, hinc *vehementem*,
durum factum esse, *durum se gerere*)? Quod ipsum egregie
9. convenit ad nexum. — *Felicem*, *qui prehendet Et diffringet
parvulos tuos ad petram*, petrae illisos! de qua victorum in de-
victos immanitate cf. 2 Reg. 8, 12. Jes. 13, 16. Hos. 10, 14.
14, 1. Nah. 3, 10.

1. PS. CXXXVIII. *Davidis* carmen. Nihil inest, ex quo
cognosci possit, qua occasione et a quo editum sit carmen. Stro-
phae tres: vs. 1—3: clementiam tuam et fidem celebrabo, Jova,

qui me exaudivisti, animum meum confirmasti. 4—6: te cele-
brabunt omnes reges terrae, cum cognoverint consilia tua. 7. 8:
qui nunquam non ades ope tua mihi, rem meam conficies! —
Celebrabo te toto corde meo, *Coram deo* i. e. in templo *canam*
te! נֶגֶד אֱלֹהִים alii significare volunt *coram diis*, audientibus
diis fictitiis, nec tamen impedire valentibus. Sed cf. vs. 2. —
— *Prosternam me ad* (alii: versus) *templum tuum sanctum*, *Et* 2.
celebrabo nomen tuum Propter gratiam tuam et propter fidem
tuam; Nam magnum fecisti super omne nomen tuum verbum,
promissum *tuum*, i. e. nam multo majora, quam quae pro fama
tua, utut maxima, exspectare poteram, tu mihi praestitisti. —
Quo tempore clamavi: exaudivisti me, *Ferocem*, animosum *red-* 3.
didisti me, *in anima mea robur* erat. Alii בְנַפְשִׁי עֹז construen-
dum putant cum תַּרְהִבֵנִי, sic quidem, ut עֹז sit Accusativus co-
piae, in hanc sententiam: *alacrem reddidisti me in anima mea*
robore. Quae interpretatio illi, quam nos secuti sumus, non cedit.
Sed quae praeter has ab aliis prolatae sunt aliae, quaesitae sunt
et contortae. — *Celebrabunt te*, *Jova*, *omnes reges terrae*, 4.
Quando audiverint verba oris tui i. e. promissa tua, i. e. si au-
diverint, quanta fide promissa tua tu persolveris. Sic ut intelli-
gamus locum, in causa sunt vs. 2. et 5. — *Et canent de viis* 5.
Jovae, ejus consiliis, agendi ratione; *Nam magna* est *gloria*
Jovae. Sensus: laudibus efferent consilia Jovae; tam praeclara
enim tamque salutaria illa sunt, ut ex iis Jovae summa nascatur
gloria. Sub יָשִׁירוּ בְּדַרְכֵי יְהוָה recentiorum aliquis, quum שִׁיר בְּ
canere de aliqua re careat exemplo, maluit hunc sensum subji-
cere: *canent in viis Jovae*, eas quas Jova nos jubet ingredi vias
ingredientes, ad Jovam se convertentes, Jovam colentes. Verum
in re alias usitatissima non opus est exemplis; cf. דִּבֶּר et alia
dicendi verba cum בְּ *de* constructa. Laborat potius ea, quam ipse
secutus est interpretatio duabus difficultatibus, una, quod, quem-
admodum יוֹדוּךָ vs. 4. suum habet Objectum, sic probabile est ha-
bere יָשִׁירוּךָ quoque; altera, quod qui nobis arrisit sensus ad nexum
manifeste est accommodatior. — *Nam excelsus* est *Jova; et hu-* 6.
milem, eum qui est submissi animi, *videt*, *Et altum*, fastuosum
e longinquo animadvertit; cf. 113, 5 sqq. Nonnulli: *Nam altum*
Jova et humilem videt, *Et* cet., qua ratione turbatur parallelis-
mus. יֵידָע forma manifeste effecta est ad similitudinem formae
Hiphilicae יֵיטִיב Job. 24, 21., יְיֵלִיל Jes. 15, 2. al. ortae ex יְהֵילִיל

forma Jes. 52, 5. (ad quam cf. יְהוֹדֻךָ Ps. 45, 18., יְהוֹשִׁיעַ 116,
7. 6. al.); cf. E. gr. min. §. 284. G. gr. min. §. 69. — *Si incedam,
verser in mediis angustiis, vivum me servas, Contra iram ho-
stium meorum extendis manum tuam*, furorem hostium meorum
tu reprimis, *Et juvat me dextera tua.* Alii postrema haec
verba: *Et juvas me dexterâ tuâ*, ut structura eadem sit, quae
17, 13. 14. cf. ad 3, 5. Verum eo, quod bis praecedit secunda
masculini persona, non efficitur, debere eandem hic sequi. יָמִין
dexteram saepius feminino (velut 137, 5.) quam masculino jungi
8. res nota. — *Jova perficiet* rem *pro* (cf. ad Gen. 20, 7. 7, 16.
et Ps. 3, 4.) *me*, causam meam aget eamque ex sententia conficiet!
Jova, gratia tua est, manet *in sempiternum; Opera manuum
tuarum*, quae hactenus in me contulisti beneficia, *ne deseras*,
imperfecta relinquas, sed pergas, quaeso, quemadmodum coepisti!
De גָּמַר בְּעַד locutione vide quae disputavimus ad 57, 3.

1. PS. CXXXIX. *Praecentori* (4, 1.) canendum *Davidis car-
men.* Vere tamen jam plures interpretes elegantissimum hoc carmen e recentioribus habendum esse monuerunt, idque propter aramaicas quorundam verborum formas et significationes. Recte iidem quamvis longe maxima pars carminis in omniscientia atque omnipraesentia divina celebranda versetur, in eo tamen non esse primarium poetae consilium, ex fine carminis intelligi judicarunt. Quid autem sit illud, quod praecipuum spectavit vates, id tibi ostendet quae sequitur descriptio argumenti. Strophae quatuor: vs. 1—6: tu, o Jova, me penitus cognoscis; 7—12: te nusquam possum celare; 13—18: nam tu me formasti et priusquam nascerer sortem meam mihi destinasti. 19—24: tibi igitur notum est, quantum odium habeam in improbos, et tuos et meos adversarios; quos ut perdas, me vero ut in pietatis tramite confirmes rogo. — *Jova, tu perscrutaris me et cognoscis.* Quod in חֲקַרְתַּנִי est Suffixum pertinet etiam ad וַתֵּדָע. Cujus rei, quum exemplorum pleni sint Psalmi, eorumque scriptores ament ab initio paucis unius membri verbis totius carminis argumentum exprimere (cf. ad 18, 2.), mentionem non fecissem, nisi nuper aliquis falso judicasset, arctius וַתֵּדָע copulandum esse cum vs. 2. in hunc modum: *et cognoscis, sane tu cognoscis sedere meum* cet., quasi
2. abrupta versu primo oratio secundo compleatur. — *Tu cognoscis
sessionem meam et surrectionem meam* i. e. universam meam vitae

agendique rationem, quem eundem sensum habemus in verbis
itionem meam vel. vs. 3., habuimusque in illis quae leguntur 121,
8., *Animadvertis cogitationem meam e longinquo.* שֶׁבֶת non-
nulli ad שַׁבָּת referri jubent. Sed magis convenit יָשַׁב. רֵעַ i. q.
רְעוּת *studium, voluntas*, a רְעָה, quod Aramaei potissimum, ab-
jecto et sibilo et *t* sono, frequentant pro רְצָה *delectari* aliqua re.
— *Itionem meam et cubationem meam exploras, Et omnes vias* 3.
meas, omnia studia mea, omnes actiones meas *cognitas habes.*
רֶבַע, a quo est רִבְעִי, i. q. רָבַץ; cf. ad vs. 2. זָרָה *spargere,
dispergere, ventilare* Prov. 20, 26., hinc *eventilare, excutere,*
ideoque *explorare, investigare*, quae translata significatio ineat
in arab. ذرى *cognovit, scivit.* Hieron. *eventilasti*, LXX: ἐξιχνία-
σας, Syr. *nosti.* — *Nam nullum est verbum in lingua mea: En*, 4.
Jova, nosti totum illud, quidquid cogito dicere, plane perspectum
habes. Redslobus de כִּי particula p. 46. et seq. „*augendi* vis
particulae כִּי (cf. supra ad 49, 20.) eodem modo convenit, ait,
ut nostrae particulae *ja*, vel Latinorum particulae *etiam*, ut quae
per se proprie simpliciter addat, tum addendo augeat. Quamvis
hic usus rarior est, attamen non videtur plane negandus esse.
Certe in אַף כִּי *(quin etiam)* adest, ubi adjecto אַף energia par-
ticulae, qua super verba praecedentia per se vera, modo non
sufficientia emineat, tantummodo augetur. Attamen כִּי hac signi-
ficatione reperire putem e. g. Ps. 139, 4., in quo loco deus dici-
tur non solum facta, *verum etiam* verba et cogitata nosse."
Postquam vero supra vates deum *cogitata sua animadvertere*
dixerat *e longinquo*, non potuit hic dicere majus quid. Ad-
quiescendum itaque in significatu *nam*, ita ut ante dicta tantum
uberius explicentur hoc modo: omnia studia et cogitata mea tu
cognita habes (vs. 3.), nam nihil cogito dicere, quod te lateat.
— *A tergo atque a fronte obsides me, Et ponis super me* 5.
manum tuam i. e. ab omni parte obsessum et occupatum me tenes,
totum in potestate tua me tenes, ut effugere te non possim ullo
modo. — *Mirabilis scientia* talis, talis tua scientia *prae me* est, 6.
mirabilior est, quam ut eam capere possim, prorsus excedit
captum meum, cf. Deut. 30, 11. Prov. 30, 18., *Sublimis* prae
me, nimis ardua intellectu mihi est, *non sum potens ejus*, impar
sum ei capiendae. פְּלִאִיָּה fem. ex פִּלְאִי Jud. 13, 18. Adj. a פֶּלֶא.
Masorethae hoc loco פְּלִיאָה fem. ex פָּלִיא, altero autem Judicum
loco פֶּלִי legi volunt, quorum neutrum uspiam alibi legitur. Ad

נִשְׂגָּבָה ex priore hemistichio cogitatione repetendum est מִמֶּנִּי. —
7. *Quo eam prae spiritu tuo*, *Et quo prae facie tua fugiam?*
8. quorsum me convertam, ut te lateam? — *Si ascendam in coelos:*
ibi tu; *Et* si *stratum* meum *faciam orcum: ecce te*, en, ades!
נָסַק i. e. chald. נְסַק *ascendere*. Constructum habes cum Accusativo, ut saepius עָלָה. Ad אַצִּיעָה quod hoc versu, et אֶשְׁכְּנָה
9. quod proximo legitur, cf. E. gr. ampl. p. 668. — Si *sustollam*
alas aurorae, si sustollam me alis utens aurorae, aurorae alis instructus per aërem avolem, *Subsidam in extrema parte*, regione *maris*, medii, occidentalis. Apodosis sequitur vs. proximo. Nihil velocius aurorae radiis momento temporis universum orbem ab oriente ad occidentem pervadentibus. Hoc igitur dicit: si momento temporis ab orientis plaga ad ultimum usque occidentem ferar. . נָשָׂא כְּנָפַיִם eodem significatu accipiendum, quem habet
10. Ezech. 10, 16. 19. 11, 22. Alii: si *sumam*. — Apodosis: *Etiam*
ibi manus tua ducet me, *Et prehendet me dextera tua*, etiam
11. ibi tuus ductus me reget, in tua tu me tenebis potestate! — *Et*
si *dicam:* „*nil nisi tenebrae*, merae tenebrae *occupent me*, *Et nox* sit *lux circum me*, et fiat nox, quae mihi circumfunditur lux!" Propositio consequens continetur vs. 12. אַךְ חֹשֶׁךְ *nil nisi*, merae *tenebrae*, ut אַךְ הֶבֶל *nil nisi halitus* 39, 12. al. שׁוּף, vicinum שָׁאַף verbo, propr. *hiante ore captare* aliquem, hinc *imminere*, *insidiari* alicui Gen. 3, 15., et *petere*, *invadere* aliquem Job. 9, 17. et hoc loco. Rosenmüllerus „accedo, inquit, illis interpretibus, qui verbo שׁוּף h. l. *caligandi*, *obscurandi* significatum tribuunt, a voce נֶשֶׁף *crepusculum*, sicuti et alia verb mediae radicalis Vav et primae radicalis Nun, quae vero ceteras duas radicales literas easdem habent, significationibus conveniunt; ita דּוּחַ et נָדַח *impellere*, הוּם et נָהַם *fremere*, פּוּחַ et נָפַח *spirare*, פּוּץ et נָפַץ *discutere*, *dispergere*, קוּט et נָקַט *fastidire*." Quam eandem sententiam suam fecit recentiorum aliquis coll. Job. 3, 9. Sed periculosum est significatum admittere hoc loco, qui in duos reliquos quibus שׁוּף verbum reperitur locos non conveniat. Eadem difficultate sententia laborat alius interpretis (Arnheim ad Job. 9, 17.), qui שׁוּף significare vult *removere*, *subducere*, *abripere*, coll. talmudico שָׁף *(recedere)*, utpote quae significatio conveniat ad hunc et Jobi locum, ad Gen. I. l. non conveniat. Alius pro יְשׁוּפֵנִי scribendum existimat יְשׁוּבֵּנִי, qua mutatione non est opus. Ceterum falsi sunt, qui יְשׁוּפֵנִי in-

dicative accipiunt. Esse *Jussivum*, quum ratio docet versuum
superiorum, tum natura ostendit ipsius quod tractamus hemistichii,
ut quod, si indicative acceperis יְשׁוּפֵנִי, sensum commodum non
fundat, si jussive, commodissimum. Hemistichium posterius non-
nulli prioris consequens esse putant. Quod perperam statuere,
indicio est parallelismus versus noni et decimi. Accedit, quod
illa admissa interpretatione claudicante pede sequeretur vs. 12.
בַּעֲדֵנִי pro בַּעֲדִי (E. gr. ampl. p. 506.) manifeste scriptum ut eo-
dem modo caderet hoc membrum, quo prius (יְשׁוּפֵנִי == בַּעֲדֵנִי).
— Subjicitur jam consequens, *Etiam tenebrae non tenebras fa-* 12.
cient prae te: i. e. densiores quam ut pervideas, non poterunt
impedire, quin tu pervideas, *Et nox diei instar lucem praebe-
bit*, lucebit; *Tales tenebrae* tibi, *qualis lux*, nullo abs te dis-
crimine habentur. יַחְשִׁיךְ plerique intransitive capiunt coll. 105,
29. Jer. 13, 16. Quibus non hoc obstat, quod appositum est מִמְּךָ,
obstat autem, quod sic statuendi nulla urget necessitas. Apta
enim et hoc loco et duobus quos praeter hunc laudant Pss. et
Jer. locis, ad quos vide, significatio transitiva. מִן vero hic est
comparandi particula, prorsus ut supra vs. 6. Ad כְּ — כְּ cf.
Gen. 18, 25. 44, 18. — Nec mirum est, si nihil te lateat mei, 13.
quum tu me formaveris. *Nam tu formasti renes meos, Texuisti
me in utero matris meae*, artificiōse singulas corporis mei partes
connexuisti, ut textor telam, cf. Job. 10, 11. קָנָה *fundere, creare,
formare*, homines Prov. 8, 22. Deut. 32, 6., coelum et terram
Gen. 14, 19, 22., propr. *erigere, statuere*, ut cognata sint כּוּן,
קוּן; cf. قنى *creavit* deus, قنن *concinnavit, formavit.* — *Celebro* 14.
te propterea quod mirum in modum, valde *admirabilis factus
sum*, quod maxime insignem me fecisti structura, forma corporis;
Admirabilia sunt opera tua, *Et anima mea* id *agnoscit valde*,
agnosco hoc ego prorsus! נוֹרָאוֹת Adv. ut 65, 6., ubi cf. not.
— *Non occulta fuit substantia mea tibi*, *Ubi factus*, formatus 15.
sum in abscondito, in utero matris, *Contextus sum in inferio-
ribus terrae*, i. e. in locis occultis, in utero materno. עֹצֶם *robur*
videtur h. l. *substantiam* significare. Sic chald. עַצְמוּת *robur*
est et *substantia*, *essentia*. אֲשֶׁר *ubi*, *quum*, *quando*, ut 95, 9.
Variegandi, *ex diversi coloris filis texendi* verbo רָקַם depin-
guntur corporis humani varia et variantia membra membrorumque
particulae; cf. vs. 13. תַּחְתִּיּוֹת אֶרֶץ nonnulli referunt ad orcum,
utpote in quo infantes nondum natos commorari finxerint veteres.

Sed idem prorsus esse בְּתַחְתִּיּוֹת אָרֶץ quod superiore membro בַּסֵּתֶר, in loco occulto, i. e. in utero materno, clarissime perlucet ex vs. 13. cf. Jes. 45, 19. Ceterum haud scio an עֻשֵּׂיתִי verbi significatio primaria sit in *premendo*, *comprimendo*, coll. עָסַס al.; premendo enim res quam plurimae fiunt. Videtur autem ipso sono strider exprimi, quem edunt quum comprimuntur certae quaedam res, velut uvae cum torculantur, massa farinacea, lutum figlinum,
16. et multa hoc genus alia, quae subigere solent. — *Materiam meam informem viderunt oculi tui; Et in libro tuo omnes illi scripti sunt, Dies vitae meae formati,* i. e. definiti *sunt, Neque erat unus inter eos* i. e. quum nondum exstaret unus ex iis, priusquam unus eorum exstaret. Quod praeter hunc locum non legitur גֹּלֶם propr. significat *rem convolutam*, hinc *materiam rudem et informem*, cujus partes nondum sunt evolutae, hinc *fetum*, a גָּלַם *convolvere* 2 Reg. 2, 8. Pari modo apud Talmud. גֹּלֶם, גּוֹלֶם est quaevis materia rudis et informis, nondum elaborata, velut lignum, unde fiunt vasa („חליץ נקרא גולם מרם שיעשה חכלי" *lignum vocatur* גּוֹלֶם, *antequam fiat vas*), hinc etiam homo rudis et incultus; cf. ab eadem radice derivata hebr. גְּלוֹם, chald. גְּלָם, גְּלִמָא, גְּלִימָא *pallium* a convolvendo s. involvendo dictum. LXX: ἀκατέργαστόν μου, Symmachus: ἀμόρφωτόν μου, Vulg. *imperfectum meum.* Ceterum jam alio loco, nisi fallor, monui, ab hac ipsa *convolvendi*, *involvendi* גָּלַם verbi significatione derivandum esse *abscondendi*, *occultandi* significatum vicini עָלַם verbi. Nam quod *convolutum*, *involutum*, id *occultum* est; cf. apud Latinos *res involuta*, *involutissima* et similia. כֻּלָּם *omnes illi*, יָמִים puta, coll. 9, 13. ibique not. יֻצָּרוּ verbo nequaquam opus est ut alia atque vulgaris significatio tribuatur. Nec magis opus est subintellecto ante יֻצָּרוּ Pronomine relativo. Ad verba וְלֹא אֶחָד בָּהֶם cf. E. gr. min. §. 607. Quod Masorethae pro וְלֹא legi jubent וְלוֹ
17. originem debet falsae interpretationi. — *Et mihi quam difficiles intellectu sunt cogitationes tuae, deus!* cf. vs. 6. *Quam multae sunt summae earum!* יָקַר *grave esse*, hinc impr. *difficile esse* ad intelligendum. Uterque significatus inprimis viget in linguis aramaicis. Improprium vide in יַקִּיר Adjectivo Deut. 2, 11. Alii secundariam *pretiositatis*, *caritatis* notionem hic subjiciendam putant, quia quod *nimis carum* sit, non possit aliquis acquirere, assequi; cf. 49, 9. Sed prius illud multo aptius ad nexum et simplicius est eoque certius praeferendum, quod plenus est Psalmus

vocum significationumque aramaicarum. רֵעַ ut vs. 2., ubi vide.
Ad רָאשֵׁיהֶם cf. 119, 160. — *Numero eas*, aggredior numerare 18.
eas: *arena numerosiores sunt*; *Evigilo* mane ex somno, *et ad-
huc sum*, ut vespere cum obdormirem, *tecum*, in considerationem
tui et admirationem totus defixus; obdormiens te cogito, cogito
evigilans; cf. locus simillimus 63, 7. עוֹדִי pro עוֹדֶנִּי. Ex con-
trario vs. 11. vidimus בַּעֲדֵנִי positum pro בַּעֲדִי. — Quo quae 19.
nunc sequuntur cum superioribus contineantur nexu, de eo vid.
prooemium. *Utinam occidas*, *deus*, *improbum*! *Et vos*, *viri
sanguinolenti*, *recedite a me*! nihil mihi vobiscum commercii est,
odi improborum vulgus et arceo! — *Qui dicunt*, efferunt *te*, 20.
nomen tuum *ad scelus*, quod aeque commode de perjurantibus
(cf. hemistichium posterius) atque de iis potest intelligi, qui male-
dica verba jaciunt in deum (cf. 10, 4. et seqq.), Ore *proferunt*,
eloquuntur te, nomen tuum *ad mendacium*, pejerant, *adversarii
tui*. Qui vehementer laborarunt in hoc versu interpretes sua pro-
fecto non scriptoris aut librariorum culpa laborarunt. Nemo enim
qui aperit oculos non videt statim, accuratissime inter se respon-
dere יֹמְרוּךָ לִמְזִמָּה et נָשֻׂוא לַשָּׁוְא, esse igitur נָשׂוּא tertiam plur.
Praet. נָשָׂא verbi, effictam ad similitudinem formae לֹה, ut מָלוּ
Ezech. 28, 16., adjecto in fine א, ut in אָבוּא Jes. 28, 12. al.,
minime vero ejusdem verbi Participium Pa. singulare pro plurali
positum, quod durissimum esset hoc nexu; porro ad נָשׂוּא ex
priore hemistichio cogitatione repetendum esse ךָ Suffixum, נָשָׂא
נָשָׂא אֶת־הָאֱלֹהִים לַשָּׁוְא vero idem prorsus esse quod נָשָׂא אֶת־שֵׁם־
הָאֱלֹהִים לַשָּׁוְא Exod. 20, 7. Deut. 5, 11. עָרֶיךָ autem, pro quo
alii legi volunt עָדֶיךָ (scriptum in nonnullis libris) in hanc sen-
tentiam: *efferunt se ad scelus in*, contra *te*, alii עֵדֶיךָ (cf. quod
in uno libro a prima manu est עֵדֶךָ) hoc sensu: *eloquuntur impie
testimonia tua*, coll. 50, 16., alii זִכְרֶךָ (!) ut hoc dicat vates:
eloquuntur ad mendacium nomen tuum, quid tandem obstat, quin,
quum tot in hoc Psalmo reperiantur aramaicae verborum formae
et significationes, cf. inprimis vs. 2. 17. רֵעָה pro רָצָה, vs. 3.
רָבַע pro רָבַץ, quin, inquam, positum habeas pro צָרֶיךָ, coll.
Dan. 4, 16.? Si quis tamen corruptum putaret עָרֶיךָ, mallem
equidem legere עָלֶיךָ in hunc sensum: *tollunt* vocem (omisso קוֹל
ut saepius) *ad malum contra te*. Sed sanum esse עָרֶיךָ eoque
quo diximus capiendum significatu, etiam ex vs. 21. potest colligi,
ad quem quodammodo parat transitum. יֹמְרוּךָ pro יֹאמְרוּךָ, cf. הֶמְרוּ

21 2 Sam. 19, 14. — *Nonne osores tui, o Jova, odio habeam, Atque
adversarios tuos fastidiam? תְּקוֹמְמֶם nomen ex בִּתְקוֹמְמֶם Participio
22. factum, E. gr. min. §. 357. — *Perfectionem odii*, odium per-
fectum, summo odio *odi eos*, *Pro hostibus sunt mihi.* Ad prius
hemistichium cf. G. gr. min. §. 135, 1. adn. 1. E. gr. min. §. 516.
coll. Jer. 30, 14: מַכַּת־אוֹיֵב הִכִּיתִיךְ *percussionem hostis*, eo modo
23. quo hostis percutere solet, *percussi te.* — *Perscrutare me, deus,*
et cognosce cor meum! Explora me, et cognosce cogitationes
24. *meas!* cf. vs. 1 sqq. De שַׂרְעַפִּים vid. ad 94, 19. — *Et vide,*
num via doloris, quae dolorem pariat i. e. in perniciem ducat, via perversa, prava agendi ratio *in me*, mea sit, num pravam agendi rationem sequar, *Et duce me in via antiquitatis*, noli permittere, ut aberrem ab ea via, quam ingressi sunt majores nostri, confirma me in recta agendi ratione, quam secuti sunt pii generis nostri auctores, Abrahamus, Isaacus, Jacobus! Nescio tamen an rectius דֶּרֶךְ עֹצֶב dicam esse *viam simulacri* i. e. cultum deorum commentitiorum, דֶּרֶךְ עוֹלָם *viam antiquitatis* vero sensu strictiore *cultum majorum* i. e. cultum dei veri. „דֶּרֶךְ עֹצֶב quid significet dissentiunt. Nomen עֹצֶב quum aliis duobus quibus legitur locis, Jes. 14, 3. 1 Chron. 4, 9. indubitate *dolorem* denotet, nostram dictionem plerique *viam doloris* i. e. eam, quae nonnisi dolorem pariat, quae in dolorem ac tristitiam tandem desinat, explicant. Mallem tamen vocabulum h. l. *simulacri*, *idoli* significatione capere, quomodo Jes. 48, 5. usurpatur, quo loco nominibus פֶּסֶל et נֶסֶךְ de falsorum deorum simulacris usurpatum ut *συνώνυμον* jungitur. Jam vero quemadmodum דֶּרֶךְ בְּאֵר שָׁבַע *via Bersebae* Am. 8, 14. est *cultus s. religio Bersebae* i. e. idolorum (cf. Act. 19, 9. 23.), ita et hoc loco דֶּרֶךְ עֹצֶב *simulacrorum cultus*, defectio a religione Jovae. Quod ipsum spectasse videntur veteres. Nam Alexandrinus *ὁδὸς ἀνομίας*, Vulgatus *via iniquitatis*, Syrus *via mendacii*, Chaldaeus *via errantium.* Neque minus dissentiunt, quae sit דֶּרֶךְ עוֹלָם in altero versus hemistichio. Vulgo vertunt: *via aeternitatis*, i. e. quae ad aeternam beatitudinem ducit. Quemadmodum vero utroque illo Jeremiae loco 6, 16. et 18, 15. *viis antiquis* (נְתִבוֹת עוֹלָם, שְׁבִילֵי עוֹלָם) *religionis avitae s. ejus, quem majores coluerunt, dei observantia* significatur, ita et hunc vatem vix dubium esse potest deum orare, velit eum religionis suae via ducere, quam pii gentis Hebraicae auctores tenuere, neque unquam concedere, ut ab ipso ad alienum

cultum deficiat. Quem ipsum sensum forsitan Chaldaeus expressit, qui verba sic reddidit: *et deduc me in via piorum seculi*, prisci intellige." Ros. Certe infirmiora mihi videntur quibus hanc interpretationem alii impugnare conati sunt argumenta haec, quod עֲצַבִּים pro עֹצֶב exspectares, quod de cultu deorum falsorum in antegressis sermo non sit, quod liber a contagione istius cultus videatur vates, quod ad animum pertineant, quae hic habeantur. Primum enim Singularis pro Plurali positi exempla leguntur plurima. Deinde quod in antecedentibus homines improbos, sanguinolentos, maledicos, pejerantes, verbo, adversarios Jovae memorat, deorum fictorum cultores verbis expressis non commemorat, id, quominus hoc loco ab isto cultu se alienum dicat, certe non obstat, quum, si qui alii, Jovae adversarii sint ii, qua alienos deos sequuntur. Tum quod ab aliis diis abhorret vates, eum plane non impedit, ne roget deum, velit ipsum adversus illos munire. Denique vix monitu opus, בְּ non solum quod inest in nobis, quod alto haeret in animo, notare, sed latius patere, fere ut latinorum *in*, ideoque h. l. omnino quod pertinet ad aliquem posse significare.

PS. CXL. *Praecentori* (4, 1.) canendum, *carmen Davidis*. 1.
Temporis, occasionis, scriptoris indicium nullum inest. Strophae quinque: vs. 2—4: defende me, Jova, ab hominibus improbis, violentis, insidiosis, malitiosis! 5. 6: qui me persequuntur. 7—9: audi, Jova, preces meas, tu cujus ego tutelae sum! fac ut excidant isti consiliis! 10—12: quae mihi parant mala, in ipsos recidant, consectentur eos mala omnia! 13. 14: scio, Jovam causam agere piorum. — *Libera me, Jova, ab homine malo!* 2.
A viro violento defendas me! — *Qui excogitant*, moliuntur *mala* 3.
in corde, *Quotidie*, continuo *habitant bella*, habitant in bellis, i. e. in bellis toti sunt, nil nisi bella, dissidia moliuntur, discordias spirant. „יָגוּרוּ מִלְחָמוֹת, adscita *congregandi* notione, alii vertunt *congregant bella*, alii *congregant se ad bella*. Sed גּוּר hoc loco significatione cum גֵּרָה (Pi.) *concitavit* convenit, ut verba alia plura tertia radicali ה et secunda quiescente significationes communes habent, ut vertendum sit: *excitant bella*. Ita Chaldaeus: *concitant bella*; nec aliter Syrus. Alexandrinus suo *παρετάσσοντο*, et Vulgatus *constituebant*, sensum, non propriam verbi vim expresserunt." Haec Rosenmüllerus, quem secuti sunt alii. Mihi, fateor, *congregandi* vis, quanquam proxima ab *habi-*

tando, tamen in dubium vocanda videtur in גּוּר verbo. Nam si discesseris ab hoc loco, quem tractamus, reliquis qui ab etymologis atque interpretibus afferuntur omnibus aptissima est primaria *deflectendi a via* significatio. In duobus locis Ps. 56, 7. 59, 4. maxime commodum esse *deflectere*, hinc delitescere ad ponendas insidias, vidimus ad illos ipsos. Eundem significatum convenire in Jes. 54, 15. quis negabit? Ad Hoseae locum 7, 14. quae potest הִתְגּוֹרֵר verbi magis idonea significatio videri quam *avertendi se*, *subducendi se*, quum statim sequatur סור verbum? In his vero, quae prae manibus habemus, jam ante me alius vidit גּוּר ut saepius alias significare *habitare*; cf. latinorum *habitare in aliqua re*, totum esse in ea, et similis locutio 109, 4. 120, 7. Ceterum *dissidia* intelligenda esse, non *bella* proprie dicta, docet nexus. Eodem sensu מִלְחָמוֹת dictum legimus in loco ante laudato 120, 7.
4. — *Acuunt linguam suam instar serpentis, Venenum aspidis est*
5. *sub labiis eorum*; cf. 64, 4. 58, 5. — *Serva me, Jova, a manibus improbi! A viro violento defendas me! Qui cogitant*,
6. moliuntur *impellere gressus meos*; cf. 118, 13. — *Occultant fastuosi*, improbi insolenter se gerentes, cf. 94, 2., *laqueum mihi et funiculos*, pedicas, *Expandunt rete ad latus viae*, juxta viam,
7. qua mihi eundum est, *Tendiculas ponunt mihi.* — *Dico Jovae: deus meus tu es; Audi, Jova, vocem suppliciorum meorum!* —
8. *Jova, dominus*, est *robur auxilii mei*, firmissimum meum praesidium est; *Tegis*, protegis *caput meum die armorum*, pugnae, quae eodem sensu accipienda sunt, quo supra vs. 3. מִלְחָמוֹת. Hemistichium prius nonnulli: *Jova, domine, robur auxilii mei!* Sed quod in posteriore hemistichio deum alloquitur vates, causam idoneam non esse, cur eundem alloqui putetur in priore, vix est
9. quod moneamus. — *Ne des*, concedas, *Jova, desideria improbi*, noli permittere, ut voto potiatur! *Consilium ejus ne exire facias*, exitum habere sinas, ad exitum perducas! *efferent se!* sc. voto potiti. Nonnulli ad יָרוּמוּ cogitando repetitum volunt אַל, quod nec fieri potest neque opus est ut fiat. Ut moveat deum ad audiendas preces, simpliciter subjicit denegatae auditionis ef-
10. fectum. — *Caput eorum qui cingunt me tegat, Aerumna labiorum eorum*, i. e. quod in me decreverunt malum *tegat*, obruat *eos*, recidat in ipsos! Falluntur qui 'מְ ראשׁ absolute praepositum habent. Aut enim Accusativus *partis* est ראשׁ, cf. 3, 8. al., ita ut unam sententiam efficiant ambo membra, aut, quod parallelismi

causa praefero, est ad רֹאשׁ מְסִבָּי ex altero membro complendum
tegendi verbum, quemadmodum saepissime vidimus unum membrum
ex altero completum. יְכַסֵּמוֹ constructum est cum שְׂפָתֵימוֹ, non,
quod exspectabas, cum עֲמַל־. Cujus structurae cum nequaquam
desint exempla, G. gr. min. §. 145, I. E. gr. min. §. 570., reji-
ciendum est quod Masorethae legi volunt יְכַסֵּימוֹ construendum
cum עֲמַל־. Sensus idem est, qui inest in verbis יָשׁוּב עֲמָלוֹ
בְּרֹאשׁוֹ וגו׳ 7, 17. Quem elegantem sensum plane et praeter
omnem necessitatem turbant, qui יְכַסֵּמוֹ impersonaliter capi ju-
bent. יִמּוֹטוּ *Demittantur super eos carbones ardentes, in ignem* 11.
jaciat Jova eos, In fluctus, ne surgant! Quod ad יָמִיטוּ *de-
mittant* impersonaliter capiendum Masorethae apponunt יִמּוֹטוּ *de-
mittantur*, manifestum idque verum est interpretamentum. בְּמַהֲמֹרוֹת,
quod praeter hunc locum non reperitur, videtur, convenienter ad
nexum, *fluctus* significare, ab חָמַר ejusdem significatus verbo,
cujus est consonum arabicum, significans *fluxit aqua* cursu effuso,
a quo sunt هَمْرَةٌ *pluviae effusio, imber*, هَامِرٌ, هَمَّارٌ *pluviam ef-
fundens nubes*. Originem recte haud dubie ponunt in *strependo*.
Hebraeorum plerique שׁוּחוֹת עֲמֻקּוֹת *foveas profundas* intelligunt.
Sed R. Parchon: „est, inquit, effusio torrentium, quae decurrit
cum impetu et aestu.“ — *Vir linguae*, maledicus, calumniator, 12.
obtrectator, *ne constet*, ne sit firmo et stabili gradu *in terra!*
Vir violentus, malum, infortunium *venetur eum propellendo*, ab
una calamitate in alteram, donec ruat in interitum! רָע Sub-
jectum efficit יְצוּדֶנּוּ verbi, quamquam invito accentu. לְמַדְחֵפֹת
est *iteratis propulsibus*. Neque enim motum sed rationem, mo-
dum exprimit לְ. LXX tamen: εἰς καταφθοράν, Vulg. *in inter-
itum*, et sic quoque Syr. et Chald. — *Scio, acturum esse Jovam* 13.
causam afflicti, Rem pauperum, miserorum. De יָדַעְתָּ cf. ad
16, 2. — *Profecto justi celebrabunt nomen tuum; Habitabunt* 14.
recti, pii *apud faciem tuam*, licebit iis vivere in loco tibi sacro,
in terra tibi sacra tuoque uti praesidio, quem sensum postulare
videtur nexus.

PS. CXLI. *Carmen Davidis*. „Aliqui carmen eo referunt, 1.
quum David in spelunca Engediana ad interficiendum Saulum
a comitibus instigatus fuisset, 1 Sam. 24. Magis verisimilis est
alius conjectura, ad exilium Mispahicum esse Psalmum referen-
dum, quando cedens terra Israelitica ex Adollamico specu ad

Moabitas concessit et in munitione horum Mispehae exulavit, 1 Sam. 22." Ros. At quam multa insunt in carmine, quae utrique sententiae repugnent! Nec meliores aliorum conjecturae. Mihi difficillimus intellectu Psalmus recentioribus temporibus, quum principes deorum falsorum sacris addicti fidos Jovae cultores sacrorum causa ad supplicium raperent, videtur editus. Sic demum si statueris, concinnum totius carminis videbis sensum. Convenit in recentiorem aetatem oratio quoque maxime impedita ac talis, in qua manifeste cum verbis luctetur vates. Strophae tres: vs. 1—4; audi preces meas, Jova! ne quid dicere me sinas tibi contrarium, ne delabi me sinas ad facinora improborum, allectum nefandis illorum epulis! 5—7: non est, quod non laeter deo meo; imo si praecipites dentur istorum principes, tunc me grata canentem audietis, quamquam nunc quidem ossa nostra terram tegunt. 8—10: defende me, Jova, ab illorum insidiis, pereant suis ipsorum artibus, me salvo et incolumi! — *O Jova, invoco te, festina ad me*, succurre mihi cito! *Audi vocem meam, cum*
2. *voco ad te!* — *Paratae sunt preces meae pro suffimento coram*
te, *Elatio manuum mearum*, supplicia mea *pro sacrificio vespertino*, i. e. nunquam intermitto preces ad te fundere, assiduus sum in fundendis ad te precibus, quemadmodum singulis diebus stato tempore, mane et vesperi, thymiamata tibi offeruntur, Exod.
3. 30, 7 sq. — *Pone, Jova, custodiam ori meo*, *Custodem age*,
vigila *ad valvam*, januam *labiorum meorum*, sc. ne verba temeraria exeant, ne quid dicam tibi contrarium! נִצְּרָה Imp. Cal נָצַר verbi cum ה parag. atque Dagesch, de quo ad 37, 15. Certe quod cum עַל Praepositione נָצַר nusquam construitur, non obstat, quominus ejusdem Imperativus habeatur נִצְּרָה. Est enim absolute hic positum נָצַר, ut significet *custodem agere, vigilare*; עַל vero est *apud, ad*. Alii נִצְּרָה Nomen substantivum esse volunt, quod
4. respondeat שָׁמְרָה voci, pendeatque una cum illa ex שִׁיתָה. — *Ne*
declines cor meum ad rem malam, *Ad perficiendum facinora in impietate*, impie, *Cum viris maleficis*, ne eo me delabi sinas, ut scelestis illis me adjungam ad perpetranda ipsorum facinora! *Neve comedam de cupediis eorum*, epulis lautis et delicatis, quas
5. instruunt, cum sacrificia offerunt diis falsis! — *Tundit*, percutit,
punit *me justus* i. e. Jova *clementer et castigat me*, etiamsi puniat me Jova, deus meus justus, tamen poena me afficit leni, merito minori: *Oleum capitis non est quod recuset caput meum*,

non est quod desinam, in ipsius honorem ungere caput, non est quod aliorum deorum in honorem caput ungam, participem me faciens epularum sacrificialium illorum in gloriam instructarum (vs. 4.); *Quando magis etiam*, si severius me castiget Jova: *Preces meae* sunt, manent, tamen ad illum ego preces fundo, *in malis illorum*, dum illi male agunt, i. e. tamen non desino confugere ad Jovam, dum illi pessima facinora perpetrant, alienos deos colentes. צַדִּיק *κατ' ἐξοχὴν* de *deo*, ut Jes. 24, 16., est positum, quamquam omisso articulo, quod in poeta, tali maxime, qualis hic est, nullam habet difficultatem. Exempla ubique leguntur. חֶסֶד Acc. adverb. aeque pertinens ad יוֹכִיחֵנִי atque ad יֶהֶלְמֵנִי. אַל negatio subjectiva, *μή*, ut 34, 6. 41, 3. 50, 3. 121, 3. al. יָנִי pro יָנִיא, quod ipsum exhibent libri multi, ut אָבִי pro אָבִיא Mich. 1, 15. al. G. gr. min. §. 75, 2. f). כִּי עוֹד sc. יֶהֶלְמֵנִי וְיוֹכִיחֵנִי complendum ex membro primo. וְ praemissum תְּפִלָּתִי voci est apodoseos signum, ut 16, 3., ubi vid. not. Suffixum in בְּרָעוֹתֵיהֶם referendum ad improbos; cf. בְּמַנְעַמֵּיהֶם vs. 4. Respondent inter se membrum primum יֶהֶלְמֵנִי צַדִּיק חֶסֶד וְיוֹכִיחֵנִי et tertium כִּי עוֹד ex illo explendum; item membrum secundum שֶׁמֶן רֹאשׁ אַל־ יָנִי רֹאשִׁי et quartum וּתְפִלָּתִי בְּרָעוֹתֵיהֶם. Secundo membro manifeste respicitur quartum versus antegressi: וּבַל־אֶלְחַם בְּמַנְעַמֵּיהֶם. Alii, iique plerique: *tundat*, puniat *me justus*, homo probus, pius: *benevolentia* est, mihi hoc erit, beneficii loco hoc sum habiturus; *Et castiget me: oleum capitis* est, hoc mihi erit, instar olei capiti infusi talem castigationem habebo; *Ne renuat*, absit ut renuat *caput meum*, *si* etiam *iterum*, nec repetitis castigationibus irritarer. *Sed preces meae* sunt *contra malitiam eorum*, contra malitiam, qua me insectantur improbi. Quorum verborum hunc sensum esse putant: si me probi homines corripuerint, benigne mecum agi existimabo; sed improborum malitiam ferre non possum. Conferri volunt locos similes Prov. 27, 6. Eccl. 7, 5. A quibus interpretibus alius in eo tantum discedit, quod membrum quartum sic explicat: *et preces meae* erunt *in malis eorum*, proborum, et preces ad deum fundam, quum illi fuerint in malis, miseriis; alius vero ita dissidet, ut כִּי עוֹד referens ad membrum quartum sic transferat postrema verba: *nam adhuc* est: *et* erunt, i. e. nam adhuc fiet, ut *preces meae* sint, i. e. nam adhuc preces fundam *in malis eorum*, proborum, quum fuerint in malis. Quae interpretationes omnes hac potissimum difficultate laborant, quod

sensus quem fundunt abhorret a nexu. Accedit, quod verba שֶׁמֶן רֹאשׁ אַל־יָנִי רֹאשִׁי neutiquam posse videntur divelli. Evitavit ex parte eas difficultates alius explicatio haec: *tundat*, puniat me *justus*, homo probus *clementer et castiget me: Oleum capitis ne mitiget caput meum! Nam adhuc* est, *et* sunt, i. e. nam adhuc fit, ut *preces meae* sint *in malis eorum*, proborum, nam adhuc preces mihi fundendae sunt propter mala, in quibus versantur probi. Quibus verbis hoc putat dicere vatem: imo ad probos me convertam eorumque consilia sequar, qui, licet me castigent, tamen inserviunt saluti meae. Absit a me, quam improbi offerunt, vita voluptaria! Adhuc enim tempus est lugendi et precandi, cum probi conflictentur cum fortuna adversa. Rejicienda tamen haec quoque interpretatio, vel eam ob caussam, quod כִּי verbo significatum tribuit alienum ab eo, quem habet
6. reliquis quibus reperitur locis. — *Si dejecti*, praecipitati *fuerint ad s. per latera petrae principes eorum*, improborum, qui nos ad colendos deos commentitios impellunt (vs. 4.), nolentes ad supplicium rapiunt (vs. 7.): *Tunc audient* isti improbi *verba mea esse suavia*, tunc utique audient canentem me grata, erumpentem in voces laetas, non deorum falsorum, sed dei veri, qui nos liberaverit in honorem! De industria eodem hic נָעֵם verbo uti videtur, quo usus erat supra. שָׁמַט *dejicere*, *praecipitare*, ut 2 Reg. 9, 33., ubi de Isabela ex fenestra in plateam praecipitata dicitur. Ad וְשָׁמְעוּ — נִשְׁמְטוּ *si dejecti fuerint* — *tunc audient* vid. E. gr. ampl. p. 662. בִּידֵי־ *ad s. per latera*, cf. Ps. 140, 6. Jud. 11, 26. Suffixum in שֹׁפְטֵיהֶם referendum est ad improbos, ut in בְּרָעוֹתֵיהֶם versu superiore. Sperat vates gravissimo supplicio Jovam affecturum esse violentos improborum magistratus. Quod illos *de petra dejiciendos* dicit, poenae genus est saepius usurpatum apud Judaeos, 2 Chron. 25, 12. Luc. 4, 29. Usurpatum fuisse apud Romanos quoque constat. Subjectum שָׁמְעוּ verbi possint esse pii Jovae cultores. Sed multo major verborum vis est, si statuas esse ipsos *improbos;* vid. supra. Qui ad vs. 5. ultimo loco a nobis memorati sunt interpretes duo שֹׁפְטֵיהֶם de magistratibus *piorum* intellectos volunt. Quemadmodum vero de principibus piorum Jovae cultorum e verticibus rupium praecipitatis pius Jovae cultor potuerit verba suavia fundere, id fateor captum meum excedere. Alii, qui ad Davidem (1 Sam. 24.) Psalmum referunt, locum sic expediendum putant: *Dimissi sunt* liberi

et incolumes per latera petrae principes s. duces eorum i. e. adversariorum meorum, *Et audiverunt verba mea esse suavia*, bonitatis et observantiae erga ipsos plenissima, nec quicquam violenti aut injurii significantia. Posse haec ita ad eam occasionem haud incommode referri, non nego. Modo possent et reliquae carminis partes! — *Ut si quis findit et secat in terra* 7.
i. e. sulcos infindit terrae: *Sparsa sunt ossa nostra* voranda *ori*, faucibus *orci*. Quae est descriptio caedis, qua prostrati ab improbis erant Jovae cultores; cf. supra prooemium. Quid spectet illud *ut si quis findit* rel. interrogantibus alii alia respondent. Nonnulli de glebis cogitant, quas subjiciat arator. In qua interpretatione nihil video apti ad rem. Alii semen intelligunt, quod spargat arator. Tum vero serendi, non findendi verbis uti debuisset scriptor. Alii collatum volunt locum 129, 3., plane alienum ab hoc loco. Alii quemadmodum exstent sulci terrae recens aratae, sic piorum prae summa aegritudine grandi macie torridorum ossa dici exstare et distare arbitrantur. Quae interpretatio vim facit פָּזַר verbo. Alii פֹּלֵחַ et בֹּקֵעַ non terram sed *ligna* findentis esse putant, ut sparsa dicantur piorum ossa, quemadmodum, cum quis lignum findat, frusta et fragmina longe lateque in solo dissiliant. Non male hoc quidem. Certe בָּקַע de findendis lignis dicitur Eccl. 10, 9., nec dubium videtur, quin eodem significatu sumi potuerit פָּלַח quoque. Quod non appositum est עֵצִים, nullam crearet difficultatem. Talia enim saepissime omitti, res nota est; cf. G. gr. ampl. p. 851. בָּאָרֶץ vero quod additum est, ratio posset esse, quod, qui ligna vult findere, truncum vel ipsum lignum findendum *in terra* firme reponit. Otiosius tamen, sic si intelligatur, videtur בָּאָרֶץ esse. Itaque praestat adquiescere in *sulcandi* significatione, qua eadem gaudet arabicum فَلَحَ et فَلَّحَ. Tertium comparationis vero *longa* possit *series* esse in hunc sensum: quemadmodum qui terram arat, longas facit series sulcorum, sic ossa nostra longa serie sparsa, prostrata sunt orci in praedam. Ad orci *fauces* cf. Jes. 5, 14. Quod veterum nonnulli pro עֲצָמֵינוּ expresserunt עֲצָמֵיהֶם non est nisi ex intempestivo emendandi studio profectum. — *Nam ad te, Jova, domine*, 8.
directi sunt *oculi mei*; *In te fiduciam colloco: ne effundas animam meam*, ne vitam meam in periculum projicias, in discrimen offeras, ne morti me tradas! Quod praemissum est כִּי ab aliis

aliter redditur. Nonnulli: *quia* ad te directi sunt oculi mei: hinc in te fiduciam colloco, sensu incondito, ne dicam inepto; alii: *sane*, quae significatio solet ancora esse interpretum de invenienda meliore desperantium; alii: *attamen*, hunc sibi significatum obtrudi patientes a versu proxime praegresso. Subest vulgaris *nam* significatio. *Nam* vero cum dicit, ad primariam carminis sententiam vs. 4. et 5. expressam, interruptam vs. 6. et 7. redit. Absit a me, inquit, ut in improborum alienos colentium deos facinora delabar, desinam Jovam habere eum, quo laeter, ad quem preces fundam! *Nam* vel, si mavis, *sed*, utpote post negationem. אֵלֶיךָ עֵינַי ut 25, 15. al. Verba אַל־תְּעַר נַפְשִׁי sic capiat aliquis, ut significent: *ne denudes animam*, vitam *meam*, i. e. ne praesidio nudes, destituas eam! Sed quod Jes. 53, 12. legitur הֶעֱרָה לַמָּוֶת נַפְשׁוֹ manifeste est: *effudit*, projecit, objecit, tradidit *morti animam* vitam *suam*. Itaque vix dubium, quin quae hic habentur eodem modo intelligenda sint; cf. syr. ܫܕܐ ܢܦܫܗ *projecit animam suam*, periculo exposuit eam. Quod עֵרָה, הֶעֱרָה, *nudare*, hinc *evacuare* vas Gen. 24, 20., cistam 2 Chron. 24, 11., etiam *effundendi* significatu gaudet (cf. praeter hunc et Jes. l. l. Ps. 37, 35. Jes. 32, 15.), ratio est, quod evacuandi verba facillime a vasis transferuntur ad id, quod vasis continetur. —
9. *Serva*, tuere *me a laqueo*, quem *ponunt mihi! Atque* a *tendiculis maleficorum!* מִידֵי, מִיַּד *e manu*, *manibus* pro *e potestate* constat dici quoque de rebus, velut *e manu gladii* Job. 5, 29., *flammae* Jes. 47, 14. יָקְשׁוּ relative accipe. Ante מֹקְשׁוֹת ex priore
10. hemistichio cogitatione repetendum est מִן. — *Cadant in retia sua improbi*, *Omnia ego donec praeteriero* i. e. in mala, quae mihi pararunt improbi, recidant ipsi, usque dum cuncta effugero salvus et incolumis! בְמַכְמֹרָיו *in retia* quisque *sua*, E. gr. min. §. 571. יַחַד sunt qui trahant ad hemistichium prius; nec dubium, quin possit sic strui. Sed nulla est causa, cur recedamus ab ea distinctione, quam praescripserunt Masorethae. Est vero יַחַד, ut saepius, idem quod כֹּל יַחַד, referendum ad מַכְמֹרָיו, construendumque cum אֶעֱבוֹר, cujus est Objectum. Praepositum est magna cum vi. Possit etiam ad ipsos *improbos* referri, sed prius praestat ob *praetereundi* verbum. Alii יַחַד *prorsus* esse volunt, coll. Job. 10, 8., sed eo quoque loco יַחַד pro כֹּל יַחַד, *omnia omnino*, omnes meas partes, totum me, positum esse, facile est ad intelli-

gendum. Alii vocula illa vatem *se una cum sociis suis* significare putant; in quo egregie falluntur. Quamquam enim socios haud dubie suae salutis participes vult vates (cf. vs. 7.), tamen quum illi hic non memorentur, ad eos יַחַד referri nequit. Melior eorum interpretatio est, qui hunc faciunt sensum: *Cadant in retia sua improbi, Simul ego dum praetereo!* Sic vero aut יַחַד aut עַד est supervacaneum et molestum. Nam hoc si dicere voluisset scriptor, probabile est scripturum fuisse vel וְאָנֹכִי אֶעֱבֹר יַחַד vel וְאָנֹכִי יַחַד אֶעֱבֹרָה vel simile quid; cf. Ps. 4, 9. Jes. 45, 8.

PS. CXLII. *Carmen* (vid. ad 14, 1.) *Davidis*, compositum 1.
quum esset in spelunca; preces. Sic distinguenda esse verba,
non, ut ab aliis distinguuntur: *carmen Davidis; fusae quum esset
in spelunca, preces*, aliarum inscriptionum exempla docent. Ro-
senmüllerus: „quum, inquit, et in Adullamico et Engeddino specu
latuerit Davides, non explicatur hac inscriptione, in utro specu
factus sit Psalmus, neque hoc aliquis facile definiverit. Etsi enim
aliqui hanc oden rectius ad speluncam Adullamicam (1 Sam. 22.)
referri censent, quod in specu Engeddino Saul potius quam David
in periculo vitae fuerit; nihilominus tamen etiam ipse David in
summo vitae discrimine illic haerebat, actumque tunc de illo erat,
si quo pacto deprehensus fuisset, quum ante speluncam Engeddi-
nam exercitum haberet trium millium Saulus, atque ita ibi tan-
quam obsideretur Davides.“ Sed quomodo tandem de spelunca
potest ambigi, priusquam sitne Davidis hic Psalmus sciatur certo?
Potest profectus esse a Davide. Quid inde? Potest a Cajo quoque,
potest a Sempronio. Desinant tandem in iis maxime Psalmis, ad
quos intelligendos nihil refert, ad hanc an ad illam occasionem
referantur, inanes conjecturas captare interpretes, videndi si minus
fortasse docti, magis certe sani! Strophae duae: vs. 2—5: ad
te, Jova, clamo, derelictus ab omnibus, vehementer vexatus ab
adversariis. 6—8: ad te confugio: libera me, pro tanto in me
collato beneficio te maximis celebraturum laudibus! — *Voce mea* 2.
ad Jovam clamo, Voce mea ad Jovam supplex oro. De קוֹלִי,
cf. ad 3, 5. — *Effundo coram eo querelam meam, Angustias*, 3.
aerumnas *meas coram eo notas facio.* — *Cum languet*, deficit 4.
apud me, spiritus, animus *meus: Tu cognitam habes semitam*
i. e. sortem *meam*, quod breviter et eleganter dictum pro: quum
aegritudine propter aerumnas meas paene conficior, hoc mihi so-

latium est, quod tu cognita habes, quod te non latent quae ex-
perior, patior mala. *In via, quam ingredior, Occultant laqueum
mihi*, insidias mihi struunt. De עָלַי vide quae disputavimus ad
Ps. 42, 5. et Jer. 8, 18. ו praemissum אַתָּה Pronomini apodoseos
est nota, ut 16, 3. aliisque ibi notatis locis. נְתִיבָה hic ut דֶּרֶךְ
37, 5. translate dicitur de agendi ratione idque passive de ratione,
qua cum aliquo agitur, de sorte, quam quis experitur. Nonnemo
primum ac secundum membrum commati proxime praegresso jungit
in hanc languidiorem sententiam: Effundo coram eo querelam
meam rel., *Cum langueat apud me spiritus meus, Et tu cogni-
tam habeas semitam meam.* Quid? quod alius non dubitat etiam
5. tertium cum quarto membro nectere praecedentibus. — *Adspice
dexteram, et vide* i. e. vide, num adjutor aliquis mihi adsit! i. e.
nullus mihi adjutor adest, *Et nemo est mihi qui cognoscat* me;
Evanuit refugium mihi, Nemo est qui quaerat de me, me curet.
Cum jubet deum adspicere *dexteram* suam, jubet, ut videat, num
sibi adjutor aliquis adsit, *a dextera* enim stare solet adjutor; cf.
121, 5. al. Quum vero, vide, inquit, num adjutor mihi adsit,
nihil aliud dicit, quam: nemo mihi adest adjutor, destitutus sum
omni auxilio. Quam ipsam ob causam sententiae, quae subjicitur,
praemissa est copula. Possint tamen etiam breviter haec dicta
esse pro: *Adspice dexteram, et vide*, vide, num adjutor aliquis
mihi adsit! *Et* videbis, *neminem esse mihi qui* cet. Nonnulli
הַבֵּיט et ראֵה, quod רְאֵה efferunt, Infinitivos absolutos habent
in hunc sensum: *adspicere dexteram et videre* i. e. sollicite ad-
spicio cet. Negant enim, convenire dicere ad deum vatem: *ad-
spice dexteram et vide!* quum versu proxime praegresso deum
sortem suam cognitam habere dixisset. Qui interpretes vellem
medicinam suam etiam adhibuissent אַגִּיד voci versu tertio. Nam
quae deum non latent, cur opus est ut illi *nota fiant?!* Quasi
vero cum ad deum preces fundunt mortales, non soleant propo-
nere et enarrare illi, petere ut adspiciat res suas, quamquam
persuasi, nihil non notum deo esse! Quasi poetae ea sibi vincula
injici patiantur, ut in sententiis quas proferant omnibus ac sin-
6. gulis anxie sibi constent! — *Clamo ad te, Jova; Dico: tu es
refugium meum, Portio mea in terra viventium*, in his terris
(27, 13. 52, 7.) i. e. praeter te, quo nitar, in terris habeo nemi-
7. nem, a te solo exspectandum mihi est auxilium. — *Attende ad
vociferationem meam, Nam debilis*, exhaustus *sum* (79, 8. 116, 6.)

vehementer! Eripe, libera *me persecutoribus meis*, *Nam fortiores*, valentiores *sunt me!* — *Educ ex carcere*, angustiis *animam meam*, me, *Ut celebrem nomen tuum! Me circumdabunt* 8.
justi, confluent ad me pii, de salute mea laetaturi, eam mihi gratulaturi, tuarumque laudum praecones futuri mecum, *Quod benefeceris mihi*, affeceris me eo, quod rogo, beneficio. מַסְגֵּר *carcerem* improprie intelligendum esse, ita ut idem sit quod צָרָתִ *angustiae* vs. 3., clare perlucet ex imagine, qua usus est vates versu quarto, membro tertio et quarto. Ad יַכְתִּרוּ Rosenmüllerus: „Alexandrinus reddidit ὑπομενοῦσι, et Vulg. *exspectant*, ex significatione aramaei כַּתַּר (prob. repetenda a circumeundo), qua verbum Job. 36, 2. (in Pi.) usurpatur. Ita sensus esset: qui meam liberationem sollicite exspectant. Aptiorem tamen sensum h. l. *cingendi* significatio praebet, et locis Ps. 22, 13. Jud. 20, 43. (in quibus locis est Pi.) et Hab. 1, 4. (ubi ut hoc loco legitur Hi.) unice apta." Praeferenda sine dubio *circumdandi* significatio; cf. similia 5, 12. 22, 23 sqq. et plurima hoc genus alia. Observa etiam, 13, 6. et aliis ejusdem nexus locis כִּי esse *quod*, non *ut*. Falsum esse quod e recentioribus quidam (Bötteh. Vers. p. 63.) judicavit temere sumi *circumdandi* significatum eo quo accepimus sensu, docent verba proxime praegressa לְהוֹדוֹת אֶת־שְׁמֶךָ, quippe quae haud obscure significent, illo ipso quod notavimus consilio justos vatem circumdaturos esse dici.

PS. CXLIII. *Carmen Davidis.* Quamquam plura nitent in 1.
hoc Psalmo, ut vs. 2. 10., tamen, quum pleraque, ut deinceps videbimus, ex aliis carminibus assumta sint, e recentioribus habendus est. Qua occasione et a quo sit editus, definiri nullo modo potest. In strophas dividi nequit. — *Jova, audi preces meas, ausculta supplicia mea! Pro fide tua exaudi me, pro justitia tua!* Negat recentiorum aliquis, posse צִדְקָת hic *justitiam* significare, obstare putans versum secundum. Sed quae hoc loco, quem tractamus, memoratur justitia dei non est severi judicis justitia, quae respicitur vs. 2., sed illa, quae cernitur in vindicandis misere oppressis. Ipse *benignitatem* reddi vult. Alius eodem illo, quod nullum est, offendiculo, ut videtur, motus: *pro fide tua exaudi me cum salute tua*, salutem mihi afferens, praebe mihi salutem tuam! cf. 65, 6. — *Neque eas in judicium cum* 2.
servo tuo, noli mecum, qui fateor me deliquisse, summo jure

agere! *Nam non justus est coram te omnis vivens*, nemo viven-
3. tium te judice culpa vacuus est. — *Nam persequitur hostis ani-
mam meam*, *Proterit in terram vitam meam*, *Habitare me facit*,
collocat me *in tenebris instar dudum mortuorum*, i. e. studet me
detrudere in tenebras, in quibus jacent dudum mortui, quorum
omnis memoria evanuit, qui non amplius curantur. Eadem le-
guntur Thren. 3, 6., similia Ps. 7, 6. 88, 6. Alius כְּמֵתֵי עוֹלָם
vult significare *instar mortuorum in omne tempus*, qui nunquam
4. ad vitam redeunt. Quod nescio an praeferam. — *Et languet*,
deficit *apud me spiritus meus*, *In pectore meo stupet*, stupore
5. perculsum et consternatum est *cor meum*. עָלַי ut 142, 4. — *In
memoriam revoco dies pristini temporis*, quibus cultores tuos ex
angustiis tam saepe eripuisti, *Cogito de omni opere tuo*, *De
facto manuum tuarum meditor*, de mirandis facinoribus cultorum
6. tuorum in gratiam factis a te; cf. 77, 6 sq. — *Expande manus
meas ad te*, *Anima mea, ut terra languescens*, siccitate deficiens,
quae pluviam avidissime expetit, *ad te* est, te sitit, expetit; cf.
7. 63, 2. — *Propere exaudi me, Jova! Conficitur spiritus meus.
Ne occultes faciem tuam a me*, *Ita ut similis reddar descen-
dentibus in foveam*, sepulcrum, mortuis, quorum non est spes
amplius! cf. 28, 1. — Quod dicit *conficitur spiritus meus* causam
nonnulli desiderium auxilii intelligunt. Malo intelligere miseriam,
collato membro quarto, utpote cui videatur debere respondere se-
cundum, quemadmodum primum respondet tertio; cf. vs. 4. —
8. *Audire me fac mane*, mature, cito *gratiam tuam*, fac ut mature
audiam, gratiose te me respicere, fac ut brevi sentiam, experiar
clementiam tuam! *Nam in te fiduciam colloco. Notam fac mihi
viam, qua eam*, doce me eam quae tibi probatur agendi rationem,
ut dignus evadam favore tuo! cf. vs. 10. *Nam ad te attollo ani-
mam meam*, effero animum meum, ad te me converto. Verbis
notam fac mihi viam, qua eam nonnulli vatem, doce me, dicere
putant, quid faciam, ut pericula evitem. Quod dicturum vatem
aliis verbis usurum fuisse puto. Ceterum cf. ad primum mem-
9. brum 51, 10. 90, 14., ad quartum 25, 1. 86, 4. — *Libera me
ab hostibus meis*, *Jova!* *Ad*, apud *te celo*, occulto *me*, lateo,
i. e. in tuam tutelam confugio. De verbis אֵלֶיךָ כִסִּתִי aliam super
aliam conjecturam protulerunt interpretes; verum in propinquo
positum nemo vidit. Plerique: *apud te tego* s. *occulto* rem meam,
quod praegnanter dictum volunt pro: apud te clam expono, tibi

clanculum et soli dico; credo rem meam. Objectum vero horum interpretum alii aerumnas vatis, alii coll. vs. 2. delicta habent. Alius, qui et ipse praegnantem putat hanc loquendi formulam, sic eam complet: te clam sequor. Quibus interpretationibus praeter intolerabilem qua laborant duritiem hoc obstat, quod, cur vates rem suam deo *clam* exponat, deum *clam* sequatur, causam nexus ostendit nullam. Alius: *in te devolvo*, tibi permitto rem meam, כָּסָה אֶל־ hoc loco significare putans aliquid tanquam tegumentum ponere in aliq., hinc quasi devolvere aliquid in aliquem, ut idem sit quod גָּלַל אֶל־ 22, 9. Quae significatio est quaesita. Alii non dubitant pro כִּסִּיתִי reponere חָסִיתִי, sic legisse putantes LXX et Vulg. qui: *πρός σὲ κατέφυγον, ad te confugi*, expressum etiam in nonnullis libris scriptis. Verum enim vero, quum כָּסָה non solum significet *tegere*, *velare*, *celare*, verum etiam *tegere*, *velare*, *celare se* (celandi significatum inprimis frequentant Chaldaei), quid, quaeso, obstat, quominus *ad*, apud *te celo*, occulto *me*, lateo, verba reddas? Hoc vero quid est aliud, quam: in tuam tutelam confugio? Quod ipsum expresserunt LXX et Vulg., saniores recentioribus interpretes! cf. locutiones 119, 114: סִתְרִי אָתָּה, 91, 1: יֹשֵׁב בְּסֵתֶר עֶלְיוֹן וגו׳, 61, 5: אֶחֱסֶה בְסֵתֶר כְּנָפֶיךָ, 57, 2: בְּצֵל כְּנָפֶיךָ אֶחְסֶה et plurimas hoc genus alias. Quod in duobus libris reperitur חָסִיתִי manifeste in illos migravit ex LXX et
Vulg. — *Doce me facere voluntatem tuam! Nam tu es deus* 10.
meus. Spiritus tuus bonus, vis tua divina, qua homines ad sapienter et sancte vivendum incitantur, *ducat me in solo recto*, in via recta, faciat, ne deflectam de pietatis tramite! רוּחֲךָ טוֹבָה i. q. רוּחַ קָדְשְׁךָ 51, 13. De omisso ante טוֹבָה articulo vid. G. gr. min. §. 109. extr. E. gr. min. §. 480. Ad verba תַּנְחֵנִי בְּאֶרֶץ מִישׁוֹר cf. 27, 11. 26, 12. 5, 9. Nonnullis, quum vs. 9. et 11. de defensione ab hostibus sit sermo, hic versus non videtur de auxilio divino ad vitam probe et recte instituendam intelligendus. Orare potius vatem, velit deus ipsi rationem et modum ostendere, qua ex periculis possit evadere. Quem sensum verba לַמְּדֵנִי לַעֲשׂוֹת רְצוֹנֶךָ non possunt ferre ullo modo. Admixtas precibus pro liberatione a malis preces pro auxilio ad vitam sancte instituendam
habes et 86, 11. et multis aliis in locis. — *Propter nomen tuum*, 11.
non mea causa, sed ut, qualis haberis, talem tu te exhibeas deum benignum et potentem, tuae ipsius gloriae causa, *Jova, vivum me servabis, Pro justitia tua educes ex angustiis animam meam,*

me! De לְמַעַן שִׁמְךָ vid. ad 23, 3. De בְּצִדְקָתְךָ vid. supra ad
12. vs. 1. — *Et pro gratia*, benevolentia *tua ad silentium rediges*,
delebis *hostes meos*, *Et perdes omnes adversarios animae*, vitae
meae, *Nam ego sum servus tuus*; cf. 116, 16.

1. PS. CXLIV. *Davidis* carmen. Psalmus post exsilii Babylonici aetatem (cf. vs. 7. et 11. nec non שׁ praefixum vs. 15.) conflatus ex Pss. 8. 12. 18. (ex quo pleraque assumta sunt) 33. 102. 104. al., in quo populus Judaeorum (cf. vs. 12—15.) Jovam, fortissimum suum fidissimumque ab omni tempore defensorem ac patronum orat, velit ipsum liberare ab hominibus barbaris, et res suas fortunare. Bene inter se cohaerent singulae carminis partes, quamquam undique assumtae. Falluntur qui a vs. 9. novum canticum incipere putant; vid. ibi not. Strophae sex: vs. 1. 2: sit laus deo, firmissimo meo refugio et praesidio! 3. 4: nihil sine deo potest homo. 5. 6: descende, Jova, tuam ostende potentiam! 7. 8: eripe me ex malis, libera me a barbaris! 9—11: celebrabo te, Jova! qui Davidis aliorumque arma victricia reddidisti: libera me a barbaris! 12—15: te favente res nostrae prospere procedant! Fortunatum populum, qui tuae tutelae est!
— *Laudatus sit Jova*, *petra mea*, *Qui instituit manus meas*
2. *ad pugnam*, *Digitos meos ad bellum!* cf. 18, 35. — *Benignitas*
mea, deus meus benignus *et cacumen*, refugium *meum*, *Altitudo mea*, fastigium meum *et liberator meus mihi*, *Clypeus meus et is ad quem confugio*, *Qui subjecit populum meum* (imo *populos*) *sub me*, mihi! חַסְדִּי meton. pro nomine concreto est positum ut Jon. 2, 9. Ad reliqua cf. 18, 3. 48. Pro עַמִּי multi libri scripti et nonnulli editi habent עַמִּים expressum quoque a Chald. et Syro. Atque sic sane scribere debebat vates, quum loquentem in hoc carmine faciat *populum*. Sed recepta scriptura auctoritate firmatur interpretis Alexandrini, qui τὸν λαόν μου. Videtur itaque scriptor per imprudentiam עַמִּי ex 2 Sam. 22, 44. assumsisse, contra quod in aliis libris est עַמִּים profectum esse ex Ps. 18, 48. 2 Sam. 22, 48. Cogitasse vatem de Davidis potissimum victricibus armis, perlucere videtur ex vs. 10. Potest tamen etiam ad tempus praesens commode referri הָרֹדֵד in hunc sensum: *qui subjicit*, sub-
3. jicere potest. — *Jova*, *quid est homo*, *quod animadvertis eum*,
4. *Mortalis*, *quod ejus rationem habes?* cf. 8, 5. — *Homo halitui*
similis est, *Dies ejus sunt ut umbra praeteriens*; cf. 102, 12. al.

— *Jova, inclina coelos, et descende! Tange montes, ut fument!* 5.
cf. 18, 10. 104, 32. — *Fulgura fulgur, et disperge eos! Emitte* 6.
sagittas tuas, fulmina tua, *et conturba eos*, barbaros, vs. 7. 11.
cf. 18, 15. — *Mitte*, extende *manus tuas ex alto! Eripe me* 7.
et libera me ex aquis magnis, E manu peregrinorum, barbaro-
rum! quibus intelligendi videntur qui Judaeos in patriam restitutos
aggressi sunt et opprimere studuerunt populi vicini. Ad primum
et secundum membrum cf. 18, 17. coll. ibid. not. ad vs. 5. פְּצֵה
propr. *disrumpere*, hinc *distendere*, *aperire*, hoc loco et vs. 10.
11. est *eripere*, *liberare*, quo eodem significatu gaudent chald.
פְּצָה (quod inprimis frequentant pro hebr. הִצִּיל) et arab. فصى II.
— *Quorum os loquitur falsa, Et quorum dextera est dextera* 8.
mendacii i. e. et qui falso jurant, quia ad jurandum extenditur
dextera. Optime haec conveniunt in populos ad vs. 7. memoratos.
Neh. 4. 6. Ceterum cf. Ps. 12, 3. — Pro quo in me collato be- 9.
neficio *Deus*, *canticum novum cantabo tibi*, *Lyra decachorda*
canam tibi! cf. 33, 2. 3. et quae ibi observavimus. Prorsus falsi
sunt, qui Psalmum compositum putant ex duobus carminibus,
quorum posterius ab hoc versu incipiat. Neque enim duos, sed
multo plures Psalmos vel potius Psalmorum partes in suum usum
convertisse vatem, idque haud imperita manu, exempla ostendunt
hactenus prolata. Accedit quod praeter hunc versum ex Ps. 33.
nihil est assumtum; contra quae vs. 7. et 8. dicta erant, vs. 11.
non sine vi et elegantia repetuntur. Quod promittitur *canticum*
novum, haudquaquam est ea Psalmi pars quae continetur vs. 9.
et sequentibus, opposita parti priori, sed carmen canendum post
latum a deo quod in hoc Psalmo petitur auxilium, quod miror
fugisse interpretes. — Hic versus non est cum vs. praegresso sed 10.
cum eo qui subjicitur construendus. *Qui das*, praebes *salutem*
regibus, tu, ex quo pendet salus regum, *Qui eripuisti Davidem*,
servum tuum, *gladio funesto*, — *Eripe me et libera me e manu* 11.
peregrinorum, *Quorum os loquitur falsa*, *Et quorum dextera*
est dextera mendacii! cf. vs. 7. 8. *Davidem* nonnemo pro uni-
verso populo Israelitico positum habet. Quod falsum esse ostendit
quod *Davidi* in priore hemistichio respondet לַמְּלָכִים. Hoc dicit
vates: qui Davidem olim ab hostibus liberasti, idem liberabis nos!
Quod עַבְדּוֹ reddidimus *servum tuum*, fecimus linguae in gratiam
latinae. — Qui ab hoc versu sequitur elegantior locus, quum 12.
pleraque in hoc carmine ab aliis scriptoribus assumta sint, et

ipse possit ex alio quodam carmine huc translatus videri a vate. Idque eo probabilius videri possit, quo asperior et praeruptior est ad hunc locum transitus. Nihilo secius aliter statuendum puto. De suo enim hunc locum, ut plures alios, adjecisse vatem, perlucere videtur ex vs. 14. Eripe me et libera me, populum tuum, nos (vs. 11.), *Quorum filii sint ut plantae*, *Crescentes in pueritia sua; Filiae ut columnae angulares*, *Excisae*, sculpendo factae *imago*, imagines *palatii*, i. e. tam procerae, graciles et venustae, ut similes sint caryatidibus, quae speciose elaboratae in aedificiis magnificis collocari solent! „Sunt, qui hoc versu et duobus, qui proxime sequuntur, barbarorum illorum vs. 7. 11. commemoratorum sermones jactabundos existiment relatos, quibus res suas florentissimas praedicent. Alii אֲשֶׁר vertunt *eo quod*, *quia*, atque haec de hactenus acto tempore interpretantur, ut petat, ne interrumpatur illatione calamitatis novae ab hostibus pristina et hactenus communicata felicitas, q. d. nam res nostrae alioquin belle se habent, ac restat tantum, ut nos eripias e manibus istorum extraneorum. Nos vero sensum magis idoneum nasci putamus, si אֲשֶׁר pro לְמַעַן אֲשֶׁר *ut*, *quo* capiatur, ut rogetur deus, velit populum e periculis praesentibus eripere, et adversus molitiones hostium custodire, ut parta per ipsum pace res Israeliticae crescant et floreant." Haec Rosenmüllerus. Prorsus rejiciendus est qui ex interpretatione primo loco posita prodit sensus; cf. vs. 15., ex quo clarissime perlucet, respici tribus his versibus res Israelitarum, non barbarorum. Nec magis ferri potest sensus, quem fundit explicatio altero loco posita. Nam qui potest tam florens, qualis vs. 12. et seqq. describitur, rerum status esse eorum, qui vim patiuntur a barbaris vs. 7. 11.? quomodo, inquam, possunt, qui supra ut ex hostium manu ipsos eripiat deum rogant, iidem hic referta laudare horrea sua caulasque? gloriari, pacata apud se omnia esse, clamantem in plateis audiri neminem? Praestat igitur sine dubio ea ratio, quam secuti sunt Rosenmüllerus et alii. Malo tamen cum alio interprete אֲשֶׁר relative acceptum construere cum Suffixo in בָּנֵינוּ cet. (cf. G. gr. min. §. 121, 1. adn. 1.) et totum locum optative capere in eum nexum, quem supra fecimus. מְגֻדָּלִים referendum esse ad בָּנֵינוּ docet quod appositum est בִּנְעוּרֵיהֶם. זָוִית i. q. arab. زَاوِيَةٌ, syr. ܙܘܝܬܐ, *angulus*, Zach. 9, 15. de angulo altaris, hoc loco meton. *columna*

angularis; cf. arab. رُكْن *angulus* et *columna angularis*. מְחֻטָּבוֹת non est absolute capiendum, quasi dicatur: *filiae nostrae* sint *columnae angulares* pulchre *excisae*, artificiose dolatae, ut plerique existimant, sed construendum cum תַּבְנִית ,ת׳ quod est Nominativus Praedicati; תַּבְנִית vero, quod haud apte ad locum alii *structuram*, *aedificandi modum*, alii *lapidem ad aedificandum utilem* significare volunt, *simulacrum*, *imaginem* significat, ut 106, 20. al., ita ut caryatides cogitet vates i. e. columnas gestandis trabibus aptas (זָוִיּוֹת) mulierum figuram (תַּבְנִית) habentes. Priore imagine juvenum vigor describitur, caryatidum imagine virginum elegantia formae. — *Promtuaria nostra* (propr. quorum 13.
nostrorum promtuaria, et sic porro, vid. supra) *plena* sint, *Proferentia*, suppeditantia *a specie ad speciem*, ab una specie ad alteram, omnis generis bona! *Oves nostrae* sint *millia facientes*, millecuplis fetibus augeantur, *In myriades multiplicatae in pascuis nostris!* מְזָוֵינוּ *cellae*, *promtuaria* a recondendo, זָוַת (a quo etiam est זָוִיּוֹת vs. 12.) dicta. LXX ταμεῖα, Vulg. *promtuaria*, Chald. *thesauri*. Pro מִזַּן אֶל־זַן LXX: ἐκ τούτου εἰς τοῦτο, liberius, opinor, non quod דֵּן, זָה legerint aut זַן ejusdem cum his voculis significatus habuerint. — *Duces nostri* sint *erecti*, 14.
potentia floreant et dignitate! *Nulla* sit *irruptio et nulla excursio*, *Et nullus clamor in plateis nostris!* Quae verba et ipsa egregie conveniunt in rationes eorum temporum, quae fuerunt post reditum de exsilio Babylonico. אַלּוּף *dux tribus*, ut Zach. 9, 7. 12, 5. 6. סֻבָּל hic i. q. chald. סְבַל *sustulit* (cf. נָשָׂא), *erexit*, hinc מְסֻבָּל *erectus*, ut chald. Poal. Esr. 6, 3. Quae significatio, quamquam in voce hebraica alias non invenitur, tamen in carmine post exsilii aetatem composito nullam habet difficultatem. פֶּרֶץ *ruptura* muri, hinc *irruptio* per muros in urbem. וְאֵין יוֹצֵאת breviter dictum pro וְאֵין הָעִיר יוֹצֵאת *nec sit urbs exiens* ad bellum, cf. Am. 5, 3. Opposita igitur inter se sunt פֶּרֶץ et יוֹצֵאת ita, ut prius hostium, i. e. Samaritanorum aliorumque vicinorum populorum in urbem Hierosolymitanam *irruptiones*, posterius civium Hierosolymitanorum ex urbe *eruptiones* significet. Verba אַלּוּפֵינוּ מְסֻבָּלִים tantum non omnes significare putant *boves nostrae* sint *portare*, in utero gestare *factae*, gravidae, masculino nomine אַלּוּף, utpote epicoeno, bovem feminam indicare existimantes, ad מְסֻבָּל vero laudantes arab. حَمَلَ *portare* et *gestare in utero*, *gravidam esse*, nec non ثَقُلَ *gravem esse* et *fetu gravem*, *gra-*

vidam esse. Sed sic intellecta vix ullo vinculo cohaerent cum iis quae subjiciuntur, sive eo quo nos accepimus sive alio illa accipis sensu. Nonnulli illa sic interpretantur, ut פֶּרֶץ de caularum *ruptura* vel potius raptorum *irruptione* in caulas intelligant, יוֹצֵאת vero neutraliter acceptum *aliquid quod exeat*, direptum a praedonibus, pecudum caput, esse judicent; alii פֶּרֶץ *cladem* significare jubent, coll. Jud. 21, 15., יוֹצֵאת sc. נֶפֶשׁ volentes esse aliquem qui ex urbe migret aut fugam capessere coactus aut captivus ab hostibus
15. abductus. — *Felicem populum, cui sic est, cujus res hoc statu sunt! Felicem populum, cujus Jova deus est!*
1. PS. CXLV. *Hymnus Davidis.* In Javae potentiam, justitiam, benignitatem, quam exhibeat tum universo generi humano tum maxime afflictis suis cultoribus. Quod alphabeticus est Psalmus, recentioris aetatis indicium est. Eandem indicant aramaica quaedam verba verborumque significationes, velut זָקַף vs. 14., רָצוֹן vs. 16. 19., item loci aliunde assumti, ut vs. 3. 8. al. Abest versus, qui a *Nun* litera incipere debebat post vs. 13. Habet quidem Graecus Alexandrinus post vs. 13. haec verba: *πιστὸς κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ*, expressa quoque a Vulg. Syr. Ar. et Aeth., eaque ipsa adnotata leguntur in margine inferiore cod. K. 142. his verbis נֶאֱמָן יְהוָֹה בְּכָל־דְּבָרָיו וְחָסִיד בְּכָל־מַעֲשָׂיו. Sed plus quam verisimile est, ab aliena manu profecta esse haec verba. Primum enim non exstiterunt in libris, quibus usi sunt Origenes et Hieronymus. Deinde desunt in Chald. Aqu. Theodot., et obelo illa notavit scholion graecum codicis Vaticani. Tum rejecerunt ea Masorethae et interpretes Hebraici. Postea „non probabile est, vel casu hunc versum excidisse, vel studio expunctum esse. Casu fieri non potuit, quia error ob interruptam seriem Alphabeti nimis manifestus et facile deprehensus fuisset. Studio cur expunctus esset, quum nihil in eo sit, quod Judaeos offendere vel ad eum eradendum permovere potuisset?" (Ros.) Contra, quum ordinis alphabetici non ita tenaces sint poetae Hebraici, ut in omnibus ac singulis hujusmodi carminibus seriem literarum sine ulla interruptione aut defectu servandam existiment, sed nonnihil licentiae sibi interdum concedant, nihil miri habet unius literae omissio. Denique tantum non manifestum est, verba de quibus quaeritur levi facta mutatione ex vs. 17. hujus ipsius Psalmi desumta esse. — *Laudibus efferam te, mi deus, rex, Et*
2. *celebrabo nomen tuum in perpetuum et sempiternum!* — *Quotidie*

celebrabo te, Et laudabo nomen tuum in perpetuum et sempi-
ternum! — *Magnus est Jova et laudandus plurimum, Et magni-* 3.
tudini ejus nulla est investigatio, tam magnus est Jova, ut inve-
stigare magnitudinem ejus nemo possit. Membrum prius assumtum
ex 48, 2. — *Aetas aetati*, una aetas alteri *praedicet opera tua*, 4.
Et facinora tua nota faciant! Nonnulli יְשַׁבַּח et יַגִּידוּ indicative
accipiunt, et sic quoque יֹאמֵרוּ vs. 6. et יַבִּיעוּ cum יְרַנֵּנוּ vs. 7.
Sed quae septem primis versibus continentur sunt exhortantis non
describentis; cf. inprimis vs. 6. — *Splendorem gloriosum majestatis* 5.
tuae Et res miraculorum tuorum, et quaecunque ad miranda a te
facta facinora pertinent, *cogitabo!* — *Et vim terribilium factorum* 6.
tuorum praedicent, Et magna facta tua enarrabo! Pro גְּדֻלּוֹתֶיךָ
Masorethae Singularem גְּדֻלָּתְךָ *magnitudinem tuam* (vs. 3.) legi jubent.
Sed גְּדֻלּוֹתֶיךָ ad parallelismum aptius. Respondet enim נוֹרְאוֹתֶיךָ.
— *Laudes magnae benignitatis tuae ebulliant*, copiose effundant, 7.
proferant, *Et justitiam tuam laetis vocibus efferant!* רַב Ad-
jectivum Substantivo suo cum vi est praepositum, ut 89, 51. Alii
neutraliter et substantive sumtum *magnitudinem* significare volunt,
ut Jes. 63, 7., ubi tamen nequaquam certum est vim Substantivi
habere רַב. Festinantius nonnulli negant צְדָקָה hic *justitiam*, צַדִּיק
vs. 17. *justum* esse. Vid. quae observavimus ad 143, 1. — *Clemens* 8.
et misericors est *Jova, Tardus ad iram et magnae gratiae*; cf.
103, 8. 86, 15. — *Benignus* est *Jova erga omnes, Et miseri-* 9.
cordia ejus est *super omnia opera ejus*, consulit omnibus naturis
ab ipso creatis. — *Laudant te, Jova, omnia opera tua, Et pii*, 10.
cultores *tui celebrant te.* — *Gloriam imperii tui praedicant, Et* 11.
potentiam tuam loquuntur, — *Ut nota faciant hominibus faci-* 12.
nora ejus Et gloriam splendidam imperii ejus. Quum per totum
Psalmum nunc secunda nunc tertia persona utatur de deo loquens,
subitus ad tertiam transitus, quamquam durior in sententia superiori
arctius juncta, tamen nihil miri habet. Constat etiam, talia saepis-
sime sibi sumere Hebraeorum poetas omnes. — *Imperium tuum* 13.
imperium est *omnium saeculorum, Et dominatio tua* est, manet
per omnes aetates. Quae post hunc versum addita leguntur a LXX
aliisque veterum, de his vid. prooemium. — *Suffulciens est*, sufful- 14.
cientem se praebet *Jova omnibus qui labant, Et erigens est*, erigen-
tem se praebet *omnibus qui incurvati*, depressi *sunt.* לְ hic et vs. 16.
Accusativi notam habent plerique. Quibus, cum e recentioribus hic
Psalmus sit, non vehementer repugnaverim; cf. 146, 8., ubi pro eo

quod hic legitur זֹקֵף לְכָל־הַכְּפוּפִים habes זֹקֵף כְּפוּפִים cum Accu-
sativo. Posse tamen etiam sine negotio verba sic ut fecimus strui
fatebuntur ipsi. Quod praeter hunc et modo laudatum locum in he-
braico sermone non reperitur זָקַף verbum usitatius est in aramaico,
15. in quo זְקַף, ܙܩܦ est *erigere, attollere, elevare.* — *Oculi omnium*
te exspectant, Et tu das eis cibum ipsorum tempore suo; cf. 104,
16. 27. — *Aperis manum tuam, Et satias omne vivum voluntate* i. e.
eo quod vult, quo delectatur unumquodque. De לְ vid. ad vs. 14.
רָצוֹן *studium, voluntas* (cf. רֵעַ 139, 2. 17., רְעוּת, רַעְיוֹן) i. e. h. l.
id quod quis cupit. Alii: *gratia*, beneficiis tuis, coll. Deut. 33, 23.
17. Sed prior ratio praeferenda ob vs. 19. — *Justus est Jova in*
omnibus viis suis, in universa quam sequitur agendi ratione, *Et*
18. *clemens in omnibus operibus,* actionibus *suis.* — *Propinquus* est
Jova omnibus invocantibus eum, Omnibus qui invocant eum sincere,
19. animo sincero. — *Voluntatem* (vs. 16.) *cultorum suorum facit, Et*
20. *vociferationem eorum audit, et juvat eos.* — *Custodit,* tuetur *Jova*
21. *omnes qui diligunt eum, Atque omnes improbos perdit.* — *Hymnum*
Jovae loquatur os meum, Et celebret omnis caro, universum genus
humanum *nomen ejus sanctum In perpetuum et sempiternum!*

PS. CXLVI. „Non in terrenorum regum ac principum, sed in dei regis potentia spem esse collocandam (vs. 1—5.), cujus et potentiam ac vires, fidem et clementiam, praesentem in afflictis rebus opem et regnandi justitiam celebrat (6—10.). Graecae Alexandrinae hujus Psalmi versioni, ceterisque, quae ex illa sunt factae, praescribitur nomen Haggaei et Zachariae, sicut et Psalmis duobus, qui proxime sequuntur. Certe quae vs. 7. et 8. hujus carminis habentur, optime congruebant reversis ex Babylone. Videntur autem omnino Psalmi hi quinque postremi initiis consecrati templi secundi usurpati fuisse. Habent pleraque haec carmina ἀπεκδοχὰς frequentes ex aliis, quorum aliqua paene centones haberi possunt.“ Ros. Primis post reditum de exsilio annis edita esse certo certius est; cf. inprimis 147, 2. 13. 14. Nec dubium, quin cuncta in templi usum facta sint.
Versus 8. hujus quod prae manibus habemus ex parte concinit cum
1. 2. 145, 14. — *Laudate Jah! Lauda, anima mea, Jovam!* — *Laudabo*
Jovam per vitam meam, dum vivam; *Fidibus canam deo meo, dum*
3. *superstes ero;* cf. 104, 33. — *Ne fiduciam collocetis in principibus,*
In homine, cui, apud quem *non est auxilium,* qui opem ferre nequit!
4. cf. 118, 8. 9. — *Exit,* migrat e corpore *spiritus ejus; revertitur*
in terram suam, in pulverem unde exstitit (Gen. 3, 19. Eccl. 12, 7.)

redigitur homo; *Illo die*, quo fit modo dictum, quo moritur, *pereunt*
consilia ejus. Quid igitur in his esse potest, in quo nitatur quis-
quam? עֶשְׁתֹּנוֹת, quod hoc solo loco reperitur idem prorsus est quod
chald. עֶשְׁתּוֹנִין *cogitationes*, *consilia* (in Targg. saepe positum pro
hebr. מַחֲשָׁבוֹת) a rad. עָשַׁת *nitere* Jer. 5, 28., hinc nitidum reddere,
fabricari, fingere, hinc *cogitare* (hebr. Hithp. Jon. 1, 6., chald. עֲשַׁת
Pe. Dan. 6, 4. et Ithp. in Targg.). — *Felicem, cujus in auxilio est* 5.
deus Jacobi, Cujus spes est in Jova, deo suo! בְּעֶזְרוֹ idem quod
בְּעֹזְרָיו 118, 7. cf. ad 54, 6. *Auxilium* enim pro concr. *auxiliato-*
ribus, adjutoribus, ut saepius alias, est positum. — *Fecit coelum* 6.
et terram, Mare et omnia, quae sunt in iis, in coelo, terra, mari;
Qui servat fidem in perpetuum. — *Agit judicium oppressis*, causam 7.
agit oppressorum, *Dat panem esurientibus, Jova vinculis expedit*
captivos. — *Jova aperit coecos*, oculos coecorum, visum restituit 8.
coecis, *Jova erigit incurvatos*, depressos, cf. 145, 14., *Jova diligit*
justos. Quod deus oculos aperire dicitur coecorum, alii de carceris
alii de ignorantiae tenebris intelligunt. Nos proprie intelligendum
putamus, sed ita, ut nil nisi exemplum hoc sit admirabilium quae
deus in pios conferat beneficiorum. — *Jova custodit*, tuetur *pere-* 9.
grinos, nudos praesidio, *Orphanum et viduam restituit*, erigit, *Et*
viam improborum pervertit, eos seducit, „efficit, ut eorum cogitata
et consilia aut nullum exitum habeant, aut longe diversum, quam
ipsi cogitarant, ut in ruinam et perniciem suam praecipites feran-
tur." Ros. — *Rex erit Jova in perpetuum, Deus tuus, Sion, per* 10.
omnes aetates. Laudate Jah!

PS. CXLVII. Conditum carmen esse, quum reversi ex Baby-
lonia exsules urbem Hierosolymitanam instaurare coepissent, indicio
sunt vs. 2. 13. 14. Nonnulla ad exemplum effecta sunt Psalmi 33.
Strophae tres: vs. 1—6: laudate Jovam, urbis sanctae restitutorem,
miserorum vindicem, totius naturae dominum potentissimum, sapien-
tissimum! 7—11: laudate Jovam, omnium animantium servatorem
beneficentissimum, cultorum suorum patronum fidissimum! 12—20:
laudate Jovam, sacrae civitatis defensorem, maximorum in populum
suum beneficiorum collatorem, legis salutaris datorem! — *Laudate* 1.
Jah! Nam bonum est, canere deum nostrum, Nam jucundum; de-
cent laudes. זַמְּרָה Inf. Pi. cum ה parag. כִּי נָעִים sc. זַמְּרָה; cf.
33, 1. — *Aedificat Hierosolyma Jova, Expulsos*, profugos, exsules 2.
Israelis congregat. — *Qui sanat fractos corde*, eos qui sunt 3.
animo afflicto, Israelitas puta solo patrio extorres, *Et obligat do-*

lores eorum. In הָרוֹפֵא vs. 3., הַמְכַסֶּה, הַמֵּכִין, הַמַּצְמִיחַ vs. 8.
et reliqua Participia articulo munita vs. 14. 15. 16. eadem prorsus
4. valent, quae monuimus ad 104, 3. — *Constituit numerum stellis,*
5. *Iis omnibus nomina imponit;* cf. Jes. 40, 26. — *Magnus est dominus noster et praepotens, Intelligentiae ejus non est numerus,*
6. mensura. — *Restituit,* erigit *afflictos Jova, Deprimit improbos*
7. *ad terram.* — *Cantate Jovae gratiarum actione, Canite deo no-*
8. *stro harpa!* — *Qui tegit coelos nubibus, Qui parat terrae pluviam, Qui germinare facit montes gramine.* חָצִיר est idem ille Accusativus, quocum construitur עָלָה Jes. 5, 6. et aliis locis. Male superiores interpretes: *qui producere facit montes gramen.* Neque enim *producendi,* sed intransitivum *germinandi* significatum habet צָמַח. Nam quod Eccl. 2, 6. legitur יַעַר צוֹמֵחַ עֵצִים nequaquam est *sylva producens arbores,* sed *sylva germinans arboribus,* ita ut hic quoque עֵצִים sit ille Acc. de quo supra. Cur germinare facere dicatur deus *montes?* Siccos quippe, respondent, et aridos, et qui nulla arte irrigari possint. Vide potius quae notavimus ad
9. 104, 13. coll. versu superiore hujus Psalmi. — *Dat pecudi cibum*
10. *suum, Pullis corvi, qui clamant;* cf. Job. 38, 41. — *Non robur equi,* equites *amat, Non cruribus viri,* peditibus *delectatur,* non delectatur neque opus est illi praesidiis, quibus reges terreni maxime delectantur, exercitibus equestribus pedestribusque; cf. 33, 16 sq. nec
11. non 20, 8. — *Delectatur Jova cultoribus suis, Iis qui exspectant*
12. *gratiam ejus.* — *Celebra, Hierosolyma, Jovam, Lauda deum tuum,*
13. *Sion!* — *Nam firmat vectes portarum tuarum, Fortunat filios*
14. *tuos in medio tui.* — *Qui facit terminum tuum tranquillum, Adipe tritici satiat te.* שָׁלוֹם Subst. pro Adj. Ad hemistichium posterius
15. cf. 81, 17. ibique not. — *Qui mittit jussum suum in terram, Celerrime currit verbum ejus,* quod fieri jubet in terris, perficitur
16. illico celerrime. — *Qui dat nivem instar lanae,* tam albam, *Pruinam*
17. *instar cineris dispergit.* — *Projicit glaciem suam instar frustorum,* grandinem intellige frustulatim in terram decidentem; *Coram*
18. *frigore ejus quis consistet?* — *Mittit verbum suum et liquefacit ea,* nivem, pruinam, grandinem; *Flare facit ventum suum: fluunt*
19. *aquae.* — *Nota fecit verba,* jussa *sua Jacobo, Statuta sua et leges suas Israeli.* דברו efferendum esse דְּבָרָו ostendit parallelismus.
20. — *Non fecit sic ulli* alii *populo,* tantis beneficiis praeter nos nullum ornavit populum, *Et leges,* divinas intellige, *non norunt eas. Laudate Jah!* cf. Deut. 4, 7 sq. 32 sqq.

PS. CXLVIII. Strophae duae: vs. 1—6: laudate Jovam,
omnes naturae, tam quae in coelo estis, 7—14: quam quae in terra!
laudate patronum Israelitarum! — *Laudate Jah! Laudate Jovam* 1.
de coelis, vos naturae coelestes! *Laudate eum in excelsis!* — *Lau-* 2.
date eum, omnes nuntii, angeli *ejus! Laudate eum, omnes exer-*
citus ejus, agmina coelestia! cf. 103, 21. — *Laudate eum, sol et* 3.
luna! Laudate eum, omnes stellae lucis! — *Laudate eum, coeli* 4.
coelorum, omnia coelorum spatia, utut vasta et infinita, *Et aquae*
quae estis super coelis! שְׁמֵי הַשָּׁמָיִם plerique significare volunt
coelos summos, sphaeras superiores illis, quas contuemur, sic postu-
lare putantes parallelismum. Sed quae Deut. 10, 14. 1 Reg. 8, 27.
2 Chron. 2, 5. habentur, suadent, ut ampliore sensu accipiatur lo-
cutio. Ad membrum posterius cf. 104, 3. et quae ibi notavimus. —
Laudent nomen Jovae! Nam si jussit, et creata sunt. — *Et stare* 5. 6.
fecit ea in sempiternum, in perpetuum; Statutum dedit, certum
ordinem iis praescripsit, *nec praeterit*, perit unquam ille ordo.
Nonnulli: *nec migrant* res creatae hunc ordinem. Sed ita difficul-
tatem creat Singularis. Magis placeret alius qui יַעֲבֹר ad deum re-
ferens: *nec migrat* ordinem. Praestare tamen videtur, referri ad חֹק
eo quem elegimus significatu. — *Laudate Jovam de terra*, vos na- 7.
turae terrestres (cf. vs. 1.), *Belluae marinae et omnes abyssi!* —
Ignis, fulgur, *et grando, nix et vapor, Procella, quae facis ver-* 8.
bum ejus, exsequeris jussa ejus! Praeter omnem necessitatem recen-
tiorum aliquis sub קִיטוֹר voce pro certa *fumi, vaporis* significatione
(Ps. 119, 83. Gen. 19, 28.) maxime incertum *glaciei* significatum
subjici jubet. Ubi ignis et aquae, ibi vapores. Ad hemistichium
posterius cf. 104, 4. — *Montes et omnes colles, Arbores frugiferae* 9.
et omnes cedri, arbores sylvestres! — *Bestiae et omnes pecudes*, 10.
Reptilia et aves volucres! — *Reges terrae et omnes nationes*, 11.
Principes et omnes judices terrae! — *Juvenes atque virgines*, 12.
Senes cum pueris! — *Laudent nomen Jovae! Nam excelsum est* 13.
nomen ejus solum, Majestas ejus excelsa *super terram et coelos.* —
Et effert cornu populo suo, Laudem omnibus piis, cultoribus *suis*, 14.
Filiis Israelis, populo propinquo suo, sibi, i. e. evehit ad potentiam
et honorem populum suum, cultores suos, Israelitas sibi sacros.
Laudate Jah!

PS. CXLIX. Vota videtur exprimere Judaeorum de exsilio reductorum, qui quo majoribus injuriis afficiebantur a populis vicinis, eo acerbiore in eos odio, ardentiore ulciscendi cupiditate flagrabant.

Strophae duae: vs. 1—4: laudate Jovam, regem nostrum, 5—9:
1. cultores suos ab hostibus vindicaturum! — *Laudate Jah! Canite*
2. *Jovae canticum novum, Laudes ejus in coetu piorum!* — *Gaudeat*
Israel de creatore suo, Filii Sionis laetentur de rege suo! In
עֹשָׂיו respici putant אֱלֹהִים Nomen plurale. Nec non dubitamus עֹשֶׂיו
habere Singularem, coll. מִשְׁתָּיו Dan. 1, 5. aliisque ibi notatis hujus-
3. modi formis; cf. G. gr. min. §. 90. extr. — *Laudent nomen ejus*
4. *chorea, Tympano,* moderante choream, *et harpa canant ei!* — *Nam*
delectatur Jova populo suo, Ornat afflictos, vexatos ab hostibus
5. Judaeos de exsilio reduces *auxilio.* — *Exsultent pii de gloria,* ad
quam perducet eos Jova, *Laetas voces tollant in cubilibus suis,* tam
privata quam publica omnium sit laetitia! Quod a nonnullis adver-
bialiter accipitur בְּכָבוֹד probabilius efficit Objectum יְרַנְּנוּ verbi; cf.
85, 10. Alius de ornatu festo, vestibus solemnibus intellectum vult,
6. quod longius petitum. — *Elationes,* celebrationes *dei sint in gut-*
7. *ture eorum, Et gladius δίστομος in manu eorum,* — *Ut repetant*
8. *ultionem a populis, Poenas a nationibus;* — *Ut vinciant reges*
9. *illorum catenis, Et nobiles illorum compedibus ferreis;* — *Ut ex-*
sequantur in illis legem scriptam, de hostibus (Cananaeis) inter-
necione delendis Deut. 7., quam recentiores Judaei non dubitabant
in suam quoque aetatem valere existimare: *Honor hic est,* honori
hoc est *omnibus piis,* cultoribus *ejus. Laudate Jah!*

PS. CL. Strophae duae: vs. 1. 2: laudate deum in terra et
1. in coelo! 3—6: laudate eum omni genere musices! — *Laudate*
Jah! Laudate deum in sacrario, templo *ejus! Laudate eum in*
2. *firmamento potentiae ejus,* in coelo! — *Laudate eum propter*
facinora ejus! Laudate eum secundum amplitudinem magnitudinis
3. *ejus!* — *Laudate eum clangore tubae! Laudate eum lyra et harpa!*
4. — *Laudate eum tympano et chorea! Laudate eum fidibus et fistula!*
5. — *Laudate eum cymbalis canoris! Laudate eum cymbalis perso-*
nantibus! צִלְצְלֵי שָׁמַע et צ׳ תְרוּעָה ita differre videntur, ut illa
sint cymbala minoris formae, haec majoris formae, majorem cientia
6. sonum (תְּרוּעָה). — *Omnis anima,* quicquid vivit et spirat, *laudet*
Jah! Laudate Jah!

PROVERBIA.

Hoc sententiarum corpus, cujus quae 1, 1—6. leguntur faciunt inscriptionem, ex pluribus partibus conflatum esse iisque his: 1, 7—9, 18.; 10, 1—22, 16.; 22, 17—24, 22.; 24, 23—34.; 25, 1—29, 27.; 30, 1—33.; 31, 1—9.; 31, 10—31., tria sunt quae docent. *Primum* cernitur in inscriptionibus his: 10, 1: מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה (ad 22, 17. cf. 24, 23.), 24, 23: גַּם אֵלֶּה לַחֲכָמִים, 25, 1: גַּם אֵלֶּה מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה אֲשֶׁר הֶעְתִּיקוּ אַנְשֵׁי חִזְקִיָּה מֶלֶךְ יְהוּדָה, 30, 1: דִּבְרֵי אָגוּר בִּן־יָקֶה הַמַּשָּׂא נְאֻם הַגֶּבֶר לְאִיתִיאֵל לְאִיתִיאֵל וְאֻכָל, 31, 1: דִּבְרֵי לְמוּאֵל מֶלֶךְ מַשָּׂא אֲשֶׁר יִסְּרַתּוּ אִמּוֹ; *alterum* continetur eo quod singulae libri partes argumento et oratione inter se discrepant, de qua re vid. quae deinceps dicentur in capite cujusque partis; *tertium* vero est quod quae in una aliqua parte habentur sententiae eaedem aliquando leguntur in aliis, cf. 24, 29. et 20, 22.; 24, 33 sq. et 6, 10 sq.; 25, 24. et 21, 9.; 26, 15. et 19, 24.; 26, 22. et 18, 8.; 27, 12. et 22, 3.; 27, 13. et 20, 16. Antiquissima totius libri pars eaque digna aetate Salomonis ipsoque Salomone (cf. 1 Reg. 4, 32.) esse videtur ea quae habetur 10, 1—22, 16. Reliquae additae. Vid. ad partem primam. Absolutus est liber post Hiskiae aetatem, 25, 1.

CAP. I, 1—6. Inscriptio qua indicatur libri argumentum et consilium. Longior est inscriptio, quales haud raro reperiuntur in libris orientalium. Principio non nisi ad ea pertinuisse videtur, quae nunc efficiunt partem primam et secundam, id est, ad 1, 7—22, 16. Dicuntur enim *Salomonis* esse quae subjiciuntur sententiae; sed 22, 17. scriptor *audi*, inquit, *verba sapientum*, ad quod cf. 24, 23. גַּם אֵלֶּה לַחֲכָמִים.

Ewaldus inscriptionem non nisi ad 10, 1—22, 16. referendam
putat, quae leguntur 1, 7—9, 18. prooemium habens. Vereor
1. ut recte. Vid. ad eam libri partem. — *Sententiae,* sententiose
2. dicta *Salomonis, filii Davidis, regis Israelis,* — *Ad cognoscendam,* discendam *sapientiam* (cf. vs. 7.) *et disciplinam, Ad*
3. *intelligenda intelligenter dicta,* — *Ad accipiendam,* admittendam *disciplinam prudentiae, Justi et legitimi et recti;*
4. — *Ad dandam,* impertiendam *imperitis peritiam, Juveni,* ju-
5. venibus *scientiam et considerantiam,* — *Ut audiat qui sapit et augeat doctrinam, Et intelligens consilia sana acquirat;*
6. — *Ad intelligenda sententiose et aculeate dicta, Verba sapientum et aenigmata eorum.* Vs. 2. 3. potissimum quaenam discenda sint dicitur, vs. 4. 5. a quibusnam, vs. 6. ex quibusnam maxime sententiis. צֶדֶק וגו' vs. 3. pariter atque הַשְׂכֵּל pendent ex מוּסַר, non ex לָקַחַת. Sunt vero הַשְׂכֵּל et rel. Genitivi non Subjecti sed Objecti. יִשְׁמַע וגו' vs. 5. *ut audiat* rel. Latet ea Conjunctio in לְ particula praemissa לָתֵת infinitivo vs. 4. G. gr. min. §. 129. adn. 2. cf. תַּטֶּה 2, 2., יִשְׁמֹר ibid. vs. 8. al. לֶקַח propr. *λῆψις, acceptio,* hinc pass. *id quod accipitur,* discitur, *doctrina, scientia;* cf. קַבָּלָה al. לְהָבִין vs. 6. non pendet ex vs. 5., sed referendum est ad vs. 1., ut לָתֵת, לָקַחַת, לְהָבִין, לָדַעַת vs. 4. 3. 2. מְלִיצָה Gesenius: „*interpretatio,* inde quod interpretatione eget, *aenigma, dictum obscurum.*" Quod longius petitum videtur. Malo voci convenienter ad Hab. 2, 6. significationem tribuere *ironiae* vel generatim *aculeate dicti.*

CAP. I, 7—IX, 18. Hanc partem Rosenmüllerus, Ewaldus et alii prooemii loco haberi putant, ut quae contineat generalem sapientiae sive vitae prudenter instituendae commendationem, eamque uno fere tenore propositam. Sane scriptor non tam quid sit sapientia docet, quam ad colendam sapientiam invitat, quae in cultores sapientiae commoda redundent exponit. Attamen praeter universalem sapientiae virtutisque commendationem haec pars promiscua morum praecepta continet haud pauca, in his 3, 27—35. 5, 1—23. 6, 1—19., aliena a prooemio. Nec verius est quod docent de nexu. Cohaerent plerumque, quae unius ejusdemque capitis, interdum non nisi versuum aliquot limitibus circumscripta sunt. Non cohaerent ipsa capita. Dele unum aliquod; non desiderabis. A generalibus

subito te translatum vides ad specialia, a specialibus ad generalia, nullo servato ordine. Tractatur eadem res diversis locis ter quaterque. Conferantur inter se Argumenta. Repererat scriptor praeter elegantissimas illas quae 10, 1—22, 16. legimus sententias hortationes aliorum ad commendandum sapientiae studium idoneas et praecepta morum, quibus fortasse de suo aliqua adjecerat. Quae, quum et ipsa digna visa essent, quae ab interitu vindicarentur, cum sententiis supra memoratis quae nunc efficiunt partem secundam, eodem ordine quo habebat in manibus in unum corpus cogenda et, quum pleraque generalis argumenti essent, illis praemittenda putavit. Quibus postea vel ab ipso vel ab aliis partes reliquae, una post alteram, subjectae sunt. Ceterum ut argumento sic oratione differt haec quam prae manibus habemus a secunda maxime libri parte. Rarae hic sententiae intra unius commatis limites conclusae; junctae pleraeque per singula capita, certe per aliquot commata, id quod jam supra tetigimus. Membrorum parallelismus interdum neglectior, aliquoties penitus neglectus. Sermo fusior et facilior ad intelligendum, sed idem minus elegans, quamvis non desint quae niteant.

CAP. I, 7—33. Vs. 7. timor dei omnis sapientiae initium et fundamentum est. 8. 9. audiat juvenis parentum monita, summum decus et ornamentum! 10—19. hominibus insidiosis, sanguinolentis, rapacibus ne se addicat juvenis, quippe ruentibus in exitium. 20—23. imperitos ad sua monita audienda palam invitat sapientia, 24—33. fore dicens, ut non audientes in rebus adversis ab ipsa derelicti digna suis studiis praemia
ferant. — *Timor Jovae est principium scientiae,* initium et 7.
fundamentum universae scientiae, *Sapientiam et disciplinam*
stulti contemnunt. Est haec sententia principalis totius libri,
male relata ab Ewaldo ad inscriptionem. cf. 9, 10: תְּחִלַּת
חָכְמָה יִרְאַת יְהוָֹה, Ps. 111, 10: רֵאשִׁית חָכְמָה יִרְאַת יְהוָֹה, Job.
28, 28: יִרְאַת אֲדֹנָי הִיא חָכְמָה, coll. not. ad Jes. 11, 2. — *Audi,* 8.
mi fili, disciplinam patris tui, Nec deseras doctrinam matris tuae! Filius appellatur discipulus 2, 1. 3, 1. al., quemadmodum *patris* nomine salutantur magistri 1 Sam. 10, 12.
— *Nam corona* florum *pulchra illa sunt capiti tuo, Et tor-* 9.
ques collo tuo. הֵם, disciplina patris et matris doctrina vs. 8.,
a te accepta. — *Mi fili, si pellexerint te peccatores, Ne* 10.

velis, consentias! הָבָא G. gr. min. §. 67, 2. §. 74. adn. 16.
11. — *Si dixerint: „i nobiscum, Insidiemur sanguini*, insidias
paremus, ut faciamus sanguinem, cf. vs. 16., *Ponamus insidias*
insonti frustra, pio nullum pietatis praemium habituro, quem
12. nihil est adjutura sua in deum pietas. — *Devoremus eos*, in-
sontes, *ut orcus* devorat *viventes*, *Et integros vitae*, pro-
bos devoremus, *ut* devorantur *qui descendunt in foveam*,
sepulcrum, mortui, id est, ita eos e medio tollamus, ut pereant
prorsus. Ewaldus: *Devoremus eos, ut orcus, vivos*, vegetos,
Et integros, valentes, incolumes devoremus eos, *ut qui* cet.
Quod quaesitum neque aptum ad imaginem, quum orcus ne-
quaquam soleat devorare *vivos* et *valentes*. חַיִּים nullo modo
est premendum. Significat *viventes* i. e. homines, ut Eccl.
6, 8., cf. אֶרֶץ חַיִּים, pertinetque ad כִּשְׁאוֹל, ita postulante כְּיוֹרְדֵי
בוֹר. Ad כִּשְׁאוֹל vero si referendum est חַיִּים, sequitur, ut
תְּמִימִים concinat cum iis qui significantur ־ֵם suffixo, i. e. cum
13. נְקִיִּים vs. 11. — *Omnis generis opes pretiosas deprehende-*
14. *mus, Implebimus domos nostras praeda*; — *Sortem tuam*
jacies inter nos, ad sortem, cui permittetur distribuenda
praeda, tu aeque ac nos admitteris, praedae particeps eris,
Marsupium unum erit nobis omnibus," quo membro idem
15. exprimitur, quod priore. — Sequitur apodosis. *Mi fili, ne*
eas in via cum iis, ne eadem cum iis via eas, *Cohibe pedem*
16. *tuum a tramite eorum!* — *Nam pedes eorum ad malum*, ad
perpetranda mala *currunt*, *Et properant ad fundendum san-*
17. *guinem*. — Novum argumentum. Frustra illi piis insidias pa-
rant vs. 17., sed in suum ipsi ruunt exitium vs. 18. *Nam*
frustra expansum est rete In oculis omnium alatorum.
C. B. Michaelis: „sensus est: frustra aucupes esse, cum retia
palam et spectantibus avibus volvant revolvantque, nec eos
quidquam facile capturos." Ad quae cf. illud Ovidii Quae ni-
mis apparent retia vitat avis. Rosenmüllerus: „latrones illi in-
cauti nimis et praecipites in suum exitium ruunt avium more,
quae ubi escam advertunt juxta rete, tanta in illam cupiditate
feruntur, ut rete coram ipsis expansum et exitiosum non ani-
madvertant, nec curent; ita avibus frustra est rete expansum,
quod eas a descendendo ad grana devoranda deterrere debuit.
Sic improbi et perditi homines ita quaestus desiderio flagrant,
ut rete tensum non animadvertant, id est, malum, quod im-

pendet ex scelere, vel a judice et magistratu, si capiatur, vel certe a deo." Similiter Umbreitus vs. 17. et 18. hunc sensum fundere docet: „quemadmodum rete frustra expansum est in oculis avium, i. e. quemadmodum aves se indunt in rete licet ante ipsorum oculos expansum, ita insidiosi isti homines, qui aliis perniciem parant, in exitium ruunt non animadversum." Neque aliter Ewaldus. Quarum interpretationum nulla satis apta est. *Rete expansum in oculis omnium avium* non est rete expansum palam, spectantibus omnibus avibus, sed expansum ita, ut ejus escam animadvertere omnes aves possint, ut in oculos cadat ejus esca omnium avium, ita ut hic prodeat facillimus aptissimusque hujus et vs. 18. sensus: frustra isti scelerati insidias ponunt piis (vs. 11.) quam possunt plurimis vs. 17., nemo illorum capitur; sed capiuntur ipsi, ruunt ipsi in exitium, quod pararunt aliis vs. 18. מְזֹרָה Part. Pu. זָרָה verbi, *expansum*, a *spargendo* enim proficiscitur *expandendi* notio, cf. זָרַע et alia. בַּעַל כָּנָף *alatus* poet. de volucre, ut בַּעַל כְּנָפַיִם
Eccl. 10, 20. — *Et illi suo* ipsorum *sanguini insidiantur,* 18.
Ponunt insidias suae ipsorum *vitae*. vid. ad vs. 18. coll. vs.
11. — *Sic* sunt *viae*, id est, haec est sors *omnis qui rapit* 19.
rapinam, rapinas facit, aliorum in fortunas imminet, *Vitam domini ejus*, rapinae, i. e. vitam ejus qui rapinam facit, *aufert* ea rapina. אֹרַח פ' translate et hic quidem passive: ratio qua cum aliquo agitur, sors alicujus, ut Job. 8, 13. et saepe דֶּרֶךְ, ut Ps. 37, 5. Ad בְּעָלָיו, cujus suffixum referendum est ad בֹּצֵעַ, quod idem Subjectum facit יִקַּח verbi, conferantur
16, 22. al. — *Sapientia foris clamorem tollit, In plateis* 20.
edit vocem suam. Quod hic et 9, 1. 24, 7. Ps. 49, 4. legitur חָכְמוֹת est nomen singulare. Plurale quidem indicare videri possit quod hoc loco sequitur verbum תָּרֹנָּה, item quod 24, 7. habetur Praedicatum רָאמוֹת. Sed 9, 1. manifeste construitur cum Sing., חָכְמוֹת בָּנְתָה בֵיתָהּ, et hoc quem tractamus loco in membro parallelo habetur verbum sing. תִּתֵּן, ut non temere statuere videare, esse תָּרֹנָּה pro תָּרֹן positum, ut תָּבוֹאתָה Deut. 33, 16. pro תָּבוֹאת i. e. תָּבוֹא; quid? quod idem illud תָּרֹנָּה infra 8, 3. post plura alia verba sing. (תִּקְרָא, תִּתֵּן, נִצָּבָה) Praedicatum efficit Subjecti חָכְמָה; רָאמוֹת vero 24, 7. nihil prorsus obstat quo minus habeatur nomen substantivum. Accedit, quod forma vicina חַכְמוֹת 14, 1. et ipsa copulatur cum sing. חַכְמוֹת נָשִׁים

בָּנְתָה בֵיתָהּ. Est autem חָכְמוֹת forma secundaria formae ־וּת, cf. הוֹלֵלוֹת et הוֹלֵלוּת. *Foris, in plateis* quae clamat sapientia,
21. palam clamat, audientibus omnibus. — *In capite*, compito *locorum strepentium clamat; In ostiis portarum, in urbe dicta sua dicit.* רֹאשׁ ut Thren. 2, 19. הֹמִיּוֹת Part. vim habens nominis substantivi: *loca strepentia* turbis discursitantibus. cf. Jes. 22, 2. Non necessario cogitatur de plateis. בָּעִיר ab ante-
22. cedentibus separabis; sin minus, satis otiosum erit. — „*Quousque, imperiti, amabitis imperitiam, Et irrisores*, i. e. qui sanctissima quaeque pietatis praecepta ferociter contemnunt, *irrisione delectantur*, delectabuntur *sibi, Et stulti odio habebunt scientiam?* תְּאֵהֲבוּ hoc solo loco, quoad sedem vocalis plane ut
23. תֵּאָכְלֵהוּ, pro תֶּאֱהָבוּ, cf. תֵּאָתֶה coll. G. gr. min. §. 67, 1. — *Convertatis vos ad reprehensionem meam! En, effundam vobis spiritum meum*, mentem meam, cogitata mea, cf. quod sequitur
24. membrum tertium, *Nota faciam verba mea vobis.* — „Post interjectam aliquam moram, quum ad monita sua audienda invitanti nemo aurem praeberet, ita pergit cet.“ Ros. In eadem sententia Umbreitus, alii. Sed nulla opus est mora. Iam antea invitaverat sapientia, noluerant aurem praebere invitati. cf. vs. 22. Itaque sapientia, quoniam, inquit, ad hoc usque tempus ad audienda mea monita vocantem audire noluistis: neque ego vos audiam, si oppressi malis in auxilium me vocaveritis 24 sqq. *Quia vocavi, et* vos *renuistis, Extendi manum meam, nec*
25. *fuit qui attenderet,* — *Et rejecistis omne consilium meum,*
26. *Et reprehensionem meam noluistis*, repudiastis: — *Etiam ego* non auditura *in exitio vestro ridebo, Subsannabo, cum venerit terror vester.* Verborum יַעַן קָרָאתִי וגו' vs. 24. eadem ratio est quae ll. Jes. 5, 4. 50, 2. cet. Sunt enim pro: quia me
27. vocante renuistis cet. — Quae hoc vs. habentur cum praegressis copulant interpretes excepto de Wettio, qui ea cum vs. 28. construenda putavit: recte, opinor; sic enim major verborum vis oritur. Favet quidem priori sententiae, quod vs. 27. scriptor secunda persona utitur, ut vs. 24. 25. 26., contra vs. 28. tertia. Sed leve hoc videtur, quum frequentissima sit personarum mutatio. Ceterum in hac nova sententia scriptor non sine elegantia repetit פַּחְדְּכֶם et אֵידְכֶם, sed auctum utrumque, prius apposito כְּשׁוֹאָה, posterius addito כְּסוּפָה. *Cum venerit ut tempestas terror vester, Et exitium vestrum ut turbo ingruerit, Cum su-*

pervenerint vobis angustiae et miseriae: — Tunc vocabunt 28.
me, nec respondebo; Quaerent me, neque me invenient. Pro
שַׁאֲוָה Ketib vs. 27., quod alias non legitur, Keri usitatum expri-
mit שׁוֹאָה. — *Pro eo quod oderunt scientiam, Et timorem* 29.
Jovae non elegerunt, — Non obtemperarunt consilio meo, 30.
Spreverunt omnem meam reprehensionem: — Edent de 31.
fructu viae suae i. e. ejus quam sequuti sunt agendi rationis
praemia ferent, *Et consiliis suis* i. e. eorum fructibus *satia-
buntur* i. e. plenam suorum consiliorum mercedem accipient,
respondebit eorum studiis eventus plus quam satis. וְ praemis-
sum apodosi. דֶּרֶךְ ut saepe alias transl. et quidem active de
ratione qua quis agit. Ad integram locutionem cf. illud *serere,
metere bona, mala* (cf. ad Hos. 6, 11.). — *Nam defectio im-* 32.
peritorum a me, sapientia, *perimit eos, Et socordia stulto-
rum,* qua meam disciplinam negligunt, *eos perdit.* Quorum
verborum nonnulli hunc sensum faciunt: nam defectio imperi-
torum aliorum perimit eos, de quibus supra dictum est cet., id
est, nam in perniciem eos trahunt quae sequuntur exempla de-
fectionis aliorum rel. Quae ratio prorsus aliena est a nexu, qui
docet, ־ֵם suffixum ad ipsos פְּתָיִם et כְּסִילִים referendum esse,
hos vero non differre ab iis, de quibus supra dixerat, verbo,
sensum eum esse, quasi scripsisset: כִּי תַהֲרֹג פְּתָיִם מְשׁוּבָתָם
וּכְסִילִים שַׁלְוָתָם תְּאַבֵּד. — *Et,* sed *qui me audit,* mihi obtempe- 33.
rat, *habitabit secure, Et tranquillus erit a metu mali.*"

CAP. II. Vs. 1. 2. invitatur ad colendam sapientiam, 3—9. ut quae impertiat cognitionem et cultum dei, et intelligentiam recti; 10—22. considerantiam, qua te serves ab hominibus perversis, a libidinosae mulieris perniciosis illecebris, contra agendi rationem teneas proborum, qui soli maneant incolumes, pereuntibus improbis. Sunt, si discesseris a vs. 1. 2. (cf. tamen adnot. ad vs. 2.) duae totius capitis sententiae majores, una vs. 2—9., altera vs. 10 seqq. Utraque est composita, constans ex protasi et apodosi. Ac prioris quidem sententiae duplex est ut protasis, אִם vs. 3., אִם vs. 4. (fortasse triplex, cf. ad vs. 2.), sic apodosis, אָז vs. 5., אָז vs. 9; posterioris autem simplex est et protasis vs. 10., ubi pro אִם *si,* quod est vs. 3. 4., positum כִּי *quando,* et apodosis vs. 11., sed tripartita hujus apodoseos sententia secundaria, respondentibus sibi invicem vs. 12. 16. 20. Ewaldus unam tantummodo totius ca-

pitis (cf. etiam ad vs. 2.) sententiam esse judicat, cujus apodo-
sis; quae incipiat a vs. 5., tribus constet membris, quorum unum-
quodque desinat in sententiam causalem, praemisso כִּי, vs. 6.
10. 21. Verum qui quod vs. 10. habetur כִּי significare jubet
nam, intolerabilem creat demonstrationem in orbem, quum quae
vs. 10. leguntur ab iis quae leguntur vs. 3. differant verbis tan-
1. tum, re non differant. — *Mi fili* (cf. ad 1, 8.), *utinam suscipe-*
2. *res dicta mea, Et praecepta mea reconderes apud te,* — *Ut*
praeberes sapientiae aurem tuam, Flecteres cor tuum ad
intellectum! Cum Umbreito Ewaldus אִם vs. 1. non *o si, utinam,*
sed *si*, ut vs. 3. 4., כִּי vero vs. 3., quod nos *nam* significare
putavimus, esse *quin imo* existimat in hanc sententiam et hoc
nexu, vs. 1: *Mi fili! si susceperis dicta mea, Et praecepta*
mea condideris apud te, vs. 2: Ut praebeas sapientiae au-
rem tuam, Flectas cor tuum ad intellectum; vs. 3: imo si
intelligentiam rel. Non male profecto. Nam cum vs. 3. 4.
אִם significet *si*, est sane, quod suspiceris, eundem significatum
subjiciendum esse vs. 1. quoque. Accedit, quod vs. 3. mani-
feste oratio augetur. Alteram tamen interpretationem commen-
dat hoc, quod initio scriptor hortationem suam paucis exprimere
eique mox causam subjicere amat, cf. in propinquo posita exem-
pla 1, 8 sq. 3, 1 sq. 4, 1 sq. 5, 1. 2 sq. al. Itaque dubitabun-
dus equidem haereo inter utramque interpretationem nec quid-
quam audeo definire. Ceterum תַּטֶּה verbi finiti praegresso
לְהַקְשִׁיב eadem ratio est, quam vidimus in יִשְׁמַע 1, 5. praegresso
3. לָקַחַת. — *Nam si* (fortasse: *imo si*, vid. ad vs. superiorem) *in-*
telligentiam vocaveris, eam invitaveris, ut ad te veniat, *Ad in-*
tellectum edideris vocem tuam, eum ut ad te veniat rogaveris;
4. — *Si quaesiveris eum tanquam argentum*, in terrae visceri-
bus absconditum, si quaesiveris intellectum summo studio, *Ac*
5. *velut thesauros reconditos investigaveris eum:* — *Tunc in-*
telliges timorem Jovae, intelliges, quid sit, in qua re consistat
Jovam colere, disces Jovam vere colere, *Et cognitionem dei invenies*,
6. et quae sit ejus natura, quae voluntas intelliges. — Quae sequuntur vs.
6—8., male ab Umbreito et aliis in parenthesi interposita, quippe
non recte intellecta, causam reddunt, cur, qui sapere sedulo stu-
deat, deum discat noscere et colere; etenim a deo proficisci om-
nem sapientiam, deum esse qui efficiat, ut rectam agendi ratio-
nem teneant probi, in quo ipso vera sapientia cernitur (1, 7.).

Etenim Jova dat sapientiam; Ex ore ejus est *cognitio et in-*
tellectus. — *Is recondit* apud se largiendum *rectis,* recte agen- 7.
tibus *consilium, Clypeum integre viventibus,* — *Ut servet* 8.
iis, piis *semitas justi,* recti, quo efficiat ut teneant pii tramitem
recti, *Et viam,* agendi rationem *piorum suorum* ut *custodiat.*
Pro וְצָפַן vs. 7. Keri יִצְפֹּן. תּוּשִׁיָּה non, quae est interpretatio
Umbreiti, de Wettii, Ewaldi, aliorum, *salus* est, qui significatus
a nexu alienus, sed, quae est primaria notio, *ratio recta, con-*
silium rectum. מָגֵן quod nonnulli: *clypeus* est (Jova) signifi-
care, alii appositione cohaerere putant cum Subjecto צָפַן verbi,
pariter atque תּוּשִׁיָּה ex צָפַן potius videtur pendere. *Ratione*
recta ornantur a deo et *proteguntur* ab eo pii, ut in agendo
de re quavis recte judicent neque unquam a recto aberrent. Quod
intelligimus ex vs. 8. נְצֹר infinitivi Subjectum sintne pii, an deus,
incertum. Attamen, quum in antecedentibus et subsequentibus
Subjectum sit Jova, Jova Subjectum hic quoque videtur efficere.
Cogitando suppressum putabis לָהֶם *iis,* piis, eorum in commodum.
Plane a vero aberrat Umbreitus, לִנְצֹר idem valere judicans quod
יִצֹּר, quod impossibile hoc nexu. Nec verius idem חסידו legit
חֲסִידוֹ legendum חֲסִידָו. Res nota. De יִשְׁמֹר vid. ad vs. 2.
Alii tamen, inter hos Rosenmüllerus, non dubitant posterius he-
mistichium absolute capere hoc modo: *et viam piorum s. cu-*
stodit, quod et ipsum ferri potest. Ceterum ad הֹלְכֵי תֹם vs. 7.
conferendum הוֹלֵךְ תָּמִים Ps. 15, 2. — Absolvit sententiam prio- 9.
rem ita, ut quae reliqua sunt superioribus annectat repetito אָז
quo usus erat vs. 5. initio. *Tunc intelliges quod justum et*
legitimum est, Et quod rectum est, omnem orbitam, viam *bo-*
nam. מַעְגַּל־טוֹב possit esse *orbita* viri *boni.* Sed suadet
parallelismus, ut טוֹב habeatur pro abstracto. — Sententia poste- 10.
rior. *Cum venerit sapientia in cor tuum, Et scientia animo*
tuo fuerit grata: כִּי *quum, quando,* respondens אִם particulae
vs. 3. 4. et fortasse etiam vs. 1. (vid. ad vs. 2.), qua ratione vo-
culam acceperunt veteres quoque. Causam vid. in Prooem. Non
nam sed *quando* significare כִּי, inprimis ostendit hemistichium
posterius. Ceterum in דַּעַת יִנְעָם Infinitivum (vim nominis ha-
bentem) cum verbo masc. constructum vides nulla habita ratione
formae. — Apodosis. *Consideratia custodiet te, Intellectus* 11.
te tuebitur, — *Ut liberet te a via* hominis *mali,* ab eo vivendi 12.
modo, quem sequitur vir malus, *A viro, qui loquitur perversa.*

21. mando. — *Nam recti*, probi *habitabunt terram*, patriam, puta,
salvi et incolumes, *Et integri superstites manebunt in ea.* Vid.
22. quae disputavimus ad Ps. 25, 13. coll. not. ad Ps. 37, 9. — *Et*
improbi e terra exstirpabuntur, Et perfidi evellentur, ex-
pellentur *ex ea.*

CAP. III, 1—26. Vs. 1—12. admonetur juvenis, ut observet praecepta ipsi data, benigne et sincere agat, fiduciam ponat in deo potius quam in sua ipsius prudentia, deo quae debeantur offerat, dei castigationem patienter ferat, propositis singularum virtutum praemiis. 13—26. in universum evocatur ad colendam sapientiam, positis ante oculos ejusdem commodis. —
1. *Mi fili, doctrinae meae ne obliviscaris, Et praecepta mea*
2. *servet cor tuum! — Nam longitudinem dierum annorumque*
3. *vitae Et salutem augebunt tibi. — Benignitas et fides ne de-*
serant te, noli unquam intermittere, cum aliis benigne et sin-
cere agere; *Alliga eas*, benignitatem et fidem *collo tuo*, summa
cura eas virtutes serva, *Inscribe eas tabulae cordis tui*, nulla
unquam illarum oblivio te capiat. Suffixum in קָשְׁרֵם et כָּתְבֵם
nonnulli referunt ad תּוֹרָתִי et מִצְוֹתַי vs. 1. Quae ratio firmari
potest exemplis quae habentur 1, 9. 6, 21. 7, 3. Ibi tamen
quae proxime praecedunt sunt *praecepta*, hic vero proxime prae-
cedunt חֶסֶד וֶאֱמֶת, ut vix dubium sit, quin has virtutes respiciat
suffixum. Eas autem cum *collo alligare* jubetur juvenis, Ewaldus
et alii de ornamento cogitant. Comparantur sane colli ornamento
praecepta parentum 1, 9. Sed alius est nexus illius, alius hujus
loci. Ostendit membrum tertium, cogitandum esse de torque
aut monilibus, non quod sint ornatui, sed quod sollicite serven-
tur, summa cura custodiantur, ut vix deflectantur ab iis oculi,
quem eundem sensum habes 6, 21. et 7, 3. eodem nexu. Cf.
4. etiam Exod. 13, 9. 16. Deut. 6, 8. 11, 18. — Apodosis. *Et*
inveni, invenies *gratiam et curam benignam In oculis dei et*
hominum i. e. tunc te dignum gratia deus, cura sua et studio
homines habebunt. De וּמְצָא G. gr. min. §. 127, 2. שֵׂכֶל propr.
attentio, hinc h. l. *studium* erga aliquem, *cura*, a שָׂכַל Hi. at-
tendere ad, hinc curare aliquem, cf. inprimis Ps. 41, 2. Plerique
שֵׂכֶל טוֹב *felicitatem bonam* significare putant, quae significatio,
quum הִשְׂכִּיל etiam prudenter agere, hinc rem prospere gerere,
felicitate uti, significet (quia qui prudenter agit, solet rem prospere
gerere, cf. illud מַשְׂכִּיל עַל־דָּבָר יִמְצָא־טוֹב Prov. 16, 20.), et ipsa

ferri potest. Verum ad eam significationem, qua ipsum שֶׂכֶל
(שֵׂכֶל) gaudet reliquis locis, intelligentiae, inquam, significatio-
nem, propius quam felicitatis notio accedit ea, quam nos supra
subjecimus, notio attentionis, studii, curae. Ewaldus et hoc
loco *intelligentiae* significatum tenendum existimat, quo servato
hic fere prodibit sensus: ***Et invenies gratiam et intelligentiam***
bonam, rectam, veram ***In oculis dei*** rel. i. e. tunc te dignum
gratia deus, recte intelligentem homines habebunt. Sed durius
videtur, ***invenire intelligentiam in oculis alicujus*** dictum pu-
tare pro ***intelligentem haberi ab aliquo;*** accedit, quod sic
claudicat parallelismus. — ***Fiduciam pone in Jova toto corde*** 5.
tuo, Neve intelligentiae tuae, quae te servare non potest, ***in-***
nitare! — ***In omnibus tuis viis,*** quidquid agis, ***cura eum,*** animum 6.
adverte ad deum, reputans, sine deo te nihil posse, ***Et is rec-***
tas faciet semitas tuas, faciet ut res tuae bene cedant. יָדַע ut
27, 23. al. Ad hemistichium posterius cf. 11, 5. — ***Ne sis*** 7.
sapiens in oculis tuis, ne tibi videare sapiens, ut tua ipsius
ope te stare posse credas, nihil enim tua te sapientia juvare
potest; ***Time,*** cole ***Jovam, et recede,*** abstine ***a malo,*** a sola
pietate et probitate salutem exspectans! — ***Sanatio*** id ***sit um-*** 8.
bilico tuo, Et recreatio ossibus tuis! i. e. hoc quod dixi, pie-
tas in deum (vs. 7.), in rebus adversis tuas leniat curas! Praeter
omnem necessitatem תְּהִי indicative acceptum volunt. Quid?
quod hac ratione nervus loci infringitur, elegantia deletur. Recte
et pulchre et graviter quod pietas in deum efficere potest, ***ju-***
betur efficere. שֹׁר voci non est cur alium significatum tribuas
atque is est quem habet Ezech. 16, 4. cf. etiam Cant. 7, 3., ***um-***
bilici, inquam. Ad sanandos multos, praesertim intestinorum
morbos emplastra, malagmata et unguenta *alvo* admovere sole-
bant et etiam nunc solent, Ros. A. u. N. Morgenl. IV, 127.
Quod LXX pro לְשָׁרֶּךָ habent *τῷ σώματί σου,* Syrus *carni tuae,*
ex eo Ewaldus eos interpretes לִשְׁאֵרֶךָ legisse festinantius colle-
git, coll. 4, 22. Nil nisi liberior interpretatio est. Ceterum
conf. ad שָׁרֶּךָ Ges. gr. min. §. 22, 4. שִׁקּוּי propr. ***irrigatio,***
habita ratione medullae, cf. Job. 21, 24. — ***Honora Jovam de*** 9.
tuis opibus, offerendis sacrificiis de tuis opibus, ***Et de primi-***
tiis omnis tui proventus! cf. Exod. 23, 19. al. Ewaldus מִן com-
parandi particulam habet, sic verba transferens: „ehr' Jahve
mehr als dein Vermögen, als Köstlichstes all des Gewinnes

hibeas beneficium a domino ejus, ne deneges beneficium illi cui
debetur, egeno, *Cum est in potestate manuum tuarum, facere*
illud, cum fuerit in potestate tua, dare beneficium. Ad בְּעָלָיו cf.
17, 8. De locutione הָיָה לְאֵל יָדֶיךָ vid. ad Mich. 2, 1. Fortasse
tamen לְאֵל in hac locutione nihil aliud est, quam praepositio com-
posita ex ל et אל praepositionibus, ita ut יֶשׁ־לְאֵל יָדִי non nisi ple-
nius dictum sit pro יֶשׁ־אֶל־יָדִי aut יֶשׁ־לְיָדִי, *est ad manum meam*
vel *in manu mea,* in quam eandem conjecturam ante me incidisse
nunc video Alb. Schultensium ad Job 16, 21. Cf. Ges. Thes. I.
p. 48. Favet quod vs. 28. huic locutioni respondet simplex וְיֵשׁ
אִתָּךְ. Quod אל alias semper scribitur אֶל־, אֵל, hoc rarius, non
videtur multum ponderis habere. Neque enim desunt exempla.
Sic בֵּן, quod, quemadmodum אֵל ab אֵלָה, descendit a בָּנָה, con-
structum cum alio nomine solet בֶּן־ scribi, rarius בֶּן et בַּן, scribi-
tur tamen etiam בֵּן Gen. 49, 22. Ceterum pro יָדֶיךָ Masorethae:
יָדְךָ convenienter ad reliquos locos, qua ipsa de causa Dualem tu
28. sanum dices. — *Ne dicas aliis: „i, redi, Cras dabo!" cum sit*
penes te, quum statim possis dare. Pro רֵעֶיךָ Masorethae רֵעֲךָ
alteri, haud dubie ob Singularem qui sequitur. At *singulis* dici-
tur illud לֵךְ וָשׁוּב. Sanus igitur Pluralis. De verbis postremis,
quae bene jam Vulg. *quum tamen statim possis dare,* vid. ad Ps.
2, 6. Eadem ratio hemistichii posterioris vs. 29. Ceterum cf.
illud Senecae: ingratum est beneficium, quod diu inter manus
dantis haesit; nam qui tarde fecit, diu noluit; item Publii Syri
29. illud: inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. — *Ne machi-*
30. *nare contra alterum mala, Cum is secure tecum habitet.* — *Ne*
31. *litiges cum aliquo sine causa, Si non affecerit te malo.* — *Ne*
invideas homini violento, quem rebus secundis uti vides, *Neque*
eligas ullam viarum ejus, ullam ejus viam, agendi rationem. Ad
32. hemistichium prius cf. Ps. 37, 1. — *Nam abominatio Jovae est*
homo perversus, abhorret ab homine pravo Jova, *Et*, sed *cum*
rectis familiaris consuetudo ejus, familiare ipsi commercium
33. est, ut Ps. 25, 14. — *Exsecratio Jovae* est *in domo improbi,*
manent improbum mala a deo denuntiata improbis, *Et sedi jus-*
torum fausta optat, sed justorum sedes idem fortunat. Ad prius
34. membrum cf. Mal. 2, 2. ibique not. — *Si irrisores*, homines
protervos, pietatis praecepta ferociter contemnentes, *ille irridet:*
Demissis exhibet gratiam. Qui hoc loco et aliis אִם significare
docent *en, ecce,* eorum sententiam confutavimus ad Hos. 12, 12.

p. 283. — *Honorem sapientes obtinent, Et, sed quicunque stul-* 35.
tus est, aufert ignominiam. Membrum posterius Ewaldus: *stultos exaltat ignominia*, id est, famat, infamat, famosos reddit ignominia. Quae non inelegans, sed audacior interpretatio est. Umbreiti explicatio haec est: *stultos aufert ignominia.* Eadem vis הָרִים verbi Jes. 57, 14. Ez. 21, 31. Aptior tamen ad membrum prius, quanquam structura durior, ea est, quam nos secuti sumus. Eandem structuram vidimus eodem hoc cap. vs. 18, ubi cf. adnot.

CAP. IV. Vs. 1—9. juvenis ad observanda praecepta sapientiae excitatur, 10—19. deterretur ab ea agendi ratione, quam sequuntur improbi, 20—27. ut recte et sincere agat admonetur, propositis semper praemiis. — *Audite, filii, disciplinam patris, Et* 1.
attendite, ut cognoscatis intelligentiam, discatis recte intelligere. *Pater* et *filius* improprie accipiendi (cf. ad 1, 8.), quanquam vs. 3. accepti proprie. — *Nam doctrinam bonam trado vobis; In-* 2.
stitutionem meam ne deseratis! De לֶקַח vid. ad 1, 5. — *Nam* 3.
filius i. e. cum vi: veri nominis filius ideoque carissimus *fui patri meo, Tener et unicus matri meae*, i. e. quem summae curae habuit mater. Quod eo consilio profert, ut ostendat, fuisse se summa parentum diligentia a puero doctum, nec temere bonam vocasse doctrinam suam. — *Et docuit me* pater, *et dixit ad me: Teneat* 4.
verba mea cor tuum, Serva praecepta mea, et vive! i. e. et vives, vid. ad 3, 4., i. e. incolumis, beatus eris. — *Compara* tibi 5.
sapientiam, compara intelligentiam! Ne obliviscaris, neve declines a dictis oris mei! מֵאִמְרֵי פִי pariter atque ad תֵּט pertinet ad תִּשְׁכַּח, nam hoc quoque constructum reperitur cum מִן Ps. 102, 5., quod fugisse video plerosque. — *Ne deseras eam*, sapientiam, 6.
et servabit te; Ama eam, et tuebitur te. — *Initium sapientiae* 7.
est: compara sapientiam, Et omnium facultatum tuarum pretio compara intelligentiam! pro: initium sapientiae est comparare cet. Quae verba cum iis, quae 1, 7. et locis ibi laudatis leguntur, non pugnant. In illis enim de fundamento agitur quo nitatur, de re qua contineatur sapientia, quod fundamentum, quae res dicitur esse pietas; hic vero qui sapiens (pius et intelligens) fieri velit ante omnia debere dicitur sapere serio cupere et sapientiae comparandae causa, quaecunque possideat, si opus sit, exponere. Priores loci ipsam naturam respiciunt sapientiae, hic ejus studium. — *Effer eam*, eam magni aestima, cole, *et exaltabit*, 8.

evehet ea te; *Honorabit te*, perducet te ad honores, *si amplexus*
9. *fueris eam.* — *Dabit capiti tuo sertum pulchrum, Corona*
splendida donabit te. מִגֵּן verbi videtur eadem radix esse, quae
est מָגַר, מָכַר aliorumque, emollito ר in ן. Ea autem radix signi-
ficat fodere, hinc praeter alia aperire, hinc projicere, vendere, tra-
dere, donare, quo significatu מִגֵּן gaudet h. l. De dupl. Acc.,
quocum praeter h. l. non construitur, vid. G. gr. min. §. 136, 2.
10. Ad rem cf. 1, 9. — *Audi, mi fili, et accipe*, admitte *dicta mea*,
Et multi erunt tibi anni vitae, ad quod posterius membrum cf.
11. 3, 2. — *In via sapientiae instituo te*, monstro tibi eam viam,
agendi rationem, quae est sapientis, *Facio ut incedas in orbitis*,
12. viis *rectis*. — Persistit in imagine, q. d. Quas vias ingressus
Cum incedes, non arctabitur gressus tuus, nulla tibi objicientur
impedimenta, *Et si curres, non lababis.* Sensus: rectam agendi
rationem si secutus fueris (vs. 11.), omnia quae susceperis feliciter
conficies. Nimis valde nonnullos verba video pressisse. Ut via,
orbita imago est certae agendi rationis, sic incedere, cujus mera
13. amplificatio est currere, imago est agendi. — *Firmiter tene dis-*
ciplinam, ne missam facias; Custodi eam, nam ea est vita tua,
te servat incolumem, cf. 3, 18. 22. אַל־תֶּרֶף etiam *ne remittas*
manum significare possit, omisso יָד, ut alias. Sed simplicior
altera ratio. נִצְּרֶהָ injecto Dag. ut נִצְּרָה Ps. 141, 3. Suffixum
14. respicit חָכְמָה. — *In semitam improborum ne venias, Neque in-*
15. *cedas in via malorum!* — *Rejice eam, ne incedas in ea; De-*
16. *flecte ab ea, et praeteri!* — *Etenim non dormiunt, nisi male*
fecerint, Et rapitur somnus eorum, ipsis somnus, *nisi lapsi*
fuerint, prava facinora fecerint. Pro יִכְשׁוֹלוּ Masorethae legi ju-
bent יַכְשִׁילוּ (nisi) *labi fecerint*, aliquem, iisque obtemperarunt
praeter alios Rosenmüllerus, de Wette, Umbreit. Quam scripturam
nos nec rejiciendam temere, nec festinantius recipiendam putamus.
Pugnat pro Ketib, quod יִכְשׁוֹל forma est difficilior, quum Impf. Kal
praeter hunc locum non reperiatur. Verum quod versu seq. re-
spiciuntur mala illata aliis, ex eo aliquid praesidii accipit Keri. Idem
legisse videntur veterum nonnulli. Ex יָרֵעוּ, quod respondet voci
de qua quaeritur, nihil certi colligitur. Id enim et absolute male
agere et male facere aliis potest significare. Si prius, praeferen-
17. dum videbitur Ketib, sin posterius, Keri. — *Edunt enim panem*
improbitatis, Et vinum injuriarum bibunt i. e. vivunt ex male
partis. Umbreitus verba sic est interpretatus: *edunt* velut *panem*

improbitatem, Et velut *vinum injurias bibunt* i. e. vitiis illi ita
dediti sunt, ut ex iis quasi vivant, quemadmodum alii ex cibo ac
potu, coll. Job. 15, 16: אִישׁ שֹׁתֶה כַמַּיִם עַוְלָה et ibid. 34, 7: יִשְׁתֶּה־
לַעַג כַּמָּיִם. Verum eo modo ne struas verba, impedit יַיִן forma, quae
semper est constructa, etiam Cant. 7, 10, contra atque opinatur vir do-
ctus. Miror non vidisse hunc interpretem, posse verba eo modo strui,
quem postulant linguae leges, quoque nos struximus, et tamen ferre
eum quem ipse fecit sensum. Sane hoc *edunt panem improbitatis,
vinum injuriarum bibunt* dictum haberi potest pro: panis quem edunt
est improbitas, vinum quod bibunt sunt injuriae, in hunc sensum:
victus eorum quotidianus sunt improbitas et injuriae, ex his vi-
vunt, his toti imbuti, his dediti sunt. Sed artificiosiorem hanc
interpretationem esse neminem fugit; itaque praeferendam putavi-
mus eam, quam supra expressimus, expressam jam a veteribus. —
Semita, via *justorum similis est luci solis; Magis magisque* 18.
lucet usque ad meridiem, proborum conditio semper laetior fit,
quemadmodum lux solis antemeridiani progrediendo crescit. אֹרַח
ut 1, 19. al. passive de vitae conditione. נֹגַהּ *splendor* hic concr.
sol oriens, antemeridianus, cf. Jes. 62, 1. הוֹלֵךְ וָאוֹר procedens,
incrementa capiens, *crescens et lucens est,* nam אוֹר hic Parti-
cipium est, i. e. *crescit et lucet,* i. e. *magis magisque lucet,* pa-
rataxi posita pro syntaxi, 1 Sam. 2, 26. 2 Sam. 3, 1. 15, 12.
2 Chr. 17, 12. Esth. 9, 4. Jon. 1, 11. al. Eadem parataxis pro syn-
taxi habetur alias, ut in illo אַל־תַּרְבּוּ תְדַבְּרוּ 1 Sam. 2, 3. נְכוֹן הַיּוֹם
tempus meridianum dicitur, quo sol videtur immotus stare. vid.
Ges. Lex. inpr. Thes. p. 667. Vulg. *usque ad perfectam diem.* —
— Opponitur improborum misera conditio. *Via,* vita, vid. ad vs. 19.
sup., *improborum similis est tenebris,* periculosa; *Nesciunt* im-
probi, *quo impingant,* semper periculum est ne cadant, pereant.
— *Mi fili, ad verba mea attende; Ad dicta mea inclina aurem* 20.
tuam! — Ne recedant ab oculis tuis! Custodi ea in medio 21.
cordis tui! לוּז Hi. propr. recessum facere, hinc *recedere,* idem
quod Kal 3, 21. De forma יַלִּיזוּ vid. Ges. gr. min. §. 71. adn. 9.
— *Nam vita sunt,* salutem afferunt *invenientibus ea,* omni qui 22.
assequitur ea, cui obtingunt, *Et toti corpori ejus* i. e. universo
homini sunt *sanatio,* salubria. Suffixum sing. in בְּשָׂרוֹ singulos
respicit. cf. 4, 35. 3, 18. — *Prae omni custodia* i. e. prae omni- 23.
bus rebus custodiendis *custodi cor,* animum *tuum,* domandis ejus
cupiditatibus, *nam ex eo* sunt *exitus vitae* i. e. nam ex eo exit

24. vita, nam cor, animus, sedes ac fons est omnis vitae. — *Remove*
a te fallaciam oris, sermones fallaces; *Et perversitatem labio-*
25. *rum*, verba fraudulenta *procul amove a te!* — *Oculi tui in di-*
rectum spectent, Et palpebrae tuae in rectum tendant ante te,
recta prospiciant! Quod animi sinceri est indicium. הַיְשִׁיר in
rectum tendere, de oculis: recta prospicere. De forma vid. Ges.
26. gr. min. §. 69, 2. — *Expende*, accurate examina *orbitam*, viam
pedis tui, Et omnes viae tuae sint firmae! i. e. caute et sollicite
considera, qua tibi via sit eundum, quae ineunda vivendi ratio, et
si rectam inveneris, eam teneto firmiter. cf. quae proxime sequun-
tur. Alii, in his Gesenius, de Wette, פַּלֵּס *complana, aequa* inter-
27. pretantur, sensu minus commodo. cf. praeterea 5, 6. 21. — *Ne*
declines ad dextram aut sinistram; Remove pedem tuum a malo!

CAP. V. Vs. 1—14. praemisso exordio a meretriciis amoribus
scriptor dehortatur, 15—23. ad amandam uxorem adhortatur, positis
1. ante oculos amoris illiciti malis, liciti bonis. — *Mi fili, ad sapi-*
entiam meam attende, Ad intelligentiam meam inclina aurem
tuam! Sapientia, intelligentia mea: ea quam te doceo, mea sapi-
2. enter, intelligenter dicta. cf. 4, 20. — *Ad servandam conside-*
rantiam, Atque ut scientiam labia tua teneant, ut scite semper
loquantur labia tua, prudenter occurrant, si opus fuerit, illecebris
3. voluptatis. Ad structuram cf. 1, 5. 2, 2. al. — *Nam mel stillant*,
verba blanda fundunt *labia* mulieris *alienae, Et laevius oleo pa-*
4. *latum ejus est.* זָרָה ut 2, 16. — *Et*, sed *exitus ejus est ama-*
rus ut absinthium, Acutus ut gladius δίστομος. Convenienter
ad vs. superiorem אַחֲרִיתָהּ *exitus* s. *finis ejus* esse videri potest
ultima sors quam parat adultera iis, qui ab ea se pellici patiuntur.
In sequentibus tamen ipsius adulterae sors ultima describitur, ut
finem ejus sortem esse credas, quae manet ipsam. Qui sensus
ad vs. superiorem non minus idoneus est. Nam eadem sors ama-
5. sii, quae meretricis. Ruente hac ruit et ille. — *Pedes ejus des-*
cendunt ad mortem, מָוֶת Acc. motus; *Orcum gressus ejus pre-*
6. *hendunt*, viam quae ducit ad orcum tenent. — *Semitam vitae*,
viam quae ducit ad vitam *non poteris expendere* rem habens
cum meretrice; *Nutant orbitae ejus te non opinante.* Difficiliora
intellectu verba Rosenmüllerus sic exposuit. „תְּפַלֵּס, uti hemisti-
chio altero תֵּדַע, est secunda persona, et sermo dirigitur ad eum,
quem vs. 1. *mi fili* alloquitur. Sic interpretamur: *semitam vitae*
ne libres s. *appendas* cum ea versans, i. e. ne forte tibi persua-

deas, fore ut mortem et exitium vites et vitam consequare, dum
libidinosae socium te adjungis, nam נָעוּ מַעְגְּלֹתֶיהָ *nutant s. va-
gantur orbitae ejus*, incerti et vagi sunt ejus gressus, a recta se-
mita aberrant" rel. Quae explicatio quo tendat non satis intelligo.
Ad mulierem תְּפַלֵּס et תֵדָע referunt interpretes reliqui. Quo-
rum impeditae et artificiosae sunt interpretationes. Gesenius
et Umbreitus membris sejunctis: *viam vitae caveat* adultera
ne expendat! vel ut ipsissima verba proferam: *dass sie ja
den Weg des Lebens nicht abwäge!* existimantes, pingi his ver-
bis perversam cogitandi rationem, qua, dum alii sollicite expen-
dant, quaenam via ad salutem ducat, eam adultera consulto negli-
gat. Junctis membris De Wette et Ewaldus: *viam vitae ne ex-
pendat, nutant orbitae ejus* cet. Persuasum equidem habeo, ad
juvenem referenda esse תְּפַלֵּס et תֵדָע, in qua sententia jam fuit
Aben Esra; פֶּן־ vero, quod quum postpositum sit non videtur pen-
dere ex versu superiore, eadem vi gaudere judico, quam saepe
alias habet אַל, ut פֶּן־תְּפַלֵּס sit *non poteris, tibi non licebit ex-
pendere.* Sic qui prodit sensus est facilis et expeditus et maxime
commodus. נָעוּ *nutant* viae ejus sc. ut findantur, se aperiant ad
vorandam mulierem una cum iis qui sequuntur eam. לֹא תֵדָע *non
opinaris,* te non opinante, inopinato, subito, ut Ps. 35, 8. aliisque
istic allatis locis. — *Jam igitur, filii, audite me, Nec recedatis* 7.
a dictis oris mei! — *Procul amove,* quisquis es filiorum, *ab ea* 8.
viam tuam, procul ab ea ito, *Neve appropinques ad ostium,* ja-
nuam *domus ejus,* — *Ne des aliis vigorem tuum,* vires tuas, flo- 9.
rem aetatis, *Et annos tuos,* vitam tuam *crudelibus.* Quod לַאֲחֵרִים
hominibus *aliis* dicit, quod לְאַכְזָרִי *crudeli* homini, item vs. 10.
זָרִים et נָכְרִי, in quibus Singularia idem plane valent, quod Pluralia
quibus respondent, ita ut אַכְזָרִי *crudelis* homo sit pro hominibus
crudelibus, נָכְרִי *peregrinus* pro peregrinis, id nullo modo impe-
dit, ne cogitare putetur de meretricibus. Loquitur universe, sed
nefandas intelligit mulieres exhaurientes vires (vs. 9. cf. 11.) et
opes (vs. 10.) miseri juvenis. Prorsus aliena sunt quae de hoc
et proximo versu docuerunt Umbreitus ad vs. 10. et Ewaldus p.
63 sq. Quod cum verba planissima sint pluribus dicere longum.
— *Ne satientur alieni* i. e. meretrices (vid. sup.) *facultatibus,* 10.
opibus *tuis, Et laboribus tuis* i. e. iis quae tuo tibi labore parta
sunt, *in domo peregrini,* peregrina, meretricia. Male hemistichium
posterius nonnulli sic transferunt: *nec labores tui* (quae com-

parasti tibi tuis laboribus) sint vel maneant *in domo per.*, vel veniant *in domum per.* Nam tale quid si scriptor dicere voluisset, hoc nexu Verbum non potuisset supprimere. עֲצָבֶיךָ est
11. Acc. pariter atque כֹּחֶךָ pendens ex יִשְׂבְּעוּ. — *Gemasque in exitu tuo*, id est, quo tempore tuum cum adultera commercium tristissimum hunc eventum habuerit, *Cum consumtum fuerit corpus tuum et caro tua,* consumtis omnibus corporis
12. tui viribus, — *Et dicas: Quam odi disciplinam, Et castigatio-*
13. *nem sprevit cor meum!* — *Neque obtemperavi voci,* monitis *eorum qui me instituebant, Atque ad eos qui me docebant non*
14. *inclinavi aurem meam!* — *Prope fuit, ut essem in omni malo,* ut in omne genus malorum inciderem, *In media concione atque coetu.* Umbreitus et Ewaldus de extremo supplicio cogitant, ad quod ut damnaretur adulter prope fuerit. Quod coactum. Quid igitur sibi vult quod additum est *in medio* cet.? Rosenmüllerus indicare existimat propalam, omnibus spectantibus. Malo, inter
15. medios meos, in sinu gremioque patriae, pacis, fortunae. — *Bibe aquam ex tua fovea, Et fluenta ex tuo puteo!* Cum omne desiderium siti sit simile, *bibere aquam* hic dicitur pro coëundi cupiditatem explere, femina ipsa puteo comparatur. Dicit igitur,
16. tuam amplectere uxorem, tuae conjugis fruere amoribus! — *Exundabunt fontes tui foras, In plateas rivi aquarum,* id est, id si feceris, copiosam sobolem videbis, vel, *Exundent fontes* rel. i. e. copiosam sobolem videto! Honesti matrimonii et fidelis amoris commoda propositurus primum laudat stirpem liberorum ita, ut, quum supra uxorem comparaverit puteo, persistens in imagine stirpem edendam comparet fontibus et rivis sese diffundentibus. cf. Num. 24, 7. Male Rosenmüllerus liberorum imaginem ponit in ipsis fontibus et rivis. Ii enim pariter atque fovea et puteus imago sunt uxoris; sed quod illi se effundunt, eo significantur edendi partus. Interpres Alex. et Aqu. ante יָפוּצוּ expressum exhibent μή, אַל. Quod recipi jubet Ewaldus, certe cogitando suppleri Umbreitus, quum is sensus, quem praebeat יָפוּצוּ sine אַל, turbet nexum, contra אַל יָפוּצוּ sententiam fundat, quae cum vs. 17. optime concinat, hanc, tum, si fidem servaverit maritus, non futurum esse, ut uxor rem habeat cum aliis. Qui interpretes non sunt audiendi. Abest μή a cod. Alex., abest a translatione Aqu. ut Graecus Alex. אַל non tantum non legisse sed ne de suo quidem adjecisse videatur. Ad Aquilam quod attinet, vere Ros. „ejus, inquit,

interpretationi, quae ex edit. Rom. prolata, neque a Montefalconio in ullo cod. man. reperta est, ne a librariis μή additum sit e versione Alex., jure verendum est.“ Suppleri qui jubet אַל s. פֶּן, verbis vim facit. Magis ferri posset, si quis verba interrogando legeret in hunc sensum: *Foras ut exundent (sollen überfliessen) fontes tui? In plateas rivi aquarum?* vi*que* foras effundantur cet. i. e. aliis se proponat, aliorum libidinibus serviat, par pari referat neglecta uxor? Sed hoc quoque rejiciendum, vel ea de causa, quod non potest aliter accipi יָפֻצוּ, aliter יִהְיוּ vs. 17. Videntur autem non describentis, sed jubentis esse ea Imperfecta, duabus ex causis, quarum una est, quod elegantior est sententia, major vis, si quod promittitur fieri jubetur, altera cernitur in יְהִי vs. 18., qui summam eorum facit, quae continentur vs. 16. et 17. Ceterum nemo non videt, aptissimum servatae fidei praemium marito promitti copiosam prolem. — *Erunt* vel potius *sint* (vid. ad vs. sup.) 17.
fontes, rivi tui (vs. 16.) *tibi soli, Neque alienis tecum* i. e. tuam uxorem tibi soli, nec cum aliis communem habeto! Quod alterum est praemium. Rosenmüllerus: „*erunt tibi soli*, liberi tui, puta. Si, inquit, a consuetudine cum inhonestis feminis abstineas, et castae conjugis fruaris amoribus, hoc habebis commodum, ut tuum torum ab adultero praemunias, et certus sis, liberos quos educas, esse tuos solos et genuinos.“ Quae interpretatio falsa explicatione nititur versus superioris, in quo fontes, ut puteus vs. 15., imago sunt uxoris, non liberorum. Cf. etiam quod statim sequitur comma. — *Sit fons tuus abundans,* i. e. sit uxor tua prole 18.
fecunda! *Et laetare de muliere juventutis tuae,* quam juvenis duxisti! Prius hemistichium respicit vs. 16., posterius vs. 17. —
Cerva amabilis et rupicapra venusta, Ejus mammae satient te 19.
omni tempore, Amore ejus inebriatus *titubes continuo!* אַיֶּלֶת אֲהָבִים וגו׳ Nominativi absoluti. Aliis appositio videntur esse ad מֵאֵשֶׁת נְעוּרֶיךָ. Amant Orientales feminas venustas comparare animalibus e genere cervino. — *Et cur,* quare enim *titubabis, mi* 20.
fili, inebriatus *aliena,* amore alienae, *Amplecteris sinum peregrinae?* Quae est interrogatio dehortantis. — *Nam ante oculos* 21.
Jovae sunt *viae hominis,* est universa ejus agendi ratio; *Et omnes orbitas,* vias *ejus ille expendit,* examinat. — *Sua crimina* 22.
capiunt eum, improbum, ipse suis criminibus capitur improbus, *Et restibus peccati sui tenetur.* יִלְכְּדֻנוֹ אֶת־הָרָשָׁע ut Exod. 2, 6. Deut. 34, 10. al. — *Moritur ille licentia,* eo quod disci- 23.

plinam non admisit, *Et per magnitudinem stultitiae suae titubat,* prolabitur. אֵין מוּסָר id. quod in vern. *Zuchtlosigkeit.*

CAP. VI, 1—19. Dehortatur vs. 1—5. a sponsione temeraria, 6—11. a pigritia, 12—15. a fraudulentia, 16—19. ab aliis vitiis.
1. — *Mi fili, si spopondisti pro alio,* promisisti, te alius loco aliquid
praestiturum esse, *Pepigisti pro alieno manus tuas,* dextra data fidem
2. tuam pro alio interposuisti; — Si *illaqueatus es dictis oris tui, Cap-*
3. *tus es dictis oris tui:* — Apodosis. *Hoc utique facias, mi fili, et*
eripe te, Quod venisti in manum, incidisti in potestatem *alius,*
I, festina et fortiter insiste illi homini, sc. ut promisso te sol-
vat, quod perlucet ex praegressis. רָפַס, רָפַשׂ *calcare* pedibus
Ez. 32, 2. 34, 18., transl. aquam, hinc eam *turbare* Prov. 25, 26.,
et terram eundo, hinc ire et in Hithp. *se incitare, properare,*
festinare hoc loco (et fortasse etiam Ps. 68, 31.). Iam Vulg.
festina. Eundem properandi significatum voci utroque loco tri-
buunt Ewaldus et Fürstius, in eo tamen falsi, quod eundi signifi-
catum primarium habent, quum manifesto sit secundarius ortus ex
calcando, prorsus ut in דָּרַךְ. Plerique, in his Rosenm., Gesen.,
Winerus: pedibus calcandum te praebe, i. e. prosterne te, sub-
mitte te, humiles preces funde, demisse roga. Quod abhorrere
videtur a saeviendi verbo quod subjicitur. רֵעֶיךָ videtur Sing.
esse Ges. gr. min. §. 90. extr., quanquam etiam Plur. ferri potest.
4. — *Ne des,* concedas *somnum oculis tuis, Nec dormitationem*
palpebris tuis, priusquam voti compos factus fueris, te solveris
5. obligatione! — *Eripe te ut dorcas,* fugax et mirae pernicitatis
animal, *e manu, Ut avis e manu aucupis!* Pro מִיָּד, quod ex he-
mistichio posteriore illatum putat, Ewaldus legi jubet מִפַּח aut
מִמּוֹקֵשׁ, expressum a LXX. Sed facile cares reti, nec dubium est,
quin liberius interpretatus sit Graecus. Sanius Ewaldo hoc de
loco judicat Bochartus, qui postquam conjecturam proposuit hanc,
„Quid? si יָד *manus* fuerit retis aliquod genus, ita dicti, quod eo
capreae, tanquam manu detinerentur, ut ab arabico *kaffon manus*
koffaton vocantur pedicae aut casses, quibus capreas venantur",
addit haec, „Quod etsi fortasse non sit omnino rejiciendum, tamen
puto verius, orationem esse ellipticam, et in priore hemistichio
aliquid deesse, ex posteriore supplendum, quum id Hebraeis fa-
miliare esse videam, ut in uno ex duobus hemistichiis aliquid de-
sit, quod ex altero suppletur." Sane nil frequentius tali membro-
rum compositione. Sed ne opus quidem complemento est, quum

cujusnam manus intelligenda sit, per se liqueat. Quid? quod post
fugiendi, dimittendi verba absolute מִיַּד dicitur in ipsa prosa, ut 1
Reg. 20, 42. Possit etiam ad הִנָּצֵל relatum de manu intelligi
ejus, pro quo fidem interposuit sponsor, coll. vs. 3. membro altero
הִנָּצֵל כִּי בָאתָ בְכַף־רֵעֶךָ. — *I ad formicam, piger, Vide*, adspice 6.
vias ejus, rationem agendi quam tenet, ejus mores, *et sape*, disce
sapere illius exemplo! — *Quae non habet principem, Magi-* 7.
stratum et dominum: — Parat aestate victum suum, Congerit 8.
in messe cibum suum. Latine duo haec commata sic construe:
Quae quum non habeat principem . . . Parat cet. Sensus: quae
quum nullum moderatorem habeat, qui singula praescribat, sua
sponte in posterum providet, suis rebus consulit. In nominibus
קָצִין, שֹׁטֵר, מֹשֵׁל Umbreitus gradationem inesse suspicatur; sin
minus, scriptorem satis habiturum fuisse, nominasse unum. Quod
falsum. Cumulat verba scriptor, ut formicas *nullum omnino* du-
cem habere significet. — *Quousque, piger, cubabis*, dormies? 9.
Quando surges ex somno tuo? — Paulum somni, paulum dor- 10.
mitationis! Paulum complicationis manuum ad cubandum, ad
quietem! Sunt verba pigri, qui excitatus ad surgendum (vs. 9.) sur-
gere recusat, quod quietis paulum desit. Complicatio manuum ha-
bitus inertium. cf. latinorum compressas tenere manus, compres-
sis sedere manibus. — *Ita veniet ut miles excurrens pauper-* 11.
tas tua, Et inopia tua ut vir clypeatus, i. e. superveniet tibi
inopinato et ita ut arcere eam non possis; quorum prius exprimitur
hemistichio priore, nam de improviso veniunt qui ad investigan-
dum excurrunt milites, posterius indicatur posteriore membro,
quia qui clypeo est tectus, non facile potest arceri. הָלַךְ in Pi. et
Hithp. inter alia significat *percursare, pervagari, perlustrare*
terram Thren. 5, 18. Zach. 1, 10. Job. 1, 7. al. Est igitur מְהַלֵּךְ
is qui nobis dicitur *Streifer*. Posterius hemistichium vero indicat,
cogitandum esse de homine armato. Itaque intelligendus videtur
miles excurrens ad investigandum. LXX: κακὸς ὁδοιπόρος, hinc
Ewaldus: *erro*; Gesenius, Umbreitus, de Wette, alii: *grassator,
latro*; Vulg. absque notione adjuncta: *viator* quod suum fecit
Rosenmüllerus, qui: „*atque sic veniet quasi viator*, quia im-
pigre pergit, ac propius propiusque venit, donec propositum itineris
scopum contingat, *pauperies tua.*" Quod ferri et ipsum potest.
— *Homo nequam, vir scelestus est, Qui vivit in perversitate* 12.
oris, qui fraudulento, doloso sermone utitur. הֹלֵךְ cum Acc.

super prunis, Pedesque ejus non adurentur? Ad imaginem cf.
29. Job 31, 9—12. — *Sic est* i. e. sic fiet illi *qui ingreditur ad*
uxorem alterius, qui cum ea congreditur, rem habet: *Non im-*
30. *punis erit,* impune feret, *quisquis attigerit eam.* — Fur, si fame
adactus clam quid subtraxerit, punitur graviter: quanto magis adul-
ter! vs. 30—35. *Non despiciunt furem* i. e. non impunis di-
mittitur fur, *cum furatur Ad explendum animum suum* i. e. famem,
31. *quod esuriverit.* — *Et,* sed *deprehensus restituet septuplum*
i. e. multipliciter restituet surreptum (ex lege quae furi imponatur,
solutio, vid. Exod. 21, 37. 22, 3.), Quin *omnes opes domus suae*
32. *dabit.* — *Qui adulterium committit cum muliere, mente carens,*
mente captus, vecors est; *Qui perdit ipse se, is facit illud,* nemo
ejusmodi quid facit nisi qui se ipsum perdere vult. הוּא cum ac-
centu efferendum est. Male Rosenmüllerus, Umbreitus, alii:
perdit ipse se, qui illud facit. Qui est sensus verborum, non
33. significatus. Suffixum f. in יַעֲשֶׂנָּה pro neutro est. — *Plagas et*
ignominiam assequetur, reportabit, *Et probrum ejus non dele-*
bitur. Plagas, int. a marito mulieris, ab eo deprehensus. De
34. קִנְאָה cf. quae observavimus ad Ps. 116, 3. — *Nam zelotypia est*
ira ardens viri, i. e. nam alieni amoris stimuli iracundiam in-
flammant mariti, *Nec parcet* ille *die vindictae*, occasionem nactus
sumendae vindictae. Subjectum esse quod nonnulli Praedicatum
35. faciunt קִנְאָה docet nexus. — *Non habebit rationem ullius lytri*,
nullius lytri rationem habebit, nullo expiabitur pretio expiationis,
Nec volet, nec consentientem i. e. ad accipienda dona, ad ignos-
cendum paratum habebis eum, *si*, etiamsi *multa facias dona*, et
quamvis multa offeras dona, renuet. Ewaldus postrema verba:
nec volet ut cet., qua ratione אָבָה nusquam constructum reperitur.
Absolute est positum, ut 1, 10. al.

CAP. VII, 1—27. Vs. 1—5. evocatur juvenis ad tenenda
praecepta sapientiae et prudentiae, quo se servet a meretrice. 6—
23. exemplum proponitur meretricis miserum juvenem ad se pel-
1. licientis, pellectum necantis. 24—27. repetuntur monita. — *Mi*
fili, custodi, tene *dicta mea, Et praecepta mea recondas apud*
2. *te!* cf. 2, 1. — *Custodi,* tene *praecepta mea, et vive!* i. e. et
vives, vid. ad 3, 4., i. e. incolumis, beatus eris; *Et doctrinam*
meam custodi *ut pupillam oculorum tuorum* i. e. rei persaine
diligentissima cura! cf. ad Deut. 32, 10. Membrum prius iisdem
3. verbis legitur 4, 4. — *Alliga ea,* dicta, praecepta mea, doctrinam meam

digitis tuis i. e. summa cura servato, qua soles servare annulum
pretiosum aptatum digito, *Inscribe ea tabulae cordis tui* i. e.
nulla unquam eorum oblivio te capiat! Vid. quae observavimus
ad 3, 3., ubi simillima hemistichio priori eademque, quae poste-
riore, leguntur. — *Dic ad sapientiam: soror mea tu es!* ap- 4.
pella sapientiam sororem tuam, *Et notam,* amicam *intelligentiam*
voca i. e. familiarem, amicam tibi redde sapientiam, intelligentiam!
cf. Job. 17, 14. — *Ut custodiat te* sapientia, intelligentia (vs. 4.) 5.
a muliere aliena, A peregrina, quae *dicta sua laevia facit,*
blandis verbis utitur. Eadem habentur 2, 16., ubi vid. not. —
„Parabolam subjungit, qua egregie utriusque ingenium pingit, et 6.
incauti juvenis, meretricem adeuntis, et ipsius meretricis, illum
suis illecebris capientis et pessumdantis." Ros. *Nam per fe-*
nestram domus meae, Per clathros meos prospexi. כִּי *nam,*
„ut exemplo explicatius faciam, quantum ab illa muliere periculum
immineat, nisi te sapientiae custodiendum dederis, narrabo tibi,
quae ipse viderim." Sic recte C. B. Michaelis eumque sequuti
de Wette et Ewaldus. Ad clathros quod attinet, Rosenmüllerus
„quadrant, inquit, egregie ad rem praesentem, nam per eosdem
nos quidem videmus quod alii extra domum agant, nos vero intus
ab aliis non conspicimur." Possunt vero etiam mero parallelismi
studio tribui illi clathri. cf. Jud. 5, 28. — *Et vidi inter imperitos,* 7.
Animadverti inter filios, juvenes, *puerum,* adolescentulum *mente*
carentem, vecordem (6, 32.). — *Transivit per plateam juxta* 8.
angulum ejus i. e. juxta domum meretricis (vs. 5.) in plateae an-
gulo constitutam, vel quod probabilius, juxta eum angulum, in quo
a meretrice observari poterat, id est, juxta angulum illius plateae,
in qua domus meretricis constituta erat, cui interpretationi favent
quae subjiciuntur, *Et viam domus ejus,* quae ducebat ad ejus do-
mum, *gressus est.* Ewaldus pro פִּנָּהּ legi jubet פִּנָּה sine Mappik,
ita ut ָה desinat esse suffixum, coll. vs. 12. Male. Confirmat re-
ceptam scripturam membrum posterius ejus quod tractamus com-
matis. — *In crepusculo, vespera diei, Media nocte et caligine.* 9.
אִישׁוֹן pupilla transl. *medium,* sed non nisi hoc loco et infra 20,
20. אִישׁוֹן לַיְלָה, א׳ אֲפֵלָה, א׳ חֹשֶׁךְ *medium noctis, caliginis, te-*
nebrarum, media nox, caligo, mediae tenebrae. — *Et ecce, mu-* 10.
lier obviam ei facta est, Ornatu, habitu *meretricio, animi tecti*
i. e. callida, astuta. שִׁית eodem significatu quo Ps. 73, 6., Acc.
status, conditionis Ges. gr. min. §. 116, 3. נְצֻרַת לֵב Ewaldus:

super prunis, Pedesque ejus non adurentur? Ad imaginem cf.
29. Job 31, 9—12. — *Sic est* i. e. sic fiet illi *qui ingreditur ad*
uxorem alterius, qui cum ea congreditur, rem habet: *Non im-*
30. *punis erit,* impune feret, *quisquis attigerit eam.* — Fur, si fame
adactus clam quid subtraxerit, punitur graviter: quanto magis adul-
ter! vs. 30—35. *Non despiciunt furem* i. e. non impunis di-
mittitur fur, *cum furatur Ad explendum animum suum* i. e. famem,
31. *quod esuriverit.* — *Et*, sed *deprehensus restituet septuplum*
i. e. multipliciter restituet surreptum (ex lege quae furi imponatur,
solutio, vid. Exod. 21, 37. 22, 3.), Quin *omnes opes domus suae*
32. *dabit.* — *Qui adulterium committit cum muliere, mente carens,*
mente captus, vecors est; *Qui perdit ipse se, is facit illud,* nemo
ejusmodi quid facit nisi qui se ipsum perdere vult. הוּא cum ac-
centu efferendum est. Male Rosenmüllerus, Umbreitus, alii:
perdit ipse se, qui illud facit. Qui est sensus verborum, non
33. significatus. Suffixum f. in יַעֲשֶׂנָּה pro neutro est. — *Plagas et*
ignominiam assequetur, repertabit, *Et probrum ejus non dele-*
bitur. *Plagas*, int. a marito mulieris, ab eo deprehensus. De
34. יִמְצָא cf. quae observavimus ad Ps. 116, 3. — *Nam zelotypia est*
ira ardens viri, i. e. nam alieni amoris stimuli iracundiam in-
flammant mariti, *Nec parcet* ille *die vindictae*, occasionem nactus
sumendae vindictae. Subjectum esse quod nonnulli Praedicatum
35. faciunt קִנְאָה docet nexus. — *Non habebit rationem ullius lytri,*
nullius lytri rationem habebit, nullo expiabitur pretio expiationis,
Nec volet, neo consentientem i. e. ad accipienda dona, ad ignos-
cendum paratum habebis eum, *si*, etiamsi *multa facias dona*, et
quamvis multa offeras dona, renuet. Ewaldus postrema verba:
nec volet ut cet., qua ratione אָבָה nusquam constructum reperitur.
Absolute est positum, ut 1, 10. al.

CAP. VII, 1—27. Vs. 1—5. evocatur juvenis ad tenenda
praecepta sapientiae et prudentiae, quo se servet a meretrice. 6—
23. exemplum proponitur meretricis miserum juvenem ad se pel-
1. licientis, pellectum necantis. 24—27. repetuntur monita. — *Mi*
fili, custodi, tene *dicta mea, Et praecepta mea recondas apud*
2. *te!* cf. 2, 1. — *Custodi*, tene *praecepta mea, et vive!* i. e. et
vives, vid. ad 3, 4., i. e. incolumis, beatus eris; *Et doctrinam*
meam custodi *ut pupillam oculorum tuorum* i. e. rei personae
diligentissima cura! cf. ad Deut. 32, 10. Membrum prius iisdem
3. verbis legitur 4, 4. — *Alliga ea*, dicta, praecepta mea, doctrinam meam

digitis tuis i. e. summa cura servato, qua soles servare annulum
pretiosum aptatum digito, *Inscribe ea tabulae cordis tui* i. e.
nulla unquam eorum oblivio te capiat! Vid. quae observavimus
ad 3, 3., ubi simillima hemistichio priori eademque, quae poste-
riore, leguntur. — *Dic ad sapientiam: soror mea tu es!* ap- 4.
pella sapientiam sororem tuam, *Et notam*, amicam *intelligentiam*
voca i. e. familiarem, amicam tibi redde sapientiam, intelligentiam!
cf. Job. 17, 14. — *Ut custodiat te* sapientia, intelligentia (vs. 4.) 5.
a muliere aliena, A peregrina, quae *dicta sua laevia facit*,
blandis verbis utitur. Eadem habentur 2, 16., ubi vid. not. —
„Parabolam subjungit, qua egregie utriusque ingenium pingit, et 6.
incauti juvenis, meretricem adeuntis, et ipsius meretricis, illum
suis illecebris capientis et pessumdantis.“ Ros. *Nam per fe-*
nestram domus meae, Per clathros meos prospexi. כִּי *nam*,
„ut exemplo explicatius faciam, quantum ab illa muliere periculum
immineat, nisi te sapientiae custodiendum dederis, narrabo tibi,
quae ipse viderim.“ Sic recte C. B. Michaelis eumque sequuti
de Wette et Ewaldus. Ad clathros quod attinet, Rosenmüllerus
„quadrant, inquit, egregie ad rem praesentem, nam per eosdem
nos quidem videmus quod alii extra domum agant, nos vero intus
ab aliis non conspicimur.“ Possunt vero etiam mero parallelismi
studio tribui illi clathri. cf. Jud. 5, 28. — *Et vidi inter imperitos*, 7.
Animadverti inter filios, juvenes, *puerum*, adolescentulum *mente*
carentem, vecordem (6, 32.). — *Transivit per plateam juxta* 8.
angulum ejus i. e. juxta domum meretricis (vs. 5.) in plateae an-
gulo constitutam, vel quod probabilius, juxta eum angulum, in quo
a meretrice observari poterat, id est, juxta angulum illius plateae,
in qua domus meretricis constituta erat, cui interpretationi favent
quae subjiciuntur, *Et viam domus ejus*, quae ducebat ad ejus do-
mum, *gressus est.* Ewaldus pro פִּנָּהּ legi jubet פִּנָּה sine Mappik,
ita ut ָהּ desinat esse suffixum, coll. vs. 12. Male. Confirmat re-
ceptam scripturam membrum posterius ejus quod tractamus com-
matis. — *In crepusculo, vespera diei, Media nocte et caligine.* 9.
אִישׁוֹן pupilla transl. *medium*, sed non nisi hoc loco et infra 20,
20. אִישׁוֹן לַיְלָה, א׳ אֲפֵלָה, א׳ חֹשֶׁךְ *medium noctis, caliginis, te-*
nebrarum, media nox, caligo, mediae tenebrae. — *Et ecce, mu-* 10.
lier obviam ei facta est, Ornatu, habitu *meretricio, animi tecti*
i. e. callida, astuta. שִׁית eodem significatu quo Ps. 73, 6., Acc.
status, conditionis Ges. gr. min. §. 116, 3. נְצֻרַת לֵב Ewaldus:

11. *animi obfirmati, obstinati.* cf. vs. 13. — Priusquam pergit,
paucis sed viridis coloribus pingit mulierem vs. 11. 12. *Im-
petuosa illa et indomita* est, disciplina excussa ruens in omnem
libidinem; *In domo ejus*, domi *non quiescunt pedes ejus*,
12. amat vagari. הֹמִיָּה ut 9, 13. — *Modo in platea, modo in foris*,
locis patentibus iisque publicis ad portas, *Et juxta omnem angu-
lum* platearum, in compitis, ubi multitudo est ultro citroque com-
13. meantium *insidiatur*. — Redit ad rem. *Et prehendit eum*, juvenem,
et osculum fixit ei, Obfirmavit faciem suam et i. e. et perfricta
14. fronte *dixit ad eum:* — *Sacrificia eucharistica super me*
erant, incumbebant mihi, meum erat, offerre sacrificia ad gratias
agendas: *Hodie solvi vota mea*, obtuli quae voveram sacrificia.
„זִבְחֵי שְׁלָמִים sunt sacrificia, quae ad gratum erga deum animum
testandum pro impetrato aliquo beneficio offerebantur. De ejus-
modi victimis, quae erant vel boves et vaccae, vel oves vel ca-
preae (Lev. 3, 1. 6. 12.), magna carnium pars cedebat offerenti,
praeter adipem, renes, reticulum hepatis, caudam ovium, armum-
que dextrum; et de carnibus istis instruebantur convivia, ad quae
praeter domesticos et vicini aliique amici invitabantur. Ad ejus-
modi igitur convivium de carnibus selectissimis, quales ad sacri-
ficia requirebantur, invitat mulier.“ Ros. עָלַי prorsus ut Ps. 56,
15. 13. in re eadem. — *Ideo egressa sum obviam tibi, Ad quae-
rendam faciem tuam*, tuum vultum, te ut viderem, *et te inveni.*
16. — *Stragulis* picturatis *stravi lectum meum, Tapetibus striatis*,
versicoloribus *filorum Aegypti*, i. e. e filis Aegyptiacis, subtilissi-
mis illis et maxime nobilitatis. חֲטֻבוֹת *striata*, tapetes striatae,
versicolores. אֵטוּן *fila* s. *linteum* ab inus. אָטַן, quod non signi-
ficat ligare, colligare, quae est Gesenii sententia, sed propr. ex-
17. tendere, cf. אָרַךְ, עָרַךְ, hinc fila deducere, texere, cf. מָשַׁךְ. — *Con-
spersi cubile meum myrrha, aloë*, ligno aloës *et cinnamomo*. —
18. *Age, satiemur blanditiis* amatoriis *usque ad crastinum, Laete-
19. mur amoribus!* — *Nam vir*, maritus *non est in domo sua*, non
20. est domi, *Ingressus est iter longinquum.* — *Fasciculum ar-
genti*, crumenam *sumsit in manum suam, Ad diem plenilunii
veniet*, revertetur *domum*. „Quod maritus quandam notabilem
pecuniae colligatae summam secum sumsit, probat, eum longius
iter instituisse. Denique, ut omnino securum faciat juvenem, cer-
21. tum tempus figit, quo maritus sit rediturus.“ Ros. — *Flexit*,
seduxit, pellexit *eum copia orationis suae*, sermonis sui ad per-

suadendum accommodati copioso flumine, *Laevore labiorum suo-*
rum, blanditiis suis *impulit eum.* לֶקַח doctrina, institutio 1, 5. 4,
2., vid. ad locum priorem, hinc *oratio* persuadentis. — *Sequitur* 22.
eam subito, sine mora, *Ut bos ad mactationem venit, Atque ut*
compes ad castigationem improbi i. e. ut compes pedem sequitur
malefici, cum ad supplicium trahitur, vel, ut quae ad castigandum
improbum adhibetur compes illius pedem sequitur i. e. nullo sui
sensu, nulla sua voluntate. Gesenius tertium membrum: *et sicuti*
in compedibus ad supplicium it s. trahitur *improbus,* maleficus
(cf. supra ad vs. 10.). In qua interpretatione, cum מוּסַר sit st.
constr., certe eo modo verba struenda erant, quo struxit de Wette,
hoc, inquam, *et* sequitur ille *sicuti in compedibus ad supplicium*
improbi, malefici, sensu eodem. Inconcinna et abhorrens ab usu
loquendi, quum עֶכֶס eo loco, quo praeter hunc legitur, Jes. 3, 18.
significet *compedem,* est Ewaldi interpretatio haec: *et ut hami*
occulti sunt *ad castigationem stulti.* Ceterum haud improbabilis
est conjectura Rosenmülleri verba corrupta esse suspicantis, quum
quae proxime sequantur vs. 23. et quae statim subjiciatur compa-
ratio cum ave laqueo capta, fere flagitent, ut bovem inter et avem
secundo loco fera aliqua alia commemoretur, quae pedicae irretita
a venatore occidatur. — *Donec findat sagitta jecur ejus; Ut* 23.
properat avis ad laqueum, Nec scit, cum jactura vitae suae,
cum vitae periculo *id* esse, fieri, i. e. nesciens, hic agi suam vitam.
Ad בְּנַפְשׁוֹ cf. Jos. 6, 26. et quae eo loco observavimus. — Epilo- 24.
gus. *Iam igitur, filii, audite me, Et attendite ad dicta oris*
mei! — *Ne declinet ad vias ejus,* meretricis, *cor tuum, Ne er-* 25.
res in semitis ejus, noli ejus studia sectari et agendi rationem!
— *Nam multos confossos,* mortifero vulnere affectos *prostravit,* 26.
nam multi sunt confossi, quos prostravit, *Et copiosi* sunt *omnes*
interfecti ejus, et ingens est omnium ab ea interfectorum copia.
Sensus: nam ingens est numerus eorum, quos praecipitavit in exi-
tium. — *Viae orci domus ejus, Descendentes,* deorsum tenden- 27.
tes *ad penetralia mortis,* leti, ad orcum ducit domus ejus, se
praecipitant in perniciem qui illam frequentant.

CAP. VIII. Vs. 1—4. palam ad se colendam invitat sapien-
tia, ut quae 5—21. impertiat intelligentiam recti, timorem dei,
consilium, animi fortitudinem, opes et honorem; 22—31. ipso
mundo antiquior deo adfuerit in rebus condendis. 32—36. epi-
logus. — *Nonne sapientia clamat, Et intelligentia edit vocem* 1.

suam? cf. ad hunc vs. et eos qui proxime sequuntur 1, 20. 21.
2. — *In fastigio locorum editorum juxta viam, In compitis se
sistit.* בֵּית נְתִיבוֹת propr. *domus semitarum*, viarum i. e. locus
qui plures vias in se continet, ubi plures viae concurrunt, compi-
tum, bivium triviumve; cf. אֵם הַדָּרֶךְ. Ad בֵּית ex priore membro
cogitatione repetendum est בְּ, quamquam בֵּית etiam Acc. esse pot-
est pro בְּבֵית positus, qua ratione Acc. est. hujus voc. constat
3. saepe poni. cf. מְבוֹא vs. 3. — *Ad latus portarum*, juxta portas,
ad ostium, introitum *urbis*, *In aditu ostiorum clamorem tollit.*
מְבוֹא Acc. *in aditu.* cf. בֵּית vs. 2. De תָּרֹנָּה vid. quae disputavi-
4. mus ad 1, 20. — *Ad vos, viri, clamo, Et vox mea* est, fertur
5. *ad homines* quosque! — *Percipite, imperiti, prudentiam, Et
stulti, percipite intellectum!* לֵב idem valere, quod 15, 32. 19,
6. 8. docet parallelismus. — *Audite, nam generosa*, eximia, egregia
loquor, Et apertio labiorum meorum, et quae efferunt labia mea,
recta sunt. נְגִידִים neutr. Symm. Theod. ἡγεμονικά, LXX. σεμνά,
Vulg. *de rebus magnis*; Umbreitus; *clara, aperta* secundum
primariam נָגַד verbi notionem, ductus parallelismo et auctoritate
Vers. Venet. quae ἐναντία, nec non Chaldaei et Syr. qui *verum*.
7. — *Nam veritatem*, vera *sonat*, loquitur *palatum*, os *meum, Et
abominatio*, res abominabilis *labiorum meorum* est *improbitas*,
et abhorrent labia mea ab improbitate. יֶהְגֶּה Ewaldus et alii: *me-
ditatur*. Malo *sonat, loquitur*, quo eodem significatu verbum
sumtum vides Ps. 115, 7. et in Po. Jes. 59, 13., priore loco abso-
lute, posteriore constructum cum Acc. Aptior enim hic significatus
tam ad חִכִּי quam ad שְׂפָתַי. *Palatum* pro instrumento vocis,
lingua, ore ut Job. 31, 30. al. רֶשַׁע speciatim de fraudibus, sermo-
nibus fraudulentis intelligendum esse ostendit parallelismus. —
8. *Recta sunt omnia dicta oris mei, Nihil est in iis contorti et
perversi*, nihil versuti, dolosi nihil. De בְּצֶדֶק vid. adnotata ad
9. Ps. 29, 4. — *Omnia illa plana* sunt *intelligenti*, intelligentibus,
Et recta, nihil ancipitis habentia *invenientibus scientiam*, iis qui
10. assequuntur, possunt assequi scientiam. — *Accipite disciplinam
meam, non argentum; Et scientiam prae auro electo*, praestan-
tissimo, et scientiam potius quam aurum cet. וְאַל propr. *et ne* ac-
11. cipite. — *Nam melior* est *sapientia coraliis, Et omnes res ca-
rae*, quaecunque in desideriis habentur *non aequant eam.* Eadem,
si exceperis pauca, legimus 3, 15., ad quem locum te remittimus.
12. — *Ego, sapientia, habito prudentiam*, tota versor in ea, mihi

cum prudentia familiaritas est, *Et scientiam considerantiae in-*
venio i. e. et me qui colit discit considerate facere. — *Timor Jo-* 13.
vae est *odisse malum: Superbiam et fastum et viam,* rationem
agendi *malam,* malos mores, *Et os perversum odi.* Quibus o-
stendit, timoris Jovae se magistram esse. De פִּי תַהְפֻּכוֹת cf. ad 2,
12. — *Mihi* est *consilium et ratio, Ego* sum *intelligentia, mihi* 14.
est *fortitudo.* תּוּשִׁיָּה ut 2, 8. Ad ultimum membrum cf. Eccl. 7,
19. ubi sapientia cultorem suum fortiorem reddere dicitur decem
viris potentia valentibus. — *Per me reges regnant, Et proceres* 15.
decernunt justa. — *Per me principes principatum tenent, Et* 16.
nobiles, omnes denique *judices terrae.* — *Ego qui amant eam* 17.
amo i. e. ego qui me amant vicissim amo, *Et qui quaerunt me,*
inveniunt me. Pro אֹהֲבֶיהָ Keri legi jubet אֹהֲבַי, quod Rosen-
müllerus non debebat praeferre scripturae receptae. vid. ad Jud.
16, 18. Ad אֵהַב cf. Ges. gr. min. §. 67. — *Divitiae et honor* 18.
penes me sunt, *Opes firmae et probitas.* עָתֵק verbi primarius
significatus cernitur in penetrando, cf. עָזַק, חָדַק, נָתַח, isque signi-
ficatus in derivato עָתֵק refertur ad firmitatem, prorsus ut in חָזַק.
Quibus *justitia* s. *probitas* ab hoc loco, quo de divitiis agitur,
abhorrere videtur, ii non cogitant, divitias et honores nec parari
nec servari posse sine probitate. cf. vs. 20. 21. — *Melior* est 19.
fructus meus i. e. quem percipiunt qui mihi operam dant, *auro*
et auro puro, Et proventus meus melior *argento electo,* prae-
stantissimo. cf. 3, 14. — *In via justitiae incedo, In mediis se-* 20.
mitis juris i. e. eos qui me colunt doceo recte agere. — *Quod* 21.
impertiar amantibus me est mihi, suppetit mihi quod me colen-
tibus impertiar, *Et thesauros eorum impleo.* יֵשׁ possit esse
nomen significans *opes,* propr. *quod praesto est* alicui, *quod ha-*
bet aliquis, in hanc sententiam jungendam superiori: *Ut largiar*
amantibus me opes. Atque ita visum est plerisque et antiquiorum
et recentiorum. Sed nusquam alias vim nominis habet יֵשׁ. Prae-
ferenda igitur interpretatio Jarchii haec: יש אתי מחלה, quam ean-
dem nuper suam fecit et confirmavit Gesenius in Thes. s. v. his
verbis: „*est* mihi *quod impertiar diligentibus me* cet., cf. locum
similem 2 Par. 25, 9: יֵשׁ לַיהוָה לָתֵת לְךָ *est,* suppetit *Jovae, quod*
det tibi. Sunt qui opponant huic rationi, יֵשׁ sic infinitivo prae-
ponendum fuisse, et deesse accusativum rei post הַנְחִיל, sed illud
refellitur loco 1 Sam. 21, 5: לֶחֶם קֹדֶשׁ יֵשׁ, hoc verbis Deut. 32,
8., ubi accusativus rei itidem omissus est.“ — *Jova creavit me* 22.

primitias actionis suae i. e. omnium primum me creavit, *Ante*
opera sua, olim. דַּרְכּוֹ · יְהוָֹה *via Jovae* trop. ejus actio, et hic
quidem in creando mundo, cf. Job. 40, 19., ubi דַּרְכֵי־אֵל sunt
23. *opera dei.* — *Ab antiquissimo inde tempore uncta* i. e. consti-
24. tuta *fui, Ab initio, a primordiis terrae.* — *Quum non essent*
fluctus, nata eram, Cum non essent fontes, graves, divites,
25. abundantes *aquis.* — *Priusquam montes immersi,* defixi *essent,*
26. *Ante colles nata eram;* — *Quum nondum fecisset terram* cul-
tam *et deserta,* regiones desertas, *Et primum pulverem orbis*
terrarum. Ad hemistichium prius cf. Job. 5, 10. רֹאשׁ עַפְרוֹת תֵּבֵל
nonnulli *caput pulveris terrae* esse, hoc vero hominem indicare
putant. Non male. Certior tamen ea interpretatio, quam nos
sequuti sumus. Intellige elementa, primam materiam orbis terra-
27. rum. — *Quum conderet coelum, aderam ego, Quum describeret*
orbem in superficie oceani i. e. orbis terrarum oceano circum-
dati marginem rotundum, in quo inniti putabatur hemisphaerium
coeli, cf. Job. 26, 10. Rosenmüllerus: „quum terminos ac mo-
dum mari constitueret." De qua re vs. 29. sermo est. Hic agitur
28. de coelo. — *Quum firmaret,* figeret, *nubes superne, Quum in-*
valescerent, aestuarent, *fontes oceani,* coelestis, ut videtur, cf.
membrum prius. Ad עֱזוֹז cf. עֹז de fluctibus Neh. 9, 11. Jes. 43,
29. 16. — *Quum poneret mari terminum suum, Ut aquae non*
transirent oram ejus, maris; *Quum statueret fundamenta ter-*
30. *rae:* — *Ego eram juxta eum,* ei aderam *opifex; eram deliciae*
illi *quotidie, Ludens coram eo omni tempore* i. e. tum temporis
mea ille ope utebatur meoque delectabatur opere. Nihil praeterea
inest. אָמוֹן de femina Ges. gr. min. §. 105, 1. cf. lat. artifex, opi-
31. fex. — *Ludens* eram *in orbe terrae ejus, Et deliciae meae* erant
cum filiis hominum, et quemadmodum deus in condendis rebus
delectabatur me (vs. 30.), sic ego delectabar orbe et genere hu-
32. mano. — Epilogus. *Et jam,* jam igitur, *filii, auscultate mihi!*
Et felices qui vias meas; agendi rationem mihi probatam, mea
33. instituta *servant!* דְּרָכַי יִשְׁמֹרוּ sententia relativa. — *Audite dis-*
34. *ciplinam et sapite, Nec rejicite* eam! — *Felicem hominem qui*
auscultat mihi, Ita *ut vigilet,* excubet *ad fores meas quotidie, Ut*
custodiat postes ostiorum meorum, ut continuo versetur ante
meas fores, semper adsit meo limini. Sensus: beatum illum,
35. qui summo studio id agit, ut me, sapientiam, acquirat! — *Nam*
quicunque invenit me, invenit vitam, salutem; *Et impetrat,*

obtinet *gratiam a Jova.* Pro מֹצְאִי, sic enim efferendum est מצאי posterius, Keri legere te jubet מָצָא, quod temere recepit Ewaldus. Nec magis recte Rosenmüllerus et Umbreitus, si מֹצְאִי servetur, in praecedente מֹצְאִי pro דֵּי legendum esse דֵּי statuerunt. Sanissimum utrumque. Quod Singularis, מֹצְאִי, construitur cum Plurali, מֹצְאַי, causa est, quod in illo latet notio *omnis, quicunque.* cf. 3, 18. et 9, 4. 5. חַיִּים ut 3, 22. al. De פוק verbo vid. quae dis-
putavimus ad 3, 13. — *Et,* sed *qui aberrat a me, injuriam facit* 36.
animae, vitae *suae, Quicunque oderunt me, amant mortem.* חֹטְאִי cum Rosenmüllero Ewaldus: *qui peccat in me,* quasi non sit satis clarum, opposita esse חֹטְאִי חֹמֵס נַפְשׁוֹ verbis מֹצְאִי מָצָאִי חַיִּים.

CAP. IX. Vs. 1—5. ad se invitat sapientia, 6—12. quinam sapientiae praeceptis imbuendi sint (7—9.) et quae sit sapientiae natura, qui fructus (6. 10—12.) docens. 13—16. stultitia quoque ad se vocat, vs. 17. propositis commodis. 18. sed pereunt
qui invitanti aurem praebent. — Sistitur sapientia exstructa domo 1.
ampla et ornata (vs. 1.) ad paratas epulas lautas (vs. 2.) invitans per emissas puellas imperitos (vs. 3. 4. 5.). *Sapientia exstruxit domum suam, Excidit columnas suas septem.* De חָכְמוֹת vid. ad 1, 20. עַמּוּדֶיהָ male nonnulli *columnas ejus,* domus, quum בַּיִת sit generis masculini. *Suas* columnas appellat sapientia, quae sunt domus ipsius. *Columnae* ad describendam amplitudinem domus et ornatum faciunt. *Septem,* numerus qui dicitur ro-
tundus. — *Mactavit pecudem suam, miscuit,* condivit aromate 2.
vinum suum, Atque instruxit mensam suam. — *Emisit puellas,* 3.
servas *suas, Clamat in dorsis locorum editorum* i. e. super, in
locis editis *urbis:* — *Quis est imperitus?* i. e. quicunque est 4.
imperitus, *devertat huc! Qui vecors est, dicit ei,* quae subjiciuntur. Ad מִי פֶתִי cf. Exod. 24, 14. Jud. 7, 3. Verba חֲסַר־לֵב, ante quae Rosenmüllerus et Ewaldus haud apte repetunt מִי, Nominati-
vum quem dicunt absolutum efficiunt. — *Agite, comedite de* 5.
pane meo, Et bibite de vino quod *miscui!* Utitur numero plurali eadem de causa, quam vidimus 8, 35. מָסָכְתִּי relative accipiendum.
— *Relinquite imperitiam, et vivite!* i. e. et vivetis i. e. et eritis 6.
salvi, felices; *Et incedite in via intelligentiae,* quae ducit ad intelligentiam! פְּתָאִים abstr. ut פְּתִי 1, 22. וִחְיוּ promittentis ut 4, 4. cf. ad 3, 4. Sed quod subjicitur אִשְׁרוּ iterum imperantis esse,
ut עִזְבוּ, docet res ipsa. — Tribus qui sequuntur versibus Rosen- 7.

müllerus, Umbreitus, Ewaldus et alii sapientiam rationem reddere
putant, quare cum ad epulas invitaret suas, non irrisores sed sim-
plices tantum et imperitos compellarit. Cujus nexus equidem
certum desidero indicium. Continent potius quae subjiciuntur
tria commata illius institutionis, ad quam invitavit sapientia vs.
1—5., monitum alterum, monitum inquam de prudentia in corri-
piendo et docendo. *Qui castigat irrisorem,* hominem protervum
sanctissima quaeque ferociter contemnentem, *accipit,* conciliat
sibi ignominiam, Et qui redarguit improbum, labem suam i. e.
talem hominem qui corripit, tantum abest ut efficiat aliquid, ut
nihil aliud quam ignominiam et convicii labem sibi conflet. לֹקֵחַ
8. pertinet etiam ad מוֹכִיחַ, hoc vero est pro מוּם לוֹ. — *Noli redar-
guere irrisorem, ne oderit te! Redargue sapientem, et amabit
9. te! — Da sapienti* i. e. institue sapientem, *et sapiet magis,* sa-
pientior reddetur; *Edoce justum, et augebit* ille *doctrinam.* De
לֶקַח vid. ad 1, 6. Prorsus a vero aberrant, qui hunc cum superiore
versu in parenthesi interjectum volunt. Vid. quae monuimus ad
10. vs. 7. — *Initium sapientiae* est *timor Jovae, Et cognitio Sanc-
tissimi,* dei, est *intelligentia.* קְדֹשִׁים de Jova, ut 30, 3., Hos.
11. 12, 1. Cf. ad totum hunc versum 1, 7. ibique not. — *Sane per
me multi erunt dies tui,* magnus erit dierum tuorum numerus,
Et augebuntur tibi anni vitae. כִּי non repugnabo si malueris
nam significare retulerisque ad vs. 5. Verba יוֹסִיפוּ לְךָ שְׁנוֹת חַיִּים
Gesenius in Thes. p. 603. b.: *augent tibi annos vitae* i. e. augentur
tibi anni vitae, coll. de hoc usu impers. activi Gramm. min. §. 134.
not. In eadem sententia est Rosenmüllerus. Reliqui tacent. Ego vero
nullus dubito, quin יוֹסִיפוּ h. l. propr. significet accessionem facere,
hinc incrementum capere, *augeri.* Non obstat differentia generis
inter Praedicatum et Subjectum, quum Praedicatum sit praepositum,
cf. Ges. gr. §. 144, a. Quid? quod יוֹסִיפוּ dici potuit habita ratione
12. Genitivi quocum junctum est שְׁנוֹת, cf. §. 145, 1. — *Si sapiens
fueris, sapiens eris tibi,* fructus sapientiae tuus erit; *Et si
irrisor fueris,* cf. ad vs. 7., *tu solus* id *feres,* ejus rei poenam
13. lues. — Pars altera. *Mulier stultitiae* est *impetuosa, Fatua, nec
novit quidquam,* et omnium rerum ignara est. Mulieris sub ima-
gine stiterat sapientiam, sistit igitur et stultitiam. פְּתַיּוּת abstr.
14. pro concr. — *Et sedet ad ostium domus suae, In sella in locis
editis urbis.* מְרֹמֵי nonnulli Accusativum adv. habent; alii cogi-
tando repetunt עַל. Ferri potest utrumque. Sed quod supra vs. 3.

est עַל־גַּפֵּי מְרֹמֵי קָרֶת suadet, ut מְרֹמֵי construatur cum כִּסֵּא. *Sella
locorum editorum vero est sella posita in locis editis. — *Ut vo-* 15.
cet praetereuntes via, Rectas facientes vias suas, recta via
procedentes: — *Quis est imperitus?* quicunque est imperitus, 16.
devertat huc! Et qui vecors est, dicit ei, quae sequuntur vs. 17.
Vid. ad vs. 4. cui hic respondet ad verbum. — *Aqua furto ablata* 17.
dulcis est, Et panis clandestinus, qui clam comedi debet, quo
palam vesci non licet, *suavis est.* Cf. tritissimum illud Ovidii
Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Negat Ewaldus,
haec verba esse stultitiae, ut quae non tam stulta sit, ut talia dicat
de se ipsa. In quo judicio egregie fallitur vir doctus. Nec vult nec
potest unquam se dissimulare pravitas. Sed grata, dulcia esse
quae offerat, vetita, hoc est quod dicere amat idque etiam hoc loco
dicit stultitia. — *Nec scit* incautus ille, qui invitanti aurem prae- 18.
bet, *manes*, perditos, *ibi* esse, in domo stultitiae, *In vallibus orci*
vocatos ejus, inimo orco varsari, exitio datos esse invitatos ab ea.

CAP. X—XXII, 16. *Sententiae Salomonis.* Pars secunda, antiquissima totius libri neque indigna Salomone, continens sententias varii generis aureas, ad totam vitam formandam idoneas, nullo interse vinculo junctas singulasque unius fere commatis limitibus circumscriptas.

CAP. X. *Filius sapiens laetitia afficit patrem; Et filius* 1.
stultus aegritudo est matris suae, sollicitudinem affert matri. —
Nihil prosunt thesauri improbitatis, improbe, inique parti, ex 2.
rapinis et sceleribus collecti, siquidem male parta male dilabun-
tur; *Et*, at *justitia eripit ex morte*, i. e. exitio, pernicie, neque
enim proprie intelligendam esse mortem, sed perniciem indicari,
oppositam חַיִּים vitae i. e. felicitati, docet res ipsa. Eandem vim
habes infra 11, 19. 12, 28. al. Ad membrum prius cf. illud
Plauti *male partum male disperit.* — *Non sinit esurire Jova* 3.
animum, concupiscentiam, appetitum *justi; Et*, at *cupiditatem*
improborum repellit. נֶפֶשׁ eo modo accipiendum esse quo ac-
cepimus quoque accipitur 6, 30. 23, 2., ostendit nexus, ostendit
quod in altero membro respondet הַוָּה *cupiditas, cupido*, ut Mich.
7, 3., ab הָוָה havere, cf. אַוָּה ab אָוָה avere. — *Pauper est* vel *fit* 4.
qui opus facit manu remissa; Et, at *manus sedulorum ditat.*
רָאשׁ Particip. Ges. gr. min. §. 71. adn. 1. כַּף־רְמִיָּה Acc. Ges. ibid.
§. 116, 3. — *Qui congerit*, colligit *aestate*, est *filius prudenter* 5.
agens; Qui stertit, dormit *messis tempore*, est *filius turpiter*

agens, nefarie faciens. Ut hoc loco sic infra 14, 35. 17, 2. inter
se opponuntur מַשְׂכִּיל et מֵבִישׁ. Neque enim prudentis est nefarie
facere. Ceterum *filii* nomine nulla alia de causa utitur, quam
6. quod ad juvenes oratio directa est. — *Faustae preces in caput*
justi, justo fausta precantur omnes; *Et,* at *os improborum operit*
injuria, improborum os opertum quasi injuria est, nil nisi inju-
riosa proloquitur, ita ut tali homini nemo unquam laeta apprecetur,
id quod cogitando suppressum est, quippe supplendum ex altero
membro. Quae hic efficiunt membrum posterius, iisdem verbis
leguntur vs. 11. et eo quidem nexu, ut facile intelligas, ab illo
7. loco originem habere verba. De כַּסֶּה vid. ad vs. 11. — *Memo-*
ria justi est *laudata; Et,* sed *nomen improborum putrescit,*
8. perit, deletur. — *Sapiens corde,* cui cor sapit, is *accipit,* ad-
mittit *praecepta; Et,* at *stultus labiis,* cui desipiunt labia, qui
imprudenter et inconsiderate loquitur, sua tantum pertinaciter de-
9. fendens, *praeceps ruit.* — *Qui incedit in integritate,* vivit in-
tegre, *incedit tuto; Et,* at *qui pervertit vias suas,* perverse agit,
sentiet, poenas dabit. נוֹדַע ut Jer. 31, 19., ad quem locum vid.
Alii tamen, in his Umbreitus et Ewaldus: *qui intorquet vias suas,*
10. *animadvertetur, deprehendetur,* haud incommode. — *Qui nictat*
oculo, tecte, maligne, *affert,* creat *dolorem,* animos vulnerat; *Et*
stultus labiis, cui desipiunt labia, i. e. qui temere animi sui sensa
effutit, *praeceps ruit.* De קֹרֵץ עַיִן vid. quae observata sunt ad 6, 13.
Pro iis quae posteriore hemistichio recepta sunt Ewaldus legi jubet
וּמוֹכִיחַ בִּשְׂפָתַיִם שָׁלוֹם *et,* sed *qui castigat labiis,* aperte, *pacem* creat,
coll. LXX. *ὁ δὲ ἐλέγχων μετὰ παῤῥησίας εἰρηνοποιεῖ,* sic demum conci-
nere putans membrum posterius cum priore. Qua mutatione fa-
cile profecto carebis, quum concinant membra, uti sunt, et optime
quidem. Quod vult scriptor hoc est, periculosum esse et tecte
loqui et temere loqui, quum, prius qui faciat, noceat aliis, qui
posterius, ipse sibi. Ceterum cf. vs. 8. cujus idem est comma
11. posterius. — *Fons vitae,* salutis, salutaria proferens est *os justi;*
Et, sed *os improborum operit injuria,* injuriarum plenum est os
improborum, nil nisi injuriosa et noxia proferens. cf. vs. 6., ubi
eadem habentur. Ad כַּסֶּה cf. Mal. 2, 16. Ewaldus utroque loco
verbo celandi significatum tribuit coll. 12, 16. 23., ita ut פֶּה effi-
ciat Subjectum, חָמָס Objectum in hanc sententiam: *et os impro-*
borum celat, fovet *injuriam.* Quo admisso significatu sensus lo-
12. corum non mutatur. — *Odium excitat rixas; Et,* at *omnia*

delicta tegit, condonat *amor*, caritas. — *In labiis intelligentis* 13.
invenitur sapientia; Et, at *virga* competit *dorso vecordis*. Tan-
tum abest, ut quae priori hemistichio respondeant posterius non
habeat, ut augeat dicenda, dementiae substituens quae illi debetur
virgam. — *Sapientes recondunt* alta mente *scientiam*, quae 14.
sciunt non inconsiderate effundunt; *Et*, at *os stulti ruina pro-
pinqua* est, aedificio simile est cujus imminet strages, semper in
eo est ut rumpat, nunquam non paratum est temere proferre co-
gitata animi. cf. simillima sententia 12, 23. — *Opes divitis* sunt 15.
ejus urbs munita, ejus praesidium; *Ruina tenuium* est *eorum
paupertas*, ruunt, pereunt tenues sua egestate. — *Merces justi* 16.
ad vitam i. e. merces quam refert justus, salutem affert; *Proven-
tus improbi ad peccatum*, improbitatis fructus peccata sunt ac
proinde pernicies. Alii: *opus justi ad vitam*, salutem afferunt
opera justi; *Proventus improbi*, improborum facta *ad peccatum*.
Sed cf. 11, 18. — *Via ad vitam* est i. e. viam quae ducit ad sa- 17.
lutem monstrat *qui servat disciplinam; Et,* sed *qui relinquit re-
prehensionem, errare facit,* in errorem ducit. A quo facillimo,
simplicissimo et aptissimo sensu vix credas potuisse interpretes
aberrare. מַתְעֶה omnes intransitive capiunt. Prioribus autem
verbis vim inferunt, suo quisque modo. Rosenmüllerus: „*semi-
tam ad vitam* custodit, *qui custodit disciplinam,* ut שׁוֹמֵר medium
inter utrumque Accusativum positum sit, vel *semita ad vitam*
est semita *custodientis disciplinam.*“ Violenter utrumque. Quod
idem valet in interpretationem propositam ab Umbreito hanc: „*via
ad vitam* illi, *qui custodit disciplinam.*“ De Wette, qui alias raro
aberrat a vero, et Ewaldus: *via ad vitam* incedit, *qui* rel., prior
precario sumens incedendi verbum, posterior optionem dans,
utrum velis אֹרַח *viatorem* significare coll. Job. 31, 32., an, quod
ipsi magis probetur, legere אֹרֵחַ. — *Qui tegit*, dissimulat *odium*, 18.
est *labiis mendacibus*, ore mendaci; *Et qui profert,* spargit *ca-
lumniam, is stultus*, nequam est. Verba שִׂפְתֵי־שָׁקֶר nequaquam,
ut opinatur Ewaldus coll. §. 515. editae ab ipso Grammaticae, hoc
modo intelligenda esse: Qui celat odium *labiis mendacibus* rel.,
sed Praedicatum efficere verborum praecedentium, ita ut hemi-
stichium prius ad verbum sic sonet: *tegens odium, labia mendacia,
Hass-Verberger, Lügen-Lippen,* ostendit parallelismus. cf. 12, 6.
Ad cogitata autem quod attinet, concinit membrum posterius cum
priore in eo, quod etiam calumniator occultum erga alios odium

alit. Quare quum membrorum sententiarumque justa aequalitas
sit, nullo modo probandum est, quod Ewaldus duce Alexandrino,
qui loco שֶׁקֶר expressum exhibet δίκαια, pro ea voce scribendum
19. putavit צַדִּיק. — *In multitudine verborum non deest delictum,*
facillime delinquitur aliquid; *Et qui cohibet labia sua, pruden-
ter facit*. cf. graecum illud apud Stobaeum πολυλογία πολλὰ
σφάλματα ἔχει et hoc latinum Catonis Virtutem primam esse puta
compescere linguam, Proximus ille deo est, qui scit ratione ta-
20. cere. — *Argentum electum, praestans est lingua justi; Cor*
21. *improborum perpaucum,* exigui, nullius pretii. — *Labia justi
pascunt,* juvant, erudiunt *multos; Et* sed *stulti vecordia mori-
untur,* non modo alios non juvant, sed sua vecordia pereunt
ipsi Alii, in quibus Rosenmüllerus, quum חֲסַר alias semper
sit st. constructus Adjectivi, posterioris hemistichii hunc qui mi-
nus concinnus videtur sensum faciunt: *et stulti per vecordem
moriuntur,* „quemadmodum unus probus multis prodest, ita ex
adverso unus demens aliis insipientibus causa exitii evadere po-
22. test perversis suis consiliis.“ — *Favor Jovae, is ditat; Nec*
quidquam *addit ei labor gravis.* בִּרְכַּת יְהוָה etiam objective
capi potest, ut intelligatur felicitas divinitus data. Quo vis sen-
tentiae, ad quam cf. Ps. 127, 2., non mutatur. Rosenmüllerus,
Umbreitus et alii hunc posterioris membri sensum faciunt: *ne-
que addit* Jova *ei,* felicitati ab ipso datae *dolorem.* Quo ele-
23. gantior est supra enarratus. — *Pro ludo est stulto, patrare sce-
lus; Et sapientia,* sapientia vero *viro,* homini *intelligenti* i. e.
homini intelligenti vero pro ludo est sapientia, lusus est sapien-
tia uti. Male hoc membrum Rosenmüllerus; „*sed sapientia* est
viro intelligentiae, virum intelligentem sapientia ab omni sce-
lere perpetrando retinet.“ Quod in priore membro expressum
est בִּשְׂחוֹק pertinet etiam ad posterius. Ita perfectus atque ele-
24. gans et parallelismus et sensus est. — *Metus improbi* i. e. id
quod metuit improbus, *is,* id *ei superveniet; Et desiderium ju-
storum,* et justi quod desiderant, optant, *dabit* deus. Factorum
suorum praemia ferent et improbi et probi; dabitur cuique quod
debetur: improbo quod horret, probo quod optat. יִתֵּן pro quo
Ewaldus suspicatur legendum esse יֻתַּן, sine negotio refertur ad
25. deum, cum solius dei sit factorum praemia dare. — *Quemadmo-
dum transit turbo, sic non est improbus,* quanta celeritate
transit turbo, tanta esse desinit, perit improbus; *Et,* at *justus*

fundamentum sempiternum est, nunquam movetur loco, manet incolumis. Nonnulli בְּ particulam temporis habent in hanc sententiam, *cum transierit turbo,* turbo cum ingruerit, *non est* rel. In his Ewaldus, hanc afferens rationem, quod turbo fundamentum firmum non abripiat. Sed nemo non videt, etiam ad sensum supra enarratum aptum esse membrum posterius. Quare quum ex eo improbus non solum perire verum etiam quam cito pereat dicatur, praeferenda videtur interpretatio prior. — *Ut acetum* 26.
dentibus atque ut fumus oculis, Ita piger mittenti eum. Sensus: ut acetum dentibus, fumus oculis nocet, ita piger nocet ei a quo mittitur, negotium commissum aut non aut perperam exsequens. In plurali שֹׁלְחָיו recte monet Ewaldus scriptori ante oculos obversari אֲדֹנָיו. cf. 25, 13. ubi statim subjicitur. Idem valet in 22, 21. — *Timor Jovae auget dies* vitae; *Et,* sed *anni,* anni 27.
vero *improborum sunt breves.* — *Spes justorum* est *laetitia,* 28.
desinit in laetitiam, laetum eventum habet; *Et,* at *exspectatio improborum perit,* speratis improbi excidunt. — *Munimentum* 29.
integritati, integris est *via Jovae* i. e. agendi ratio ab ipso praescripta, ipsi probata; *Et,* sed *ruina,* interitus *maleficis,* facinorosis. Quae Jovae probatur agendi ratio munimentum est integris, quia integri eam tenent, tenentes Jova tuetur; interitus eadem maleficis, quia hi eam non tenent, non tenentes Jova perdit. Umbreitus דֶּרֶךְ construit cum לַתֹּם hoc modo: *munimentum integro viae,* integris vitae est *Jova* rel. Quae structura, quanquam quem fundit sensus non minus aptus est, tamen posthabenda est alteri propterea, quod תֹּם munitum est articulo. Nam quo minus pro Acc. adverbiali habeas דֶּרֶךְ te debet impedire תָּם־דָּרֶךְ 13, 6. Accedit, quod qui accentus scripserunt et ipsi דֶּרֶךְ a לַתֹּם distinguendum putarunt. Ad יְהוָה autem si referendum דֶּרֶךְ, quaeritur, sitne דֶּרֶךְ יְהוָה ipsius Jovae agendi ratio, ut Ps. 18, 31., an hominum ratio agendi, ab ipso praescripta, ipsi probata, ut Ps. 27, 11. Aptum vero est non solum quod expressimus supra posterius, sed prius quoque. Nam cum dei facta non possint non esse recta et justa, sponte sequitur, ut probis sint praesidio, improbis afferant perniciem. Hinc rem in medio relinquendam putamus. Ceterum errat in eo Rosenmüllerus, quod posterioris membri Subjectum solum יְהוָה facit, quum quemadmodum prioris sic posterioris Subjectum efficere debeat דֶּרֶךְ יְהוָה. — *Justus in perpetuum* 30.
non nutat, non nutat unquam, nunquam de statu suo deturbatur;

Et, at *improbi non habitabunt terram*, patriam, salvi et incolu-
31. mes, cf. 2. 21, et quae eo loco laudavimus. — *Os justi germinat*
sapientiam; Et, sed *lingua perversa*, loquens perversa, contra-
ria recto, *exstirpatur*. De לְשׁוֹן תַּהְפֻּכוֹת vid. ad 2, 12. Mem-
32. brorum eadem ratio aderat supra vs. 13. — *Labia justi norunt*
gratiam, norunt loqui quae grata sint, gratiam concilient; *Et*,
sed *os improborum perversa* novit, non novit nisi perversa
loqui.

1. CAP. XI. *Bilances fallaces* sunt *abominatio*, res abomina-
bilis *Jovae*, ei sunt abominationi; *Et*, sed *pondus integrum*,
2. justum *deliciae ejus*, eo delectatur, id ei acceptum est. — *Si*
venit insolentia, *venit ignominia*, veniente insolentia venit et
ignominia, insolentiam sequitur ignominia; *Et*, sed *cum submis-*
sis, apud modestos est *sapientia*, modestiae comes est sapientia.
Completur sine negotio posterius membrum ex priore. In בָּא זָדוֹן
suppressa particula compensatur verbo *praeposito*. In זָדוֹן et
3. קָלוֹן observa paronomasiam. — *Integritas rectorum ducit eos*,
rectos, probos sua ducit integritas; *Et*, sed *perversitas perfido-*
rum perdit eos, perfidos perdit sua perversitas. Pro ושדם
(omisso in Concordantiis Fürstii) non efferendo וְשֻׁדָּם, ut efferunt
Jahnius, Rosenmüllerus et alii, sed וְשַׁדָּם, quod est Perf. rel. cum
Suff., Masorethae legi iubent Impf. abs. יְשָׁדֵּם. Servandum esse
Ketib vix est quod moneamus. Est autem eadem hic ratio formae
relativae, quae Exod. 16, 7. 1 Reg. 12, 17. al., siquidem quod
4. praecedit סֶלֶף בֹּגְדִים absolute est praepositum. — *Nihil prosunt*
opes die irae divinae, die judicii quo deus poenas sumet ab im-
probis; *Et*, at *justitia eripit ex morte*, liberat exitio. Ad יוֹם
עֶבְרָה cf. Zeph. 1, 15. 18., ubi plene vocatur יוֹם עֶבְרַת יְהוָה et
describitur ille dies. Similia priori hemistichio legimus vs. 2.
membro priore; posterius vero idem est quod posterius ejusdem
5. vs. — *Justitia integri*, probi *rectam facit viam ejus*, facit ut
res ejus bene cedant; *Et*, sed *improbitate sua cadit* i. e. mala pa-
titur *improbus*. יְשַׁר eodem modo intelligendum quo supra 3, 6.
6. eodem nexu. — *Justitia rectorum*, proborum *eripit*, liberat *eos*,
sua probos justitia liberat; *Et*, sed *pravis studiis perfidorum*
capiuntur ipsi, sed pravis suis studiis capiuntur perfidi. בְּהַוַּת
hoc loco et Ps. 52, 9. eam quam significavimus vim habet, repe-
tendam a notione cupiditatis 10, 3. Justo arctior est ipsius cu-
piditatis significatus, quem voci tribuunt Umbreitus et Ewaldus,

latior justo significatio pravitatis, nequitiae, quam ponunt Gesenius, Rosenmüllerus, de Wette et alii. — *Cum moritur homo impro-* 7.
bus, perit spes, hominis improbi, cum moritur, spes perit; *Et exspectatio facultatum*, opum, divitiarum *perit*. Rectissime Ewaldus rejicit opinionem eorum, qui אוֹנִים positum putant pro פְּעָלֵי אָוֶן, אַנְשֵׁי אָוֶן, Gesenii, Wineri, Rosenmülleri, Umbreiti, de Wettii. Violenta enim ea interpretatio est, nec nisi nolentibus quasi inculcata a parallelismo male intellecto. Quemadmodum enim sibi invicem respondent תּוֹחֶלֶת et תִּקְוָה, item אָבְדָה et תֹּאבֵד, sic videbantur sibi invicem respondere debere אוֹנִים et אָדָם רָשָׁע. Verum quae ab ipso Ewaldo allata est haud profecto melior videtur medicina. *Exspectationem aerumnarum*, aerumnarum plenam is credit esse תּוֹחֶלֶת אוֹנִים coll. לֶחֶם אוֹנִים Hos. 9, 4. Vix dubium, quin אוֹנִים sit Pluralis non אָוֶן sed אוֹן nominis significetque ut alias *facultates, opes*, ut sententia nascatur similis illi, quae continetur vs. 4. hemistichio priore. Vide quam concinnus sic prodeat parallelismus, quam artificiose et eleganter unum membrum compleatur altero. Quemadmodum enim in priore membro cujusnam spes pereat dicitur, non dicitur quaenam, sic ex nostra interpretatione in posteriore quaenam spes pereat exprimitur, non exprimitur cujusnam. — *Justus ex an-* 8.
gustiis liberatur, Et venit improbus in locum ejus, succeditque in ejus locum, adducitur in angustias e quibus ille est ereptus, improbus. — *Ore profanus*, impius *perdit alios; Et*, verum 9.
scientia, intelligentia *justorum* illi *liberantur*. Cum רֵעֵהוּ *quemvis alium* significet, vides, posse construi cum Plur. — *Felicitate* 10.
justorum laetatur civitas; Et cum pereunt improbi, jubilum est, laeti tolluntur clamores. — *Piis votis rectorum*, proborum 11.
evehitur civitas; Et, sed *ore improborum destruitur*. Sententia ita intelligenda est, ut verba ferunt. Nam rata haberi pia vota dirasque, universa credebat antiquitas. Et habentur sane plerumque, quia qui aliis bene precantur aut exsecrantur alios, solent ut votis respondeat eventus, quantum possunt ipsi curare. — *Qui* 12.
despicit alios, fastuose in alios se gerit, *vecors* est; *Vir intelligens*, prudens *tacet*. — *Qui it obtrectatum, detegit*, aperit *ar-* 13.
canum; Et, sed *qui fidi est animi, rem tegit*. Ergo, si videris aliquem arcana prodere alterius, hunc tu caveto! Hoc est quo tendit sententia. — *Ubi desunt gubernationes* (Job 37, 12.) vel 14.
consilia sana (Prov. 1, 5.), *corruit populus; Et*, at *salus* est *in*

15. *multitudine consultorum.* — *Male* quis *habebitur, si spoponderit pro alieno,* damno afficietur qui promiserit, se alius loco aliquid praestiturum esse; *Et,* sed *qui odit sponsores,* i. e. vitium eorum qui temere spondent, *securus* est. cf. 6, 1. Praemisso ברע nomine vis verbi augetur, ut in קָצַף קֶצֶף Zach. 1, 2. ubi vid.
16. quae adnotavimus. — *Mulier venusta assequitur honorem, Et validi assequuntur divitias.* Quibus verbis fuerunt qui utriusque sexus virtutes describi putarent, unam feminarum, quarum vis sit gratia vultus ac morum, alteram virorum, qui sint pollentes corporis viribus, ut hic sit sensus: quod viri corporis robore obtinent, id feminae forma et venustate. Non male. Sed elegantior prodibit sensus, si copulam habueris quod vocant Vav adaequationis, hic inquam: mulier venusta assequitur honorem, perinde atque validi cet., collatis locis 26, 9. Job. 5, 7. 12, 11. 14, 19. 34, 3. in quibus Vav eodem modo interpositum deprehendes sententiis inter se comparandis. Quam interpretationem jam aperuit A. Schultens, qui idem *et* particulam in sententioso Orientis stylo loco *ut* positam admirabilem effectum parere monuit verissime. Ewaldus, quum עָרִיץ nusquam alias sensu bono accipiatur, praeterea quas violenti parent opes non durent, locum corruptum existimat, restituendum ex Graeco Alex., qui pro duobus membris quatuor habet haec: *Γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν, Θρόνος δὲ ἀτιμίας γυνὴ μισοῦσα δίκαια. Πλούτου ὀκνηροὶ ἐνδεεῖς γίνονται, Οἱ δὲ ἀνδρεῖοι ἐρείδονται πλούτῳ.* Sed tantum abest, ut עָרִיצִים ad reliqua quae nostri codices exhibent verba aptum non sit, ut sit aptissimum. Eleganter Schultens: „mulier si gratia ac virtute praestet, admirationem omnium ad se rapiet tam valide, tam potenter, ut contendi possit cum violentis virorum, qui aliorum opes rapiunt." Nec firmius alterum argumentum, quum tertium comparationis quod vocant non sit nisi in arripiendo, capiendo positum. Ad Graeca vero quod attinet, certe quae inde a *πλούτου* le-
17. guntur misere languent. — *Benefacit suo animo,* sibi ipsi *vir benignus; Et affligit suam carnem,* se ipsum *crudelis* i. e. sibi ipsi benefacit, qui benefacit aliis; se ipsum affligit, qui affligit alios. Alii: *Qui benefacit sibi ipsi, vir benignus* est; *Et qui affligit suam carnem, crudelis* est, id est, qui benefacit sibi ipsi, is et erga alios se benignum praebet; et qui se ipsum male habet, is etiam erga alios immanis est. Quarum interpretationum difficile dictu est utra sit praeferenda. Bo-

nus est utriusque sensus. — *Improbus facit sibi mercedem fal-* 18.
lacem; Et, sed *qui serit justitiam, praemium certum*, fallax est
improbi, probi certa merces. — *Integer justitia*, cujus integra 19.
est justitia, *ad s. in vitam* est i. e. integer est hoc eventu, ut vivat,
integritatis mercedem is refert vitam, salutem; *Et*, sed *qui secta-*
tur malum, ad mortem est, malefactorum mercedem refert mor-
tem, perniciem. כֵּן hic non est Adv. sed Adj. participiale signi-
ficans *rectum, integrum*, ut Gen. 42, 11. 19. 31. 33. 34. In
eadem sententia de Wette, Umbreitus, Ewaldus. Rosenmüllerus
tamen: *Sic justitia ad vitam* ducit, *Et qui persequitur malum,*
ad mortem tendit, connecti putans hunc versum tanquam epipho-
nema cum superiore vocula כֵּן *sic*. Quod ferri possit propterea,
quod superiore versu scriptor tantummodo dixerat, fallacem im-
probi, probi certam mercedem esse, non dixerat, qua re utraque
contineatur. Languidior tamen hic sensus videtur. In לְחַיִּים,
לְ לְמוֹתוֹ eodem modo accipiendum, quo infra vs. 24. et saepe
alias. — *Abominatio Jovae*, Jovae abominabiles sunt *perversi* 20.
animo, perversi animi homines, abhorret Jova ab his hominibus;
Et, sed *deliciae ejus*, Jovae sunt *integri viae*, vitae, sed delec-
tatur Jova iis qui integre vivunt. — *De manu in manum* i. e. per 21.
omnes generationes, aetates *impunis non erit* i. e. nunquam im-
punis erit *malus*, homo improbus; *Et*, at *soboles justorum eva-*
dit, salva est. Umbreitus et Ewaldus יָד לְיָד loquutionem confir-
mantis esse putant, cujus haec sit vis: sit dextra fidei testis! per
vivum adjuro Jovam! crede mihi asseveranti! Cui explicationi ea
quam supra enarravimus secuti A. Schultensum, Gesenium, Ro-
senmüllerum et alios, simulatque sensum quem subjecimus verba
in se spectata ferre possunt, ea de causa praeferenda est, quod
sic tantum quod in posteriore hemistichio est זֶרַע habet quod in
priore respondeat. Neque est cur neges, posse יָד לְיָד per se
ferre eam vim quam subesse diximus, quanquam fatendum est,
eam dicto quod laudant persico Sadii hoc *Ut imperium ad nos*
devolutum est e manu in manum, sic in manus iterum aliorum
transibit nequaquam firmari ita, ut non desideretur exemplum
magis idoneum. Ceterum conferendum, quod Exod. 20, 5 sq.
Jova dicitur culpam patrum in liberis persequi ad tertiam usque
et quartam stirpem, sed ad millesimam usque stirpem benignum
iis se exhibere, qui ipsum ament et praecepta sua servent. —
Annulus aureus in naso porci: Mulier pulchra et, eademque 22.

insipida i. e. tam decet pulchritudo insipidam, quam porcum an-
nulus aureus. Rosenmüllerus: „Proverbium in eum, cui res
pulchra obtingit, sed quae ei non addecet.“ Atque ita et Umbreitus.
Qui sensus justo latior est. Agitur de muliere. Ceterum annulus
in *naso* ponitur porci, quia qui ornatus causa a mulieribus gesta-
23. bantur annuli, in naso maxime gestabantur. — *Desiderium justo-
rum nil nisi bonum; Spes improborum ira* divina. Sensus: Pro-
bis mera felicitas obtingit, improbis poena. תַּאֲוָה et תִּקְוָה pro
eventu esse desiderii et spei, ostendit hemistichium posterius.
24. De צְדָקָה vid. ad vs. 4. — *Est qui dispergit,* largiter distribuit,
liberalis est, *et augetur etiam,* crescit opibus; tantum abest ut
pauper sua liberalitate fiat, ut copiosior fiat; *Et* est *qui parcit,*
parcus est *plus justo, tantummodo in egestatem,* non alio eventu,
quam ut redigatur ad egestatem. Verbi נוֹסָף Rosenmüllerus et
Ewaldus non debebant Subjectum facere opes. Est idem potius
quod praecedentium. מִן praemissum יֹשֶׁר voci est particula com-
25. parandi. לְ prorsus ut vs. 19. — *Anima munifica,* homo muni-
ficus *large satiatur,* liberalis animi homo cumulatim habet; *Et
qui potum praebet, ipse quoque potat,* et qui beneficiis recreat
alios, recreatur ipse. יוֹרֶא pro יוֹרֶה purum putum Participium
26. Kal. — *Qui cohibet,* comprimit, lucri causa, *frumentum, eum
exsecratur populus; Et faustae preces in caput ejus qui an-
27. nonam vendit,* sed qui vendit, ei fausta exoptant. — *Qui sectatur
bonum,* eo ipso *captat favorem,* gratiam dei et hominum; *Et,* sed
28. *qui quaerit malum,* id *ei superveniet.* — *Qui confidit divitiis
29. suis, is cadit; Et,* sed *ut folium justi florent.* — *Qui conturbat
domum suam* i. e. qui perturbat rem familiarem, male curat res
domesticas, *possidebit ventum,* opes suas profundet ventis; *Et
servus* erit *stultus sapienti,* obnoxius erit istiusmodi homo illi,
qui fuerit rei familiaris bene regundae peritus. עֹכֵר בֵּיתוֹ multi,
in his de Wette, *qui perdit,* in perniciem praecipitat *domum
30. suam* interpretantur, haud apte ad יִנְחַל־רוּחַ. — *Fructus justi
arbor vitae* est i. e. perpetuam incolumitatem afferunt quos ex
justo homines percipiunt fructus, cf. 3, 18., *Et capit animos sa-
piens,* et propter hoc ipsum, quod alios beatos reddit omnium
animos ad se allicit sapiens. Ante עֵץ חַיִּים nequaquam opus est
ut cogitando repetatur פְּרִי. Commode probi hominis facta et
consilia ipsi comparantur arbori vitae. Ceterum videt lector, quam
bene concinant membra. Idem observavit in versu superiore.

Valeat igitur festinantius proposita ab Ewaldo et aliis conjectura,
qua turbato membrorum ordine פְּרִי צַדִּיק עֵץ חַיִּים fieri jubetur
membrum posterius versus 29., עֶבֶד אֱוִיל לַחֲכַם־לֵב hemistichium
prius versus 30., et לֹקֵחַ נְפָשׁוֹת חָכָם ejusdem posterius. — *Ecce,* 31.
justo in terra rependitur: Quanto magis improbo et peccatori.
Difficultatem habet אַף כִּי. Neque enim plane perspicitur, qua ra-
tione dicatur *quanto magis,* quum homini probo eodem jure debe-
atur virtutis praemium, quo improbo poena improbitatis. Nulla
erit difficultas, si quod fecit Umbreitus יְשֻׁלָּם prioris membri in
malam partem acceperis. Id vero, quum שִׁלֵּם sit verbum anceps,
in bonam partem accipiendum ubi agitur de recte factis, in malam
ubi de pravis facinoribus, fieri omnino nequit, nisi ad צַדִּיק cogi-
tatione suppressum putaveris: si deliquerit aliquid, vel, quod
eodem redit, scriptorem neminem plane justum habuisse existi-
maveris.

CAP. XII. *Qui amat disciplinam, amat scientiam,* quia 1.
qui illam admittit, hujus fit compos; *Et,* sed *qui odit reprehen-
sionem, brutus est,* manet. — *Bonus,* homo rectus, candidus, 2.
impetrat favorem a Jova; Et, sed *virum insidiosum,* mala me-
ditantem *condemnat.* De פוק vid. ad 3, 13. — *Non consistit,* 3.
stabilis est, manet incolumis *homo in improbitate,* improbus;
Et, sed *radix justorum non nutat,* moveri nescia, firma est, non
deturbantur de statu suo justi. — *Mulier proba corona,* orna- 4.
mentum est *domini,* mariti *sui; Et,* at *ut caries in ossibus ejus,*
absumens omnes ejus facultates viresque est *turpiter agens,* tur-
pis. — *Cogitata justorum sunt aequa,* recta; *Consilia improborum* 5.
fraudulenta. — *Verba improborum insidiantur sanguini,* de eo 6.
consultant improbi, quomodo alios e medio tollant spe lucri aliisve
de causis; *Et,* sed *os rectorum,* proborum *eripit eos,* quibus illi
insidias parant. Hemistichium prius ad verbum: *verba impro-
borum insidiari sanguini.* Eadem grata in struendo negligentia
aderat supra 10, 18. Ad quosnam referendum sit suffixum in
יַצִּילֵם colligendum est e nexu. Ad rem cf. 1, 11 sqq. — *Subver-* 7.
tuntur improbi, et non sunt, prostrati improbi repente esse de-
sinunt; *Et,* sed *domus justorum stabit* inconcussa. הָפוֹךְ רְשָׁעִים
propr. *subvertere improbos!* id est vel: subverte, cf. 25, 4 sq.,
i. e. simul atque subverteris, vel, quod simplicius: subvertunt im-
probos i. e. subvertuntur improbi. Ad rem cf. 10, 25. Umbreitus:
vertunt se improbi, quod velut per proverbium dictum vult ad

significandum momentum temporis collato simili qui in vernacula viget loquendi modo *ut vertitur manus.* Quae explicatio nullus dubito quin sit rejicienda. Firmatur quae supra enarrata est
8. hemistichio altero. — *Pro ratione intelligentiae suae laudatur vir,* laudatur quisque; *Et,* sed *qui est animi perversi, est contemtui.* Verba לְפִי שִׂכְלוֹ Umbreitus: *secundum os suum intelligens.* Cui interpretationi non grammatica ratio obstat, sed obstat
9. usus loquendi. — *Melior* est *ignobilis, et servus* est *ei,* cui servus est, qui servum habet, *Eo qui se jactat et caret pane.* Sensus: praestat humili qui conditione est et habet, unde commode vivere possit, eo qui se jactat nec habet quae ad victum suppeditent. Nam servum alere non potest nisi qui paret unde honeste vivat. Ex quo sequitur, sine idonea causa Ewaldum pro וְעֶבֶד לוֹ legi jubere וְעֹבֵד לוֹ *et qui opus facit* s. *agrum colit sibi.* Um-
10. breitus: *et* qui *servus* est *sibi,* quod quaesitum. — *Novit justus animum pecudis suae,* novit quid animi sit pecudi, quomodo sit affecta pecus, quod dictum pro: misericors est in ipsam pecudem (quanto magis in homines!); *Et,* „sed *cor improborum crudele* est. יָדַע נֶפֶשׁ פ' eodem sensu quo sumitur hic loci habes Exod. 23, 9. Alii, ut Umbreitus: *curat justus vitam pecudis suae.* Quo sensu elegantior ille est, quem nos fecimus. רַחֲמִים hic significat *viscera,* affectuum sedem, *cor,* qui significatus primarius est vocis. רַחֲמִים אַכְזָרִי est constructio quae dicitur ad sensum. Rosenmüllerus et alii: „*sed miserationes impiorum sunt crudele* quid, quasi dicat: miserationes impiorum nullae sunt vel, si quae sunt, sunt crudeles potius, dum, si vel aliquo subveniunt subsidio egeno, it fit conviciando, aut lucrum vel obligationem aliquam servilem aucupando.“ Quae est nimis curiosa interpretatio. Artificiosior etiam Ewaldus qui: *misericordia improborum* est
11. *tyrannus.* — *Qui colit agrum suum, satiatur pane; Et,* sed *qui sectatur* homines *inertes,* qui honestae occupationi se non dedunt, *vecors* est. רֵיקִים Rosenmüllerus „malim, inquit, neutraliter capere, ut intelligantur et vana et inania consilia, et res vanae et inutiles, quibus quis studet, unde nihil lucri et utilitatis capit. Ita Graecus Alexandrinus, qui μάταια.“ Sed idem prodit sensus, si *inertes* reddis רֵיקִים, isque significatus certior est. —
12. *Appetit improbus praesidium impiorum* i. e. student improbi in praesidio esse improborum, studet alter altero se defendere; *Et,* sed *radix justorum praebet,* intellige praesidium i. e. sed quod

improbi sibi invicem praestare nequeunt praesidium, probis praestat sua ipsorum stabilitas. En facillimum eundemque elegantem sensum loci misere vexati a superioribus. Rosenmüllerus: „In priori versus hemistichio interpretes in diversas partes trahit ambiguae significationis nomen מְצוֹד, quod et *rete* significat Coh. 7, 26., et *munitionem* Coh. 9, 14. Neutra significatio facit h. l. sensum inconcinnum. Sed habita ratione hemistichii sequentis magis congruens videtur, מְצוֹד *munitionis* significatu capere, hoc modo: *impius concupiscit munitionem malorum* hominum, i. e. desiderant impii, muniri et roborari pessimos, ut eorum societate roborati magis noceant, et magis sint formidabiles. Ita Vulgatus: *desiderium impii munimentum est pessimorum.* Vel: optant impii praesidia contra mala, quae timent sibi ingruere.“ Posterius hemistichium idem: *Radicem autem justorum dabit* sc. deus, i. e. ubi impii frustra concupiscunt asylum, abrepti infortuniorum turbine, ibi justis erit radix firma, a deo veluti alte impacta; firmam, tanquam arboris alte radicatae stabilitatem praesidiumque justis dabit. Ad יִתֵּן subaudiendum est dei nomen, ut 10, 24.“ Haec Rosenmüllerus. Umbreitus: „*Appetit improbus capturam* (eandem vim voci tribuunt Gesenius et Winerus) *malorum,* impiorum, student improbi se invicem opprimere; *Sed radicem justorum dat* deus, sed radicem deus dat piis, sed radices agunt deo favente pii.“ De Wette: „*Appetit improbus capturam mali* (abstractum intelligat an concretum nescio); *Sed radix justorum fert* fructus.“ Ewaldus: „*cupiditas improbi rete malum* est; *Sed radix justorum durat,*“ חֶמֶד legens pro חָמַד, מְצוֹד רָע pro מְצוֹד רָעִים, et, sc. ne intactum remaneat aliquid, יָתֵן (quod idem valeat quod אֵיתָן) pro יִתֵּן. Quae postrema interpretatio, si quidem interpretatio est, reliquarum omnium longe est violentissima. Nos nec mutavimus aliquid, nec complevimus temere. Nam quod in membro posteriore יִתֵּן verbi Objectum fecimus מְצוּדָה idem in priore Objectum est ejus verbi, cui יִתֵּן respondet, ita ut מְצוֹד ab ipso offeratur parallelismo, in qua re interpretationis nostrae positum est robur. — *In delicto* 13.
labiorum, in sermonibus iniquis est *laqueus malus,* perniciosus, nocet sibi ipsi qui sermonibus iniquis, impiis, calumniosis utitur; *Et,* sed *evadit ex angustiis justus,* homo rectus, sincerus. —
Ex fructu oris hominis *cujusque* is *satiatur bonis,* pro: ex 14.
fructu oris sui quisque satiatur bonis. *Et illatum manuum ali-*

cujus, et quod manibus quisque intulerit alteri, id *ei redibit*, retribuetur. Sensus: percipit quisque dictorum suorum fructum, et ut fecerit alteri, ita fiet ipsi. Non accurate Rosenmüllerus sic struit hemistichium prius: *de fructu oris* sui *vir* cet. Quum פְּ sit st. constr., verba sic ut nos struximus struenda sunt. גְּמוּל non, ut lexica docent, in universum significat actionem, opus, sed id quod *infertur* alicui ab aliquo, quo *afficitur* aliquis ab aliquo, ita ut *opus* quidem significet, sed tale quod referatur ad alios.
15. Pro יָשׁוּב Keri perperam יָשִׁיב. — *Via*, agendi ratio *stulti recta*
est *in oculis ejus*, ipsi recta videtur; *Et*, sed *audiens consilio*,
16. sed aliorum sano consilio qui utitur, *sapiens* est. — *Stultus*,
ipso die cognoscitur indignatio ejus, stulti indignatio cognoscitur statim, stultus si laesum se sentit, indignationem statim prodit; *Et*, sed *qui tegit ignominiam*, sibi ab aliis illatam, est *prudens*,
17. cautus. אֱוִיל Nomin. absol. Ad בַּיּוֹם cf. Neh. 3, 34. — *Qui*
spirat fidem, indicat justum, profert quod justum et aequum est;
18. *Et*, sed *testis falsus fraudem*. — *Est qui blaterat instar confossionum gladii*, sunt qui verbis temere effutitis aeque laedunt, ut qui infligit vulnera gladius; *Et*, sed *lingua sapientum* est *sa-*
19. *natio*, sed quae sapientes proferunt salutaria sunt. — *Labium verax consistit perpetuo; Et*, at *momentum temporis lingua mendax*, qui veritatem amant, semper perstant, momentum temporis mendaces. עַד־אַרְגִּיעָה propr. *dum nutum do*, cf. Jer. 49,
20. 19. — *Fraus* est *in corde machinantium malum; Et*, sed *suadentibus pacem laetitia*. Verbis vim infert Umbreitus, parallelismi non recte intellecti studio ductus. In priore membro causa exprimitur, in posteriore effectus. Ex causa vero cognoscitur effectus, ex effectu causa. Videsne jam, quam concinant membra?
21. — *Non obvenit justo ulla calamitas; Et*, sed *improbi pleni sunt malo*, infortunio. Umbreitus hemistichium prius: *nullum malum accidit justo tempore calamitoso*, putans, hoc quod addit *tempore calamitoso* et ipsum in אָנָה verbo inesse. In quo egregie fallitur vir doctus. אָנָה (in ipso elemento haud diversum ab אָנַח suspiria ducere) significat moveri, verti (cf. צָנָה et נוּעַ), hinc אִנָּה Exod. 21, 13. constructum cum לְיַד פ׳ de deo: *advertere* aliquid *alicujus manui* i. e. facere ut alicui aliquid obveniat, accidat; אֻנָּה Ps. 91, 10. et hoc loco cum אֶל, לְ: divinitus *adverti ad* aliquem i. e. obvenire, accidere alicui. Rosenmüllerus et alii: *non accidet justo ulla pravitas* cet., non fiet, ut justus iniquitatis

quicquam committat rei. Cui interpretationi non favet usus loquendi. — *Abominatio Jovae* sunt *labia mendacia*, abhorret 22.
Jova a labiis mendacibus; *Et*, sed *qui exercent fidem*, fideliter agunt, *deliciae ejus*, iis delectatur. — *Homo prudens*, cautus 23.
tegit, celat *scientiam*, non temere profert quod scit; *Et*, sed *cor stultorum praedicat stultitiam*, manifestum facit quicquid reconditum habet stultitiae. Rosenmüllerus: „tribuitur cordi, quod ori convenit, nimirum ideo, quia stultorum cor in ore est, uti contra os sapientum in corde ipsorum est situm, Sir. 21, 29." Quod non pro certo dixerim. *Cor* videtur propterea dici, quod cor sedes est intellectus et sapientiae, igitur et stultitiae 1 Reg. 10, 2. Jos. 14, 7. Jud. 16, 17. Hinc sapiens dicitur חֲכַם לֵבָב Job. 9, 4., חֲכַם לֵב in hoc libro 11, 29., contra stultus חֲסַר לֵב 7, 7. 9, 4. hujus libri. — *Manus sedulorum dominabitur*; *Et*, sed *remissio* 24.
manuum, ignavia *fit tributaria*, operae servae praestandae obnoxia. — *Sollicitudo in corde viri*, hominis, alicujus, *deprimit* 25.
illud; *Et*, sed *verbum bonum laetitia afficit illud.* De דְּאָגָה constructo cum verbo masc. vid. Ges. gr. min. §. 144. adn. 1. coll. 29, 25. לֵב praeter hunc locum et hemistichium quod sequitur non est generis fem. Sed nulla est difficultas in hoc genere. cf. pl. לִבּוֹת et נֶפֶשׁ. Violenta si quae alia est Umbreiti explicatio haec: *Sollicitudo* si fuerit *in corde hominis, deprimenda est; Verbum bonum convertet eam in laetitiam.* — *Circumducit*, 26.
deducit, dirigit in rectam viam *socium suum*, alios *justus*; *Et*, sed *via improborum errare facit*, in errorem ducit *eos*. Simillima huic sententia est quae legitur 10, 17. יָתֵר Imperf. Hi. תּוּר verbi, quod cum in K. significet circuire, in Hi. cum Acc. significat circumducere, deducere aliquem in viam rectam, ei viam monstrare. cf. chald. תַּיָּר dux. De ־ָם suffixo referendo ad מֵרֵעֵהוּ vid. ad 11, 9. — *Non caedet*, dejiciet *remissio* manuum, 27.
ignavia *ferinam suam*; *Et*, sed *divitiae hominis pretiosae sedulus* est, quod dictum pro: sed opes pretiosae obtingunt sedulo. Ad חָרַךְ verbum Gesenius in Thes. p. 520: „Hebraei interpretes ex Chaldaismo (vid. חֲרַךְ) *urendi*, *adurendi* et inde *assandi* significationem adhibent variis modis, sed parum idoneis. Dummodo *assandi*, certe *torrendi* significatio probari possit, apte explicaveris: *non assabit ignavus ferinam suam* i. e. homo ignavus et desidiosus nunquam potietur lucro exoptato, nihil enim sine labore acquiritur." Tutius tamen erit יַחֲרֹךְ cum C. B. Michaeli

aliisque *irretiendi* significatione accipere, quae firmatur derivato חֲרַכִּים cancelli, pr. *retia*, *clathri* et cogn. אָרַג *plexuit, texuit.* Ita LXX. οὐκ ἐπιτεύξεται θήραν, Vulg. *inveniet*, Chald. et Syr. *capiet*, *consequetur*." In eadem sententia est Rosenmüllerus. Fürstius in Concord. p. 435: „חָרַךְ sicuti כָּרַךְ convolvere, complicare; comprehendere, apprehendere, capere, veluti feras." Idem mox: „חֲרַכִּים fenestra, cancelli, propterea quod reticulatum est h. e. reticuli instar factum." Similiter scriptor Lexici cujus primi quatuor fasciculi nuper prodierunt Grimmae p. 248: „חָרַךְ (ἔρκω (scribe potius ἔργω), arceo, cf. כָּרַךְ) includere, hinc capere. A quo חֲרַכִּים clathri." Contra Ewaldus hebraicos interpretes sequens: *assabit*, coll. arab. חרק. Id vero non est nisi urere. Quid? si חָרַךְ conflatum ex forandi et pulsandi, tundendi radicibus חור (קר) et רך (רק) proprie significet perforare, hinc *caedere, occidere*, (ubi Objectum bellua, bestia est, amant latini dicere *abjicere, dejicere*, ut nos in vernacula *erlegen*), prorsus ut ejusdem etymi verbum mollius הָרַג, *clathri* vero חֲרַכִּים dicti sint a significatu primario, perforandi, inquam, significatu, plane ut חַלּוֹן ad quod conferendum Jer. 22, 14: קָרַע לוֹ חַלּוֹנָי *exscindit sibi fenestras.* Quae mea conjectura egregie confirmatur eo, quod quae 2 Reg. 12, 10. habentur וַיִּקֹּב חֹר בְּדַלְתּוֹ chaldaice sic sunt conversa וּנְקַב חַרְכָּא בְּדַשָּׁיהּ. Jam enim luce est clarius, חַרְכָּא proprie idem significare quod חֹר, i. e. *foramen*. Sensus loci idem manet, quem expressit Gesenius. Ceterum quod רְמִיָּה constructum est cum masc. est constructio ad sensum; cogitatur enim ipse ignavus. —

28. *In semita justitiae vita est*; *Et via trita est immortalitas.* Ad נתיבה Masorethae: הה' רפה, id est, *He* litera *lenis est*, i. e. sine Mappik. Sunt tamen etiam et scripti et editi libri, qui הּ exhibent. נְתִיבָה sine Mappik si legis, דֶּרֶךְ נְתִיבָה erit *via trita* i. e. recta et plana, in qua eunt probi, opposita deviis et inviis, in quas deflectunt improbi (cf. Ps. 125, 5.); si נְתִיבָהּ, expresso Mappik, דֶּרֶךְ נְתִיבָהּ erit *via tramitis ejus*, justitiae, via qua ducit justitia. Vides, aptum utrumque esse. Sed difficilior scriptura recepta ideoque tenenda. אַל־מָוֶת *non-mors*, nulla mors, immortalitas (cf. אַלְקוּם 30, 31.) id est id. quod in priore membro חַיִּים *vita* id est salus. Sed hic quoque diversitas scripturae est. Exhibent אֶל pro אַל plures libri idemque exprimunt veteres omnes. Neque incommodum id fundet sensum, modo *viam tritam* acceperis in malam partem. Sic enim haec prodibit sententia opposita priori:

et, at *via trita*, qua eunt multi, plerique, multitudo, faex populi, ducit *ad mortem*. Sed dubito equidem, an usus loquendi Hebraeorum hanc interpretationem admittat. Nusquam, quod sciam, in malam partem accipitur via trita, quum hoc sensu via curva dicatur potius. Accedit, quod אל in se spectatum difficilius est. Acquiescendum igitur in utraque voce in scriptura vulgata.

CAP. XIII. *Filius sapiens*, qui sapit filius, *disciplinam* 1.
patris audit, *Et*, sed *irrisor*, protervus contemtor veri et boni, *non audit increpationem*, objurgationem. Nonnulli: *Filius sapiens* est *disciplina patris* i. e. qui sapiens est filius, ex patria disciplina sapiens est cet. In eundem sensum Lud. de Dieu et Ewaldus מוּסָר Participium Ho. (quod alias non legitur) habentes: *Filius sapiens* est *castigatus patris*, castigatur, instituitur a patre, *Et*, sed *irrisor* est, qui *non audivit increpationem*. Ad quam coactam interpretationem delapsum Ludovicum de Dieu miror, non miror Ewaldum. Quod saepissime fit, ut in uno membro supprimatur aliquid, quod expressum est in altero, id fit hoc loco. Ex לֹא שָׁמַע, quod in posteriore hemistichio est, in priore, quippe opposito illi, complendum est שָׁמַע. Id quod jam Chaldaeus vidit, viderunt e recentioribus praeter alios Rosenmüllerus, Umbreitus, de Wette. — *Ex fructu oris* hominis *cujus-* 2.
que is vescitur bonis, pro: ex fructu oris sui quisque vescitur bonis, id est, percipit quisque bonorum, quibus utitur sermonum fructus; *Et*, sed *cupiditas perfidorum injuria vescitur* i. e. sed qui id agunt, ut aliis injuriam inferant perfidi, scelerati, injuriae percipiunt fructum, vel: *Et*, sed *cupiditas perfidorum injuria* est, non hoc sensu: sed perfidi nihil aliud cogitant quam injuriam, qua alios afficiant, sed eodem illo, qui nascitur ex priore interpretatione, recte enim nec sine vi factorum fructus velut consilio petiti sistuntur. Membrum prius fere iisdem verbis legitur 12, 14. — *Qui custodit os suum, servat animam* 3.
suam, se ipsum; *Qui distendit labia sua*, qui quidquid cogitat effutit, inconsiderate et temere loquitur, *ei ruina* est, huic imminet pernicies. cf. 10, 19. et quae observata sunt ad illum locum.
— *Cupit, et*, sed *nihil adest, appetitus ejus, pigri*, cupiunt, 4.
sed nihil eorum quae cupiunt consequuntur pigri; *Et*, sed *appetitus sedulorum large satiatur*, cumulatim habet. Ad נַפְשׁוֹ עָצֵל cf. אַחֲרִיתָהּ שִׂמְחָה 14, 13. coll. Ges. gr. min. §. 119. adn. 3. —
Verbum mendax, sermones fraudulentos *odit justus*; *Et*, sed 5.

improbus male et turpiter agit. Ewaldus, quum hemistichium posterius in universum de male faciendo agat, דְּבַר־שֶׁקֶר non *verbum mendax*, sed *quidquid fallit* significare judicat. Quam
6. explicationem si quis praeferre voluerit, praeferat. — *Justitia custodit integritatem viae* i. e. integros vitae, tuetur eos, securos eos praestat a malis; *Et*, sed *improbitas evertit peccatum*, praecipites dat peccatores. Ewaldus justitiam et improbitatem ad animi motum, integritatem vero et peccatum ad ipsa facta referenda putat. Quod quaesitum est, ut nihil dicam praeterea. Pejor etiam Umbreiti interpretatio, cujus fere tot sunt errores quot verba. Sic illa: Wahrhaftigkeit erhält auf rechtem Wege, aber Lüge verführt zum Fehltritt in die Krümme (!). Nihil difficultatis habet versus. תָּם־דָּרֶךְ et חַטָּאת abstracta sunt posita pro concretis, *integritas* inquam pro *integris*, prorsus ut 10, 29., *peccatum* pro *peccantibus*. Id jam vidit Jarchius. E recentioribus
7. eundem sensum expressit de Wette. — *Sunt qui divites se simulent, et nihil prorsus adest*, quum nihil prorsus habeant; Sunt *qui pauperes se gerant, et opes multae* sunt, quum sint
8. opulenti. — *Pretium redemtionis vitae alicujus sunt divitiae ejus*, pretium pro redimenda vita suae alicui divitiae sunt; *Et pauper*, pauper vero *non audit increpationem*, minas. Sensus planus hic est: dives, si in discrimen vitae venit, potest suis se redimere divitiis; pauper vero, qui extra invidiam hominum est, in vitae periculum non incidit; ille periculo se liberat, hic extra periculum est. Itaque si divitiis sua utilitas est, habet et paupertas sua commoda. Non sic Ewaldus. Is posterius membrum: *et*, sed *pauper factus est, qui nunquam audiverat* i. e. noluerat audire *objurgationem*. Causam interpretationis affert versus 1. hemistichium posterius, non cogitans, in sententiis nullo inter se vinculo nexis nequaquam necesse esse, ut iisdem verbis idem semper subjiciatur sensus, nisi forte ita comparata sint, ut per se unum tantum ferre possint, id quod in verba de quibus agitur non
9. valet. — *Lux justorum laete emicat; Et*, at *lucerna improborum extinguitur*. Sensus: res proborum floreant, improborum
10. fortuna perit. Nota felicitatis imago lux est. — *Fastu nil nisi rixa datur*, gignitur, fastus non nisi rixarum fons est; *Et*, sed *cum iis qui sibi consuli patiuntur*, qui consilium admittunt, *sapientia* est. רַק licet initio commatis positum tamen non ad בְּזָדוֹן sed ad יִתֵּן מַצָּה referendum esse recte intellexit de Wette,

non intellexerunt Rosenmüllerus et Umbreitus. cf. Jes. 28, 19. et exempla eo loco allata. יָהֵן propr. est *dat homo fastuosus*. Qui notus est impersonaliter loquendi modus. — *Opes halitu citius* 11.
minuuntur, evanescunt; *Et, sed qui colligit in manum* i. e. sed qui colligit semper et collecta curat et conservat, is *auget* eas. הֶבֶל *halitus* de re cito evanescente, ut saepe alias; quod praemissum est מִן comparationis est; עַל־יָד vero haud aliter intelligendum atque post alia verba tradendi, mandandi. C. B. Michaelis, Rosenmüllerus, de Wette et alii hemistichium prius: *opes ex vanitate* i. e. „ex vanarum rerum studio, cum quis fugacibus indulget voluptatibus, luxui vestimentorum et commessationum," *minuuntur*. Sed nusquam alias rerum vanarum studium, sed praeter halitum ipsam rem vanam et inanem significat הֶבֶל. Itaque qui eo modo vult interpretari, debet res vanas pro rerum vanarum studio positas esse statuere, quae interpretatio, quamquam non protinus abjicienda, tamen durior est quam nostra. Ewaldus הוֹן מֵהֶבֶל *opes vanas* esse credit i. e. „vanis et inhonestis artibus et imprudenter nec tuto partas," quippe existimans, *colligere in manum* esse „colligere quantum quis possit capere et tenere, id vero esse, colligere opera et labore et prudenter et tuto," quod equidem scriptorem non interpretari, sed neglecto usu loquendi inanibus verbis extenuare et corrumpere dixerim. Verum quid tandem est, quod movit interpretes, ut ab eo sensu, quem supra expressimus, discederent? Scilicet ita aliquid abesse videbatur a priore hemistichio, quod responderet verbis קֹבֵץ עַל־יָד hemistichii posterioris. Sed nihil abest. Nam cum quis *opes halitu citius evanescere* dicit, nemo non sentit, intelligi quae non bene collocentur opes, sed quibus fruatur aliquis otiosus, sedens compressis manibus. — *Spes protracta aegrum facit*, aegritudine 12.
afficit *cor; Et, sed arbor vitae* est, recreat (cf. ad 3, 18.) *desiderium eveniens*, cum adsunt optata. — *Qui contemnit verbum*, 13.
divinum puta, *ei*, verbo, *oppigneratur* i. e. poena tenetur quae sumitur ab iis qui legem divinam violant; *Et, sed qui veretur praeceptum*, religiose observat legem divinam, *ei rependitur*, is observantiae praemio afficitur. Hemistichium prius Gesenius: *qui spernit verbum* admonitionis, *perdetur sibi*, ad יֵחָבֶל לוֹ collato נִגְזַרְנוּ לָנוּ Ez. 37, 11. Ita et Rosenmüllerus, de Wette et alii. Quo sensu et facilior et elegantior est ille, qui supra est enarratus. Tantum quod verba legeram, cum in eum incidi.

Postea non sine voluptate vidi, eundem jâm a Schultensio propo-
14. situm esse et nuper ab Ewaldo. — *Doctrina sapientis fons vitae*, salutis est, *Ad recedendum a laqueis mortis* i. e. ad effugienda pericula vitae, maxima quaeque. מְקוֹר חַיִּים ut Ps. 36, 10.;
15. סוּר מִן ut Job. 15, 30. De מֹקְשֵׁי מָוֶת cf. ad Ps. 18, 5. — *Intellectus bonus*, cum quis intelligenter agit, *dat*, conciliat *gratiam; Et*, sed *via perfidorum* est *dura* i. e. aspera i. e. perfidorum agendi ratio est fastidiosa. Gesenius in Thes. s. אֵיתָן hemistichium posterius: *via improborum* est *fluvius perennis*, in quo progredi nequit viator, sed torrente abripitur, coll. Vulg. qui *vorago*, dubito an convenienter ad membrum prius. Umbreito, אֵיתָן *palus perennis* est, prorsus contra vocis usum. Nobis אֵיתָן, quum Num. 24, 21. *firmum*, Jer. 5, 15. *robustum* significet, hoc loco videtur significare *durum*, durum vero aut pro *aspero* est positum, ut hic sit sensus: perfidorum agendi ratio est fastidiosa, aut pro *vasto, sterili* in hunc sensum: perfidorum agendi ratio eum, quem percipiunt qui intelligenter agunt, fructum non fert, sed qui in alios perfide agunt, eosdem infesto in se animo experiuntur; quod in rei summa eodem redit. Simplicior quoad significatum prior ratio videtur. Ab ea non longe abest Winerus, qui: *via* i. e. agendi ratio *improborum pertinax* est. Posteriorem rationem secuti sunt Rosenmüllerus, de Wette et
16. Ewaldus. — *Cautus omnis agit scite*, adhibito judicio, non inconsiderate; *Et*, sed *stultus expandit*, prae se fert, prodit *stul-*
17. *titiam*. — *Nuntius improbus*, perfidus, *incidit in malum*, meritam fert perfidiae poenam; *Et*, sed *legatus fidelis* est *sanatio*,
18. salutaris. — *Egestas et ignominia, qui rejicit disciplinam!* i. e. egestas et ignominia sunt ejus, ei, qui disciplinam respuit; *Et*, sed *qui observat reprehensionem*, correctionem, *honoratur*. Rosenmüllerus: „ante פּוֹרֵעַ deficit לְ, Dativi nota.“ Non deficit. Est eadem illa nervosa brevitas, cujus exempla vidimus 10, 18.
19. 12, 6. Recte hic judicavit Ewaldus. Quidni supra? — *Votum quod factum est* i. e. expletum, *dulce est animo, Et abominatio stultorum*, res quam abominantur stulti, est *recedere a malo*. תַּאֲוָה נִהְיָה idem quod תַּאֲוָה בָאָה vs. 12. Sensum loci Rosenmüllerus exponit sic. „Nobis, inquit, תַּאֲוָה et תּוֹעֵבָה sibi opponi videntur, et ita quidem, ut prius illud vi oppositi de justo desiderio et viri boni intelligendum sit. Cum ergo justa et bona optata viro bono accidunt, id ei quam suavissimum est, quod bo-

tum quod desideravit fiat; at stulti et improbi, quum nihil boni
optent, abhorrent malum declinare, indeque ipsi se dulcedine
illa privant, qua frui possent, si malum fugerent. Opponuntur
igitur piis et prudentibus, qui boni, quod optarunt, compotes facti,
eo oblectantur, stulti et impii, qui quum studium virtutis abhorre-
ant, desiderio suo frustrati acerbe dolent." Quae interpretatio
plus quam inest inferre et justo artificiosior esse videtur. Vera
haud dubie est Jarchii tam simplex quam concinna haec: „optata
cum alicui eveniunt, jucundissimum ei est; atque ideo stultis pro
abominatione est a malo recedere, quia suave est illis, cupiditates
suas explere." — *I* i. e. versare *cum sapientibus et sape* i. e. et 20.
sapies; *Et*, sed *qui delectatur*, familiariter utitur *stultis*, *depra-
vabitur*. Ad וַחֲכָם — הָלוֹךְ, in quibus Infinitivus absolutus pro
Imperativo est positus, cf. Ges. gr. min. §. 127, 2. Ewaldus
ורוכם non בְּחֲכָם sed וְחָכֹם effert, ita ut Infinitivus abs. continuetur,
quod miror equidem. Masorethae mero conformandi studio ducti
legi jubent יֶחְכָּם — הוֹלֵךְ *qui it* — *sapiet*. In רֹעֶה et יֵרוֹעַ est
paronomasia. — *Peccatores persequitur malum*, calamitas; *Et*, 21.
sed *justos remuneratur bonum*, felicitas, justorum vero prae-
mium est felicitas. Hemistichium posterius Rosenmüllerus, de
Wette, Ewaldus et alii: *et*, sed *justis reddit* deus *bonum*. Quod
ferri potest, quum יְשַׁלֶּם facile referatur ad deum cf. 10, 24.
Quemadmodum vero in priore membro Subjectum est רָעָה, sic in
posteriore haud improbabile est Subjectum efficere טוֹב. Itaque
praeferenda videtur interpretatio superior, quam eandem suam
fecisse video Gesenium et C. B. Michaelem, qui: „sic enim non
solum ellipsis nulla erit, sed etiam hemistichium hoc posterius
priori exactius conveniet, ut quemadmodum malum persequi, sic
bonum remunerare dicatur." — *Bonus*, homo probus *possidenda* 22.
dat nepotibus, opes relinquit etiam nepotibus, *Et* *reconditae
justo sunt opes peccatoris*. — *Multum cibi* est, suppeditat *no-* 23.
vale pauperum, ager ab iis recens cultus arduo labore; *Et*, sed
sunt qui pereant, quamvis divites, *injuria*. — *Qui parcit virgae* 24.
suae, *odit filium suum*; *Et*, sed *qui amat eum*, *quaerit*
eam, *disciplinam*. שִׁחֲרוֹ Gesenius: „*quaerit ei* (filio) *castiga-
tionem*. Suff. in dativo cogitandum est." In eadem opinione Ro-
senmüllerus, Umbreitus, de Wette, alii. Sed recte Lud. de Dieu
et Ewaldus suffixum ad מוּסָר referendum putarunt. cf. vs. 4. Eo
autem referendum eo certius est, quod jamjam mentio facta est

25. *virgae.* — *Justus comedit ad satietatem appetitus sui,* habet
quantum satis est ad explendam famem, cf. 10, 3.; *Et,* sed *venter*
improborum inopia laborat.

1. CAP. XIV. *Sapientia mulierum exstruit domum suam;*
Et, sed *stultitia suis manibus destruit eam.* Sensus: mulier
rei familiaris bene regundae perita eam tuetur et auget, imperita
perturbat. Verba חַכְמוֹת נָשִׁים בָּנְתָה Rosenmüllerus: *sapientes*
mulierum i. e. unaquaeque sapientum mulierum *aedificat,* חַכְמוֹת
Pl. est. habens adjectivi חָכָם. Sed idem haud dubie חָכְמוֹת quod
חָכְמוֹת 9, 1. eodem nexu. vid. ad 1, 20. Quod in posteriore
membro est אִוֶּלֶת *stultitiam* mulierum esse docet membrum prius.
2. — *Qui incedit in rectitudine sua,* qui recte, integre, ut debet,
vivit, *timet,* reveretur, colit *Jovam; Et,* sed *cujus perversae sunt*
viae, qui perverse agit, *contemnit eum.* Exprimitur arcta probi-
3. tatem inter et pietatem necessitudo. — *In ore stulti* est *virga*
fastus, insolentiae, ipsius stulti puta, i. e. qui insolenter loquitur
stultus ipse sibi damnum affert; *Et,* sed *labia sapientum tuentur*
eos, sed qui prudenter loquuntur se conservant. Ewaldus גַּאֲוָה
non Objectum *virgae* habet, sed *virgam insolentiae* insolenter
dicta significare putat, quibus alios vulnerent stulti, eademque de
causa suffixum in תִּשְׁמוּרֵם non ad חֲכָמִים sed ad illos alios refert,
in hunc sensum: insolenter dictis stulti alios vulnerant, sed tuentur
eos sapientes. Commendatur haec interpretatio eo, quod גַּאֲוָה,
non גַּאֲוָתוֹ scriptum est. Sed videtur suffixum salvo eo sensu,
quem nos fecimus, abesse posse. Eundem expresserunt de Wette
et Umbreitus. Rosenmüllerus utrumque confudit modo haud
concinno hoc: „*in ore stulti virga* est *superbiae,* insolentiae,
habet in ore suo stultus velut baculum linguam, qua dum elate et
insolenter loquitur, homines percutiat iisque noceat; *at labia*
sapientum custodiunt eos, sapientes tantum abest ut sermonibus
suis noceant aliis, ut potius prudenter et opportune a se dictis se
ipsos suamque famam et facultates conservent.“ Ceterum תִּשְׁמוּרֵם
pro תִּשְׁמְרֵם, Ges. gr. min. §. 47. adn. 1., est positum, haud dubie
4. ratione habita pausae. — *Ubi non sunt boves, praesepe* est *va-*
cuum i. e. ibi est frumenti defectus; *Et,* sed *multum proventus*
5. est, situm est, *in viribus tauri.* — *Testis fidus non mentitur;*
Et, sed *efflat,* spirat *mendacia testis falsus.* Quae posteriore
6. membro continentur iisdem verbis leguntur 6, 19. — *Quaerit*
irrisor sapientiam, et, sed *non adest,* non invenit, adipiscitur,

hominem frivolum fugit sapientia; *Et*, sed *intelligenti scientia*
facile quid, facilis inventu est. נָקָל neutraliter capiendum. —
E regione hominis stulti, *Et non animadvertis*, non depre- 7.
hendes *labia scientiae*, adi stultum sic ut eum tibi ex adverso habeas, attende eum, quantum potes, non cognosces, quicquam scientiae a labiis ejus proficisci. Quae interpretatio Ludovici de Dieu facilior est et elegantiorem fundens sensum, quam quae proposita est a C. B. Michaeli haec: *Abi e conspectu hominis stulti*, *Et* in quo *non animadvertis labia scientiae*. Illam e recentioribus suam fecerunt Umbreitus et Ewaldus, hanc Rosenmüllerus
et de Wette. — *Sapientia* hominis *prudentis* est *animadvertere* 8.
viam suam, curare ut recte agat; *Et*, sed *stultitia stultorum* est *fraus*, stultorum vero prudentia in eo sita est, ut alios fraudent. Alii hemistichium posterius de eo, quod stulti fallant se ipsi, intelligunt. Ita Umbreitus et Ewaldus. Ferri hoc quoque potest. —
Stulti rident culpam, eam pro joco et ludibrio habent, delectan- 9.
tur pravis facinoribus; *Et*, sed *inter rectos*, probos *gratia* dei est, probi vero dei gratia gaudent. In qua interpretatione de אֱוִלִים constructo cum sing. יָלִיץ vid. ad 3, 18. Vel: *Stultos* tandem *illudit culpa*, cum poenam peccati illi luunt; *Et*, sed *inter*
rectos est *gratia* dei, probi vero dei gratia gaudent. — *Cor novit* 10.
suum ipsius moerorem, *Nec laetitiae ejus immiscet*, potest immiscere *se alienus*. Sollicitudinem qua conficimur, gaudium quod concipimus animo, nemo tam bene novit quam nos ipsi. —
Domus improborum vastatur, evertitur; *Et*, sed *tentorium rec-* 11.
torum, proborum *floret*. — *Est via recta coram aliquo*, est quae 12.
recta alicui videtur via; *Et*, sed *exitus ejus viae* sunt *mortis*, sed
in vias illa desinit, quae ducunt ad mortem, perniciem. — *Etiam* 13.
in risu dolet cor, quandoque etiam qui ridet moerore conficitur, *Et exitus ejus*, *laetitiae aegritudo* est, et haud raro laetitia in moerorem desinit. אַחֲרִיתָהּ שִׂמְחָה ut נַפְשׁוֹ עָצֵל 13, 4. al. —
Viis suis i. e. factis suis *satiatur aversus corde*, cujus animus 14.
aversus est, defecit a deo, cf. Ps. 44, 19., *Et facinoribus suis vir bonus* satiatur. Quisque factorum suorum percipit fructum, et impius et pius. מֵעָלָיו quod debet respondere מִדְּבָרָיו voci, significatum idoneum non fundit. Itaque Ewaldus מפעליו vel מגמליו legendum suspicatur. Horum tamen neutrum facile potuit in מעליו mutari. Equidem scribendum puto ממעלליו i. e. מִמַּעֲלָלָיו vel, quod facillime in מעליו corrumpi potuit מעלליו i. e. מַעֲלָלָיו.

omissa, quippe cogitando ex hemistichio priore repetenda מִן praepositione. *Facinoribus suis* expressit e veteribus Arabs. —
15. *Imperitus credit omni verbo*, quibuslibet verbis; *Et*, sed *cau-*
16. *tus*, prudens *attendit ad gressum suum*. — *Sapiens timet et recedit a malo; Et*, sed *stultus insolenter se gerit et securus*
17. *est*. — *Praeceps in iram stulte agit*; *Et*, at *vir insidiosus*, mala meditans, *odio habetur*. Negat Ewaldus, recte opponi irae propero insidiosum, ideoque אִישׁ מְזִמּוֹת in bonam partem accipit et pro יִשָּׂנֵא legit יִשְׂנֶא (יִשְׂנֶה), ut hic prodeat hemistichii posterioris sensus: *sed homo consideratus compescit* animum. Quasi vero ei qui est praeceps in iram non juste opponatur is qui iram callide servat et quomodo noceat alteri, secum deliberat! Nihil mutandum. Sensus: et irae propero et insidioso rem male cedere;
18. illum enim stulte agere, hunc exosum esse. — *Possident imperiti stultitiam; Et*, sed *prudentes coronant se scientia*. כָּתַר *circumdari*, hinc הִכְתִּיר דַּעַת *circumdare*, *circumligare*, *coronam facere scientiam*, se coronare scientia. Sine ulla idonea causa et contra usum vocis Ewaldus יַכְתִּרוּ hic potiri, tenere
19. existimat significare. — *Inclinant se*, submittunt se *mali coram*
20. *bonis*; *Et improbi ad portas*, fores *justi*. — *Etiam socio suo odio habetur*, exosus, invisus est *pauper*; *Et*, sed *divitem qui*
21. *amant multi sunt*. cf. illud Donec eris felix rel. — *Qui contemnit alios, peccat; Et*, sed *qui miseretur afflictorum, bene illi!*
22. — *Nonne oberrant*, pereunt, *qui moliuntur malum? Et*, sed *benignitas et fides! qui moliuntur bonum*, sed benigne et fideliter agitur cum iis qui rel. Membri posterioris eadem brevitas quae 13, 18. al. Quod alias semper in malum sensum dicitur חָרַשׁ
23. *fabricari*, hic dicitur in bonum, oppositionis in gratiam. — *In omni labore gravi est abundantia*, labore parantur opes; *Et*, sed *verba labiorum*, vana, inania verba (cf. Job. 11, 2.) *tantum-*
24. *modo ad egestatem* sunt, ducunt. — *Corona sapientum divitiae eorum; Stultitia stultorum stultitia*. Quorum verborum C. B. Michaelis, Rosenmüllerus, Umbreitus faciunt hunc sensum: Suae sapientibus divitiae sunt ornamento, Stultos vero ornare divitiae non possunt; Ewaldus hunc: sapientia fert fructus, stultitia non fert. Qui interpretes errare in eo videntur, quod ad literam divitias accipiunt. Hemistichium posterius Gesenius in Lex. „*principatus* (ut אִוֶּלֶת prius sit ab אוּל) s. magni honores *stultorum stultitia* sunt i. e. fons actionum stultarum. Lusisse videtur

scriptor in duplici ejusdem vocabuli אִוֶּלֶת significatione.“ Quod
audacius. Nobis haec sententia subesse videtur. In corona sa-
pientum consistunt divitiae eorum i. e. sapientia continentur sa-
pientum divitiae; Stultitia stultorum vero est quae est, vacua et
inanis. In priore hemistichio eleganter et accommodate ad עָשְׁרָם
pro חָכְמַת חֲכָמִים dicit עֲטֶרֶת חֲכָמִים. — *Eripit*, liberat *animas* 25.
testis fidus; Et, sed *efflat*, spirat *mendacia fraus*. Ewaldus,
ut in posteriore membro habeatur, quod respondeat prioris
membri verbis מַצִּיל נְפָשׁוֹת, sic interpretatur hemistichium poste-
rius: *sed qui spirat mendacia, fraus* est. Sed durius hoc est.
Accedit, quod sic totius commatis sententia ne juvatur quidem.
Acquiesce in interpretatione supra posita. Masculini generis est
יָפִיחַ, quod Subjectum antecedit, vel, quod, quum proxime prae-
cedat עֵד אֱמֶת, multo est probabilius, constructio ad sensum est
יָפִיחַ מִרְמָה, *fraude* posita pro *fraudulento* i. e. teste falso. —
In timore Jovae, in pietate est *fiducia firma, Et filiis ejus* 26.
Jovae, et iis qui eum colunt, *erit refugium*, vel ita ut Jova sit
Subjectum, מַחְסֶה Praedicatum: *et filiis suis erit* is, Jova *refu-
gium*. Hemistichium posterius Rosenmüllerus: „*et filiis ejus*
scil. qui Jovam reveretur, *erit* Jova *refugium*. Pronomen suffixum
in לְבָנָיו sponte patet referendum esse ad eum, cui est יִרְאַת יְהֹוָה.
Similem constructionem vid. infra 19, 23. Hoc igitur dicit haec
gnoma, dei reverentiam prodesse non solum parentibus, verum
et posteris.“ Quo eodem modo rem intellectam volunt Umbreitus
et Ewaldus. Quod miror, quum Suffixum tam facile quam apte
referatur ad Jovam, cujus filii dicuntur qui ipsum pie colunt Ps.
73, 15. al. De Wette: *et liberis*, suffixo non expresso. — *Ti-* 27.
mor Jovae, pietas est *fons vitae*, salutis, *Ad recedendum a
laqueis mortis*, ad effugienda vitae pericula, pericula maxima
quaeque. Eadem legimus 13, 14., si discesseris a duobus verbis,
a quibus incipit versus. — *In multitudine populi*, est, situm est 28.
decus regis, Et in defectu populi ruina principis. Posterius
membrum Rosenmüllerus: „*sed in defectu populi*, ubi populi
copia non est, est *terror maciei*, tenuitatis, i. e. qui extenuatio-
nem regi affert. רָזוֹן Kimchi in libro Radicum h. l. idem esse
vult quod רֹזֵן *princeps*, cujus Pluralis רֹזְנִים supra 8, 15. legitur,
atque veteres omnes *fractio* s. *consternatio principis* interpre-
tati sunt. Nec tamen necesse est, ut רָזוֹן hoc solo loco alium
significatum obtinere statuamus, quam quem ceteris tribus, quibus

legitur, locis Jes. 10, 16. Mich. 6, 10. Ps. 106, 15. habet, quibus *maciem*, extenuationem denotat. Ita et Levi Ben Gersom, qui recte observat, decori regis opponi ejus terrorem tabefacientem." Quae interpretatio, quam suam et Umbreitus fecit, sine ulla dubitatione est rejicienda. Primum enim plane nihil periculi ostenditur, si quis duo רָזוֹן in usu fuisse statuit, unum formae חָזוֹן a רָזָה significatu *maciei*, alterum formae קָדוֹשׁ a רָזַן vi *principis*, quum plurimae in lingua hebraica reperiantur consonae quidem sed diversarum radicum et significationum voces. Deinde ipsi monuerunt quos impugnamus interpretes, veteres omnes *principis* significatum expressisse. Tum non est concinnus, quem maciei significatio praebet, sensus, aptissima vero ad membrum parallelum significatio principis. Denique principis significatus haud dubie etiam inest in רְזוֹן nomine proprio conditoris regni Da-
29. masceni. — *Tardus ad iram est multae intelligentiae; Et*, sed *praeceps in iram effert stultitiam*, quasi laudes peragit stultitiae i. e. stultitiam profitetur. Similiter מֵרִים אִוֶּלֶת Rosenmüllerus, Umbreitus, de Wette: „*exaltat* i. e. omnibus conspicuam facit *stultitiam*, perinde ac si sublata manu palam eam ostentaret." Ewaldus: *tollit* quasi de via i. e. propriam, suam facit
30. *stultitiam*. Quod quaesitum videtur. — *Vita corporis* est, corporis incolumitatem servat *cor tranquillum*, mansuetum, liberum ab affectuum intemperie; *Et*, sed *caries ossium* est, omnem corporis medullam exedit, omnes corporis vires absumit, *zelotypia*. Hemistichium prius Rosenmüllerus: *vita corporis* est *cor sanum*, his additis verbis. „Kimchi in Libro Radicum לֵב מַרְפֵּא exponit לב רפה *cor remissum*, i. e. sedatum et lene, quod iram cohibet, quasi מַרְפֵּא idem esset quod מַרְפֶּה, permutatis, ut alias haud raro, literis א et ה. Quod miror probatum esse Doederlinio, Gesenio in Lexico man. et Umbreito. Nam quis non videt, *ossium putredinem* in altero hemistichio multo aptius opponi cordi *sano*, quam *remisso?*" Nos vero mirantem miramur Rosenmüllerum. Nam quis non videt, *ossium cariem* nequaquam cordi tranquillo, sed *vitae*, vigori *corporis* opponi, *cordi tranquillo* autem *zelotypiam?* Ceterum non negamus, convenire etiam *cordis sani* significatum, siquidem cor sanum hoc est, quod liberum est affectibus. Verum quum מַרְפֵּא Eccl. 10, 4. certo significet *mansuetudinem*, eaque significatio hic quam maxime apta sit, non dubitandum est, quin locum habeat hic quoque. —

Qui opprimit tenuem, probro afficit conditorem ejus; deum; 31.
Et, sed *qui honorat eum,* deum, *miseretur pauperis,* quod
dictum pro *sed honorat eum, qui* rel. — *In calamitate sua,* 32.
calamitas cum accidit ei, *detruditur,* ruit, *improbus; Et,* sed
confidit, fiduciae plenus est *in morte sua,* in ipsa morte, in gra-
vissimis angustiis *justus.* בְּרָעָתוֹ nonnulli, in his C. B. Micha-
elis, Gesenius, Umbreitus, de Wette: *pravitate sua* perit cet., alii,
ut Ewaldus: *in calamitatem suam* detruditur cet. Nobis quod
in posteriore membro est בְּמוֹתוֹ eam interpretationem poscere
videtur, quam supra dedimus. Eadem est sententia Rosenmülleri.
Ad *mortem* quod attinet cf. 10, 2. 11, 19. 12, 28. et in hoc ipso
cap. vs. 27. — *In corde intelligentis residet sapientia; Et,* at 33.
inter stultos nota fit i. e. ab intelligente sapientia proficiscitur,
a stulto discitur. Ad (חָכְמָה) תִּוָּדֵעַ conferendum quod habetur
1, 2. לָדַעַת חָכְמָה *ad cognoscendam,* discendam *sapientiam.*
Rosenmüllerus: „*In corde intelligentis requiescit sapientia,*
i. e. conclusa quasi manet et asservata in suo domicilio; non te-
mere et inconsulto, sed suo loco et tempore, ubi vel necesse vel
utile est, prudens eam profert; *At in intimo stultorum nota fit*
ipsa, pauxillum scilicet illud sapientiae, quod habent, vel habere
se putant, sine delectu et judicio profundunt. Sententia similis
ei, quae supra 12, 23. legitur. Quo quis sapientior et doctior,
eo modestior; quo indoctior, eo audacior et gloriosior." Quem
sensum vehementer dubito an verba ferre possint. — *Justitia* 34.
extollit populum; Et, sed *probrum populorum* est *peccatum.* —
Gratia regis est ministro intelligenti, gaudet regis gratia mi- 35.
nister intelligens; *Et,* sed *ira ejus est qui turpiter agit.* Fal-
luntur qui ante מֵבִישׁ cogitando repetendum putant מִן, quod fieri
nequit. Recte struxerunt de Wette et Ewaldus. *Ira* posita est
pro eo in quem effunditur. Ad מֵבִישׁ cf. 10. 5.

CAP. XV. *Responsio blanda avertit,* repellit *iracundiam;* 1.
Et, sed *verbum acerbum,* asperum *suscitat iram.* — *Lingua* 2.
sapientum bonam, rectam *facit,* creat *scientiam; Et,* sed *os*
stultorum ebullit stultitiam. — *In omni loco,* ubique sunt 3.
oculi Jovae, Spectantes, observantes *malos et bonos.* — *Leni-* 4.
tudo linguae, sermo lenis, placidus, est *arbor vitae,* salutaris
(3, 18.); *Et,* sed *eversio in ea,* lingua, sermo turbulentus, est
fractio animi, frangit animum. מַרְפֵּא ut 14, 30. Bene Vulg.
lingua placabilis lignum vitae; quae autem immoderata est, conteret

spiritum. Rosenmüllerus מַרְפֵּא לָשׁוֹן *sermones salutares* significare putat. Qua ratione ταὐτολογικῶς sermo salutaris dicetur
5. esse salutaris. — *Stultus spernit disciplinam patris sui; Et*, sed *qui observat castigationem, prudenter agit.* יַעְרִם Umbreitus et de Wette: *prudens fit.* Sed *prudenter agere* poscit
6. et Hiphil forma et quod respondet *stultus* spernit. — *In domo justi opes sunt multae; Et*, sed *in proventu*, in reditibus *improbi perturbatio* est. בֵּית Acc. adv. i. q. בְּבֵית ut saepe alias. נֶעְכָּרֶת Part. f. neutraliter positum *perturbatum* loco abstracti
7. *perturbatio.* — *Labia sapientum spargunt scientiam; Et*, sed *cor stultorum* spargit *non rectum*, vana, stulta. לֹא־כֵן C. B. Michaelis, Rosenmüllerus, Umbreitus et alii *non sic, non item* (spargit scientiam). Ita jam e veteribus interpres latinus, cujus non nisi liberior interpretatio est: *cor stultorum dissimile erit.* Quem sensum quanquam non protinus cum Ewaldo dixerim ineptum et miserabilem, tamen languidiorem puto in hujusmodi sententiis intra unius commatis limites conclusis. Ipse Ewaldus et de Wette; *sed cor stultorum* est *non firmum*, incertum, infidum. Aptior tamen ad membrum prius is sensus est, quem supra expressimus. Eundem fecit Gesenius. כֵּן *rectum* et adv. *recte* inprimis de sermone dicitur, ut דִּבֶּר כֵּן *recte loqui* Exod. 10, 29. Num. 27, 7. 36, 5., לֹא־כֵן בַּדָּיו *non rectum*, vanum, vanitas *mendaciorum ejus* Jes. 16, 6. Quo eodem modo לֹא־כֵן
8. accipiendum hoc loco, cogitatione repetito יְזָרֶה. — *Sacrificium improborum abominatio* est *Jovae*, abhorret Jova a sacrificiis improborum; *Et*, sed *preces rectorum deliciae ejus*, sed pre-
9. cibus proborum ille delectatur, eas acceptas habet. — *Abominatio Jovae* est *via improbi*, abhorret Jova ab ea agendi ratione, quam sequitur improbus; *Et*, sed *eum qui sectatur justitiam, amat.*
10. — *Castigatio mala ei* i. e. male mulctabitur is, *qui deserit viam,*
11. rectam puta; *Qui odit reprehensionem, moritur*, perit. — *Orcus et barathrum*, profundissima loca, *coram Jova* sunt, patent Jovae: *Quanto magis corda hominum.* Posterius hemistichium ad verbum: *nun gar dass die Herzen der Menschenkinder es*
12. seyen. Vid. de אַף כִּי particula lexicon a me editum. — *Non amat irrisor*, homo frivolus, protervus recti contemtor, *admo-*
13. *nitionem sui*, non vult admoneri; *Sapientes non adit.* — *Cor laetum*, liberum a sollicitudine, *hilarem facit*, exhilarat *vultum*; *Et*, sed *in dolore cordis*, cor cum dolet, *animus afflictus*, aeger

est. Argute nec convenienter נְכֵאָ voci Umbreitus רוּחַ *spiritum*
oris esse vult, scilicet quem postulet, quod respondeat, פָּנִים,
Adquiesce *animo*. Nam animus cui depressus est, ejus tristis est
vultus. — *Cor*, mens *intelligentis quaerit scientiam*, studet 14.
scientiae; *Et*, sed *vultus stultorum pascitur*, delectatur *stultitia*.
לֵב נָבוֹן de Wette et alii: *cor prudens*. Verum quod respondet
פְּנֵי כְסִילִים suadet, ut cum Chald. et Vulg. לֵב habeas statum con-
structum, cf. 18, 15. cujus eadem ratio. Pro פְּנֵי Keri legi jubet
פִּי, frustra. Cum singulari construitur פְּנֵי (nullo modo enim effe-
rendum est פָּנַי, quod in mentem venit Umbreito) habita ratione
significationis singularis, plane ut Thren. 4, 16., rectissimeque
aliqua re *pasci*, delectari dicitur *vultus*. — *Omnes dies* hominis 15.
afflicti, curarum mole oppressi, sunt *mali*, infelix est tota ejus
vita; *Et*, sed *qui laetus est corde*, cujus laeta mens est, est
convivium perpetuum, semper est convivii instar, in quo nil nisi
voluptas i. e. ejus tota aetas oblectatio est. — *Melius* est *paulum* 16.
cum timore Jovae, *Quam thesaurus magnus et perturbatio*
cum eo, praestat paulum bonorum cum pia mente, magno thesauro
cum vita turbulenta, qualis solet esse divitum. — *Melius* quid est 17.
portio oleris et amor ibi, ubi adsit caritas, *Quam bos saginatus*
et odium cum eo, cum odio. — *Iracundus excitat litem*; *Et*, 18.
sed *tardus ad iram sedat rixam*. — *Via pigri* est *ut sepes* 19.
spinosa, impedita; *Et*, sed *semita*, via *rectorum munita*, plana,
i. e. pigro quidquid aggreditur difficile et molestum videtur, rectis
vero, strenuis nihil tale occurrit in eo quod suscipiunt; vel:
pigritia molestiam, incommoda parit, diligentia felicitatem. Ut-
rumque verba ferre possunt. — *Filius sapiens laetitia afficit* 20.
patrem; *Et*, *homo stultus contemnit matrem suam*. כְּסִיל אָדָם
propr. *ein Thor von Mensch*, ut פֶּרֶא אָדָם Gen. 16, 12. — *Stul-* 21.
titia est *gaudium vecordi*, gaudet vecors stultitia, gaudet stulte,
perverse agere; *Et*, sed *intelligens recta procedit*, recte agit.
Nihil igitur difficultatis habet parallelismus. — *Irrita fiunt con-* 22.
silia, *ubi non est deliberatio*; *Et*, sed *in multitudine consul-*
torum, sed ubi multi fuerint consultores, *rata erunt*. הָפֵר מ׳
propr. *irrita facere* i. e. irrita faciunt, impers., i. e. irrita fiunt,
ut 12, 7. Ad תָּקוּם cf. Ges. gr. min. §. 143, 3. Ceterum similia
leguntur 11, 14. — *Gaudium* est *alicui*, gaudet aliquis *responso* 23.
oris sui, quum scite quid responderit, *Et verbum suo tempore*,
ἐν καιρῷ, tempestive, opportune dictum, *quam bonum*, pulchrum!

24. — *Via vitae sursum* tendit *sapienti*, *Ut recedat ab orco deorsum*, tenet iter vitae sursum sapiens, ut inferum declinet orcum.
25. — *Domum superborum destruit Jova*; *Et*, sed *stabilit fines*
26. *viduae*, possessiones eorum qui auxilio destituti sunt. — *Abominatio Jovae* sunt *consilia mala*; *Et*, sed *pura* ipsi i. e. ei grata et accepta sunt *dicta benevola*, quae gratiam et favorem spirant. טְהוֹר sensu levitico dictum esse pro eo quod gratum, acceptum est, eumque, cui accepta putanda sint dicta benevola, Jovam esse, intelligitur ex eo, quod in membro priori oppositum est תּוֹעֲבַת יְהוָה. Alii Subjectum faciunt טְהֹרִים, Praedicatum אִמְרֵי־נֹעַם, טְהוֹר accipientes sensu morali, in hanc sententiam: *sed pura*, sed pura, recta quae sunt, *dicta jucunda* ei, Jovae sunt, ita ut טְהֹרִים respondeat *consiliis malis*, אִמְרֵי־נֹעַם vero verbis תּוֹעֲבַת יְהוָה. —
27. *Perturbat domum suam*, pessumdat rem familiarem, *qui facit*, sectatur *lucrum*, quaestui est deditus; *Et*, sed *qui odit dona*, qui
28. muneribus se corrumpi non patitur, *vivet*, salvus erit. — *Cor justi*, recti hominis *meditatur ad respondendum* i. e. cum vult respondere, ne quid impie proferat; *Et*, sed *os improborum*
29. *ebullit mala*. — *Remotus* est, procul abest *Jova ab improbis*;
30. *Et*, sed *preces justorum audit*. — *Lumen oculorum laetitia afficit cor* i. e. oculi lucidi, sereni, propitii exhilarant cor; si quis vultu sereno, propitio nos adspicit, laetamur, *Et nuntius bonus*, laetus *pinguia reddit ossa*, medullam suppeditat ossibus i. e. te reficit, recreat. Ad מְאוֹר עֵינַיִם cf. אוֹר פָּנִים *lux faciei* eodem sensu 16, 15., et, quod saepe, inprimis de numine, dicitur הֵאִיר פָּנָיו *illustrare faciem suam*, sereno, propitio vultu, gratiose adspicere. שְׁמוּעָה טוֹבָה Rosenmüllerus et alii *bonam famam* ha-
31. bent. Sed certior *boni nuntii* significatus. — *Auris audiens* i. e. per meton. is homo qui audit i. e. qui admittit *castigationem vitae* i. e. morum, *Inter sapientes pernoctabit* s. *permanebit* i. e. dies noctesque, continuo versabitur cum sapientibus, ut ab illis discat. תּוֹכַחַת חַיִּים Rosenmüllerus: *correptio vitae* i. e. salutis i. e. salutaris. Idem posterioris membri hunc sensum facit, eum qui correptionem audiat, tandem ad eum gradum pervenire, ut ipse sapiens fiat, sapientibus adnumeretur. Sed quod תָּלִין dicit scriptor manifestum indicium est ejus sensus, quem significavimus supra. cf. simillima 8, 34. De Wette et Ewaldus quo modo verba
32. intelligant dubium. — *Qui rejicit disciplinam*, *abjicit semet ipsum*; *Et*, sed *qui audit*, admittit *castigationem*, *comparat* sibi

intellectum. — *Timor Jovae*, pietas, est *disciplina sapientiae*, 33.
disciplina, qua acquiritur sapientia; *Et honorem praecedit animus demissus.* Ad hemistichium prius cf. 1, 7.

CAP. XVI. *Homini*, hominis sunt *consilia animi*, hominis 1.
est apud animum statuere hoc vel illud, *Et*, sed *a Jova* est *responsio*, exauditio *linguae* i. e. sed Jova respondet precibus linguae, sed qui cogitata, optata hominum juvat eventu, deus est. Peragere proposita non possumus, nisi juvante deo. Rosenmüllerus hunc sensum facit: „Potest homo in mente sua disponere, quomodo et quo ordine aliquid dicturus sit; sed a Jova est eloquendi facultas et exprimendi sensa animi. Saepe quae animo cogitaveris et complexus fueris, ac aptissimo ordine intra te ipsum digesseris, non item ordine commodo et diserte et perspicue efferre valebis“ cet. Quae interpretatio inepta est. Quemadmodum עָנָה saepe est pro *exaudire*, sic מַעֲנֵה hoc loco pro *exauditione*
est, *lingua* vero lingua est vocans, rogans. — *Omnes viae ali-* 2.
cujus purae sunt *in oculis ejus*, suae homini actiones rectae omnes videntur, quidquid aliquis agit, rectum ipsi videtur; *Et*, sed *ponderat spiritus*, examinat animos *Jova*, ideoque hic solus novit, sit rectum nec ne quod quisque agit. Ad Praedicatum זַךְ in Sing. positum cf. כָּל־רֹאַיִךְ יִדּוֹד Nah. 3, 7. coll. Ges. gr. ampl. p. 721. Ad sensum quod attinet, ad prius hemistichium cf. 12, 15. 14, 12. Tota sententia fere iisdem verbis repetitur 21, 2.
— *Devolve in Jovam opera tua*, instituta tua, res tuas Jovae 3.
permitte, *Et firmabuntur*, optatum exitum habebunt *cogitata tua*, alioquin irrita futura. Ad membrum prius cf. Ps. 22, 9. 37, 5.
— *Omnia fecit Jova suum in finem*, ut fini suo respondeant, 4.
Atque etiam improbum in diem calamitatis. Ad quae Rosenmüllerus: „Ambigitur, suffixum vocis לַמַּעֲנֵהוּ sitne ad Jovam, an vero ad כֹּל referendum. Si ad Jovam referas, sensus erit hic: deus facit omnia, ut respondeant voluntati suae, ut sibi obtemperent, praestando id, quod deus jussit vel instituit. Ita Chaldaeus: universa opera dei ad id, ut obtemperent ei. Melius tamen cum altero hemistichio conveniet hoc, si suffixum ad כֹּל referatur, ut sensus hic sit: deus universa et singula fecit ita, ut respondeant sibi ipsis, ut singulis antecedentibus sua respondeant consequentia, eo ordine, quem semel rerum cunctarum arbiter decrevit. Qua ratione apte cohaeret quod sequitur *et etiam impium fecit ad*

diem mali, q. d. non inter res bonas tantum istiusmodi observatur concentus, verum et inter res malas, dum pro ratione decreti justissimi malo culpae permisso respondet malum poenae immissum." Quae interpretatio in rei summa vera videtur. Non vult dicere scriptor, malum hominem a deo creatum esse eo consilio ut intereat; sed qui improbe faciat eum ex divino decreto poenam daturum esse, hoc est quod vult indicare. Id vero argute ita exprimit, ut dicat universa et singula suum in finem a deo facta esse, etiam improbum, hujus vero eum finem esse, ut pereat. Ceterum haud improbabilis est opinio Ewaldi, articulo munitum esse
5. לַמַּעֲנֵהוּ, ne confundatur cum 'לְמַ *sua causa*. — *Abominatio*
Jovae est *omnis animo elatus*, abhorret Jova ab omni superbo,
De manu in manum i. e. per omnes generationes, aetates *impunis non erit* i. e. nunquam impunis erit. De membro posteriore
6. vid. ad 11, 21. ubi eadem legimus. — *Benignitate et fide expiatur culpa, Et in timore Jovae*, in pietate est *recedere a malo* i. e. et qui Jovam pie colit, declinat, vitat quod malum est, vitia. סוּר Nominis instar positum. Male Umbreitus, בְּ praemissum יִרְאַת voci Beth essentiae habens, hemistichium posterius: *et timor Jovae* est *recedere a malo:* Sensum posterioris membri aperit prius. Quemadmodum priore *qua ratione* culpae venia impetrari possit dicitur, sic posterius *quomodo* culpa declinetur
7. indicat. — *Cum delectatur Jova viis alicujus*, ejus agendi ratione, moribus, *Etiam inimicos ejus pacat ei*, ejus facit amicos. —
8. *Melius* est, praestat *paulum*, paulum bonorum *cum justitia Multitudine proventuum cum injuria.* Eadem similibus verbis ad-
9. erant supra 15, 16. — *Cor*, animus *hominis meditatur viam suam*, delibérat de ineunda vitae ratione, *Et*, sed *Jova dirigit gressum ejus.* Quorum verborum idem sensus est qui vs. 1. cf.
10. etiam Jer. 10, 23. — *Oraculum* est *in labiis regis*, oraculi vim habent effata regis, quippe vicarii ac ministri numinis, cf. Ps. 2.; *In judicio non peccat os ejus.* Nonnulli, ut Rosenmüllerus et de Wette: *oraculum* sit cet. et: *non peccet os ejus.* Alii saltem posterius membrum jubentis esse putant, ut Umbreitus. Praeter necessitatem. Describitur rex qualis esse debet, pingitur imago
11. ejus qui vere rex est. — *Libra et lances justae* sunt *Jovae*, instituit eas Jova; *Opus ejus*, ab ipso sancita sunt *omnia pondera marsupii* i. e. quae mercatores in marsupio gestare solebant pondera pendendis mercibus. Ad rem cf. Lev. 19, 35 sq. Deut.

25, 13 sqq. — *Abominatio regum* est *facere improbe*, qui par- 12.
tes regii officii explere studet rex abhorret ab improbe factis;
Nam justitia stabilitur solium. — *Deliciae regum* sunt *labia* 13.
justa, delectatur rex iis qui non nisi quod justum et aequum est
proferunt; *Et qui loquitur recta eum amat.* — *Ira regis nuntii* 14.
mortis, in vitae discrimine versatur is cui irascitur rex; *Et*, sed
vir sapiens placat eam, iram regis. Ad hemistichium prius cf.
19, 12. 20, 2. — *In luce faciei regis vita* est i. e. bene illi, cui 15.
serenum vultum ostendit, quem gratiose respicit rex; *Et benevo-*
lentia ejus est *ut nubes pluviae serotinae*, vernae, i. e. salutis
plena. Ad membrum prius cf. 15, 30. Ps. 4, 7. 44, 4. — *Ac-* 16.
quirere sapientiam quam multo *melius auro* est, *Et acquirere*
intelligentiam quam *praestabilius argento!* — *Via rectorum,* 17.
proborum est *recedere a malo*, eam probi sequuntur agendi ra-
tionem, ut declinent quod malum est, abstineant ab improbe fa-
ciendo; *Servat animum suum,* se ipsum, *qui custodit viam suam,*
qui curat, ut viam rectam, rectam vivendi rationem teneat. Ad
hemistichium posterius cf. 13, 3. — *Ante ruinam fastus*, ruinam, 18.
interitum antecedit fastus, *Et ante lapsum elatio animi*, lapsum
praecedit superbia. cf. 11, 2. — *Melior* est *qui est demissi* 19.
animi cum pauperibus, qui cum pauperibus versatur demissi
animi homo, *Quam partiri*, quam qui partitur *praedam cum*
fastuosis. חַלֵּק interpretes quos inspicere licuit omnes infiniti-
vum habent. Ita et Gesenius et Winerus. Quasi non possit
agens componi cum actione! Idem hic valet שְׁפַל־רוּחַ quod 29,
23. Jes. 57, 15. — *Qui attendit ad rem*, qui in rebus gerendis 20.
circumspecte et considerate agit, *invenit*, assequitur *bonum*, ei
res bene procedunt; *Et qui fiduciam collocat in Jova, bene*
illi! Ewaldus verba priora: *Qui attendit ad verbum*, divinum
puta, coll. 13, 13. Ita et Rosenmüllerus, qui: „Reputanti locum
huic quodammodo (?) parallelum 13, 13., atque perpendenti he-
mistichium alterum, ubi fiducia in deum, tanquam rectorem et
opitulatorem unicum, commendatur, vix dubium erit, prius he-
mistichium hoc potius dicere: *qui attendit ad verbum*, ejus, puta,
in quo mox fiducia etiam poni jubetur, dei, i. e. qui ejus prae-
cepta recolit et ad ea vitam dirigit, is *inveniet* cet.; hac siquidem
ratione haud raro membrum versus unum ex altero supplendum
esse saepius vidimus.“ Sed facilior est supra enarrata interpre-
tatio nec minus apta quam praebet sententia. Rectissime enim

considerantia in gerendis rebus conjungenda dicitur cum fiducia
21. posita in deo. — *Cui cor*, mens *sapit*, *vocatur*, est *intelligens*; *Et*
suavitas labiorum, sermonis facultas *auget doctrinam*, eo quod
sapientiam aliis gratam facit, commendat. Laudatur itaque sa-
22. pientia ejusque comes, facundia. — *Fons vitae*, salutis est *intel-*
ligentia domini ejus i. e. ejus qui ea pollet, intelligentia intelli-
gentis; *Et castigatio stultorum stultitia*, stultorum poena ipsorum
23. stultitia est. — *Cor sapientis intelligens*, disertum, facundum
reddit os ejus, *Et in labiis ejus auget doctrinam* dictis ad alios
erudiendos idoneis. cf. vs. 21. Umbreitus hemistichium poste-
rius: *et quidquid est in labiis ejus*, *auget doctrinam*; ante עַל־
שְׂפָתָיו cogitando supplens אֲשֶׁר. Sed nullo opus est complemento.
Subjectum posterioris membri pariter atque prioris est לֵב. —
24. *Favus mellis* sunt *dicta suavia*, *Dulcedo*, dulcia *animo*, *et sa-*
natio, salubria *ossibus*, corpori. מָתוֹק neutr., vim substantivi
25. habens. — *Est via recta coram aliquo*, est quae recta alicui vi-
detur via; *Et*, sed *exitus ejus sunt viae mortis*, sed in vias illa
desinit, quae ducunt ad mortem, perniciem. Quae eadem legun-
26. tur 14, 12. — *Appetitus laborantis laborat ei*, pro eo, i. e. fa-
mes laborantis eum ad laborem impellit; *Nam opus imponit ei*
os suum. Membrum posterius Gesenius in Lexico: „*nam im-*
pellit eum os suum. Quod construitur cum עַל, id e primaria
opus imponendi significatione explicandum.“ Sed illa ipsa pri-
27. maria significatio hic locum habet. — *Vir nequam fodit malum*,
struit perniciem, *Et in labiis ejus* est *velut ignis urens*, sermo-
nes maligni, calumniosi, quibus alios laedit. Quoniam *fodere*
foveam metaph. dicitur pro struere insidias, hinc hoc loco etiam
28. dicitur כֹּרֶה רָעָה. — *Vir perversus*, perversae, malae indolis
homo *immittit*, excitat *rixam*, *Et susurro*, delator, qui aliorum
facta aut dicta maligne ad alios defert, *separat*, dirimit *familia-*
29. *res*. — *Vir violentus*, sanguinolentus, rapax, qui aliorum in for-
tunas imminet, *pellicit socium suum*, alterum, *Et ducit eum in*
viam non bonam, seducit eum ad scelesta facinora facienda. cf.
30. 1, 10 sqq. — *Claudit oculos suos ad excogitanda perversa*,
ut mali quidquam moliatur; *Mordet*, comprimit *labia sua*, quod
itidem est machinantis; *perfecit* i. e. jamjam excogitavit, paratum
habet *malum* alteri inferendum. Verbis prioribus Rosenmüllerus
vix dubium esse judicat quin denotetur occlusio oculorum subi-
tanea, sive eorum nictatio, qualis sit hominis fraudulenti, grega-

libus suis indicantis, se quidquam mali aliis moliri. Quod per-
peram judicatum est. Quod e vestigio sequitur לַחְשֹׁב clarissime
indicat, oculorum compressionem significari meditabundorum;
solet enim liberior esse cogitatio clausis oculis. Idem valet in
compressionem labiorum, quam Umbreitus et Ewaldus excogitati
mali indicium esse volunt. Solent enim qui meditantur os clau-
dere ad se redeuntes. — *Corona decora*, splendida est *canities*; 31.
In via justitiae reperitur i. e. insigne decus et ornamentum est
senectus, senectus vero praemium est virtutis. — *Melior* est *tar-* 32.
dus ad iram heroe, Et qui imperat animo suo melior *eo qui*
capit urbem, i. e. potior est qui se ipsum, quam qui alios vincit.
Quemadmodum ne quid detrahatur sententiae, ita ne quid inferatur
quod non inest cavendum est interpreti. Posterius in vitium hic
incidit Rosenmüllerus, qui sensu supra enarrato non contentus
haec addenda putavit. „Adde, inquit, quod qui se vincit, id facit
ita ut sibi quamplurimum prosit, nemini noceat; quum fortis bella-
tor, qui alios vincit et urbes expugnat, fere sine cruore et ingenti
aliorum discrimine id non faciat.“ Haec enim, quantumvis vera,
aliena tamen a sententia sunt. Ceterum cf. illud graece dictum
Ἀνδρεῖος οὐχ ὁ τῶν πολεμίων κρατῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν
ἡδονῶν κρείσσων, item Publ. Syr. Troch. 808: Fortior est qui
cupiditates suas, non qui hostes subjicit, nec non Ovid. ex Pont.
2, 5, 75: Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit Moenia,
nec virtus altius ire potest. — *In sinum*, vestis, puta, *projicitur* 33.
sors; Et, sed *a Jova* est, proficiscitur *omnis sententia de ea*
i. e. quidquid sorte evenit homini, non casu et fortuito evenit sed
volente deo. Ad יְהֻטַּל אֶת־ vid. Ges. gr. min. §. 140, 1, a, et
Lex. a me editum p. 91. מִשְׁפָּט hoc loco ut saepe alias est *sen-*
tentia judicis, suffixum vero, referendum ad גּוֹרָל, Genitivus
Objecti.

CAP. XVII. *Melius quid* est *frustum* panis *siccum et tran-* 1.
quilitas cum eo, melior est victus tenuis cum tanquillitate. *Quam*
domus plena epulis rixosis. — *Servus prudens imperat filio* 2.
turpi pravo, *Et in medio fratrum*, inter medios fratres *partitur*
hereditatem, eandem cum filiis familias partem hereditatis capiet,
Exemplo ostenditur, quantum valeat prudentia, ut quae ipsius na-
turae jura vincat, libertatem et ipsum imperium in ingenuos det
servo, eumque bonorum ex aequa parte heredem faciat. cf. Sir. 10,
25: *οἰκέτῃ σοφῷ ἐλεύθεροι λειτουργήσουσι, καὶ ἀνὴρ ἐπιστήμων οὐ*

3. γογγύσει. — *Catinus argento et fornax auro*, catinus argento,
fornax auro liquando inservit, norunt homines explorare aurum et
4. argentum, *Et*, sed *corda explorat Jova*. — *Homo malus*
attendit ad labium vanum, ad sermones vanos, malae indolis homo
auscultat sermonibus vanis, mendacibus, calumniosis; *Mendacium*
i. e. mendax *aurem praebet linguae perniciosae*, quae alios per-
dere studet. שֶׁקֶר abstractum positum pro concreto. Ad מֵזִין cf.
5. Ges. gr. min. §. 67, 2. — *Qui ridet pauperem, probro afficit*
conditorem ejus, deum; *Qui gaudet calamitate* alterius; *non*
impunis erit, haud impune feret. Ad hemistichium prius cf. 14,
6. 31. — *Corona*, ornamentum *senum* sunt *filii filiorum*, nepotes,
7. copiosa proles, *Et decus filiorum eorum patres*. — *Non decet*
stultum labium excellens, grandiloquum; *Quanto minus inge-*
8. *nuum labium mendax*. — *Lapis pretiosus*, gemma i. e. res
gratissima est *donum in oculis domini sui* i. e. ejus qui accipit
illud; *Quocunque se vertat, proficit*, pulchre procedit. Simillima
huic sententia Ovidii de art. am. 3, 653: Munera, crede mihi, ca-
piunt hominesque deosque, Placatur donis Jupiter ipse datis. —
9. *Qui tegit delictum, quaerit amorem*; *Et*, sed *qui iterat in re*
i. e. qui recoquit rem commissam, oblivioni tradendam, *separat*,
10. dirimit *familiares*. — *Altius descendit increpatio in intelligen-*
tem, ejus animum, *Quam percutere*; quam si percusseris *stultum*
centies. Apud intelligentem plus proficit, valet increpatio quae
fit solis verbis, quam cet. Pro תֵּחַת efferendum est תֵּחַת a נָחַת.
Nam quum quod sequitur גְּעָרָה non sit penacutum, תֵּחַת non po-
test firmari exemplis ad quae in Thes. Gesenius remittit allatis in
Gr. ampl. §. 51, 1. not. 1. Videntur qui תֵּחַת efferunt Masorethae
formam deduxisse a יֵחַת. Ad *descendendi* significatum quod at-
tinet, cf. 18, 8., 26, 22., iisque adde prolata a Gesenio Sallust.
Jug. 11: verbum... in pectus Jugurthae descendit; item Liv. 2, 52:
curam in animos descensuram. Ad ipsam sententiam cf. Curt.
7, 4: nobilis equus umbra quoque virgae regitur, ignavus ne cal-
11. cari quidem concitari potest. — *Nihil nisi malum quaerit con-*
tumacia, rebellio, *Et nuntius crudelis mittitur in eam* i. e. et
gravissime plectitur rebellis. Ewaldus, si prius membrum sic
reddatur: *nihil nisi contumaciam quaerit malus*, negat convenire
posterius. Idem statuit Ewaldus de Umbreiti et aliorum inter-
pretatione hac: *non nisi contumacia quaerit malum*. Sane
neutrum satis aptum videtur. Ipse igitur sic verba explicanda

putavit: *Tantum quod rebellio quaerit malum, Cum nuntius*
crudelis in eum mittitur, coll. Gen. 27, 30. Jud. 7, 9. Non
male profecto. Sed praeter hanc alia datur interpretatio haud
minus apta, quam num temere an consulto neglexerit Ewaldus
nescio, ea, inquam, quae supra est enarrata. Possunt enim quod
initio prioris membri positum est אַךְ et quod ejusdem in fine est
רָע eodem cum accentu efferri, id est, potest אַךְ, quamvis ab initio
positum, referri ad רָע, coll. Jes. 34, 14 sq. (nec non גַּם et רַק
particulis, cf. supra ad 13, 10.). Quam eandem interpretationem
suam fecerunt de Wette et Rosenmüllerus, qui: „nihil aliud quam
ut aliis noceat, et mala plurima invehat, quaerit seditiosus et re-
bellis in regem aut magistratum, dum tranquillitatem publicam
turbat et reipublicae saluti perniciem machinatur atque una se-
cum et alios in exitium abripit.“ Idem ad hemistichium posterius:
„loquendi formula inde desumta, quod regis aut summi magistra-
tus minister rebelli supplicium nunciat infligitque.“ — *Incidat* 12.
ursus orbatus i. e. ursa orbata catulis *in aliquem; Et, at ne in-*
cidat vesanus in stultitia sua; cum aestu stultitiae accensus fer-
tur! פָּגוֹשׁ infinitivus absol. jubentis s. permittentis, *incidere!* pro
incidat! conjunctus cum Subjecto ut raro alias, Job. 40, 2. Ez. 1, 14
ad quem loc. vid. coll. Ges. gr. min. §. 128, 4. adn. 1. Umbreitus דֹּב
Accusativum habet et בְּאִישׁ pendere judicat ex מְשַׁכֵּל, אִישׁ mascu-
lum coll. Gen. 4, 1. hinc catulum significare existimans, quae
interpretatio nemini, opinor, satisfactura est. דֹּב m. epic. In-
telligenda hic ursa, quae ferocissima est amissis catulis 2 Sam.
17, 8. Hos. 13, 8. „Tolerabilius esse dicit in ursam efferatam
amissis catulis incidere, quam in stultum, dum sua agitatur et fer-
tur stultitia; eum enim esse longe perniciosiorem.“ Ros. — *Qui* 13.
reddit malum pro bono, Non recedit malum a domo ejus, ab
ejus domo non recedet infortunium. Pro תָּמִישׁ Keri legi jubet
תָּמוּשׁ, praeter necessitatem, quum Hi. etiam idem significet quod
Kal. Quod ubi significat, propr. est recessum facere. — *Fissio*, 14.
proruptio *aquarum* est *initium contentionis* i. e. aquis prorum-
pentibus simile est initium contentionis i. e. ut, si aggere rupto
vel rima in aggere facta exeunt aquae, id nihil esse putatur initio,
sed, ut verbis utar Rosenmülleri, „ubi semel emissae sunt, fora-
men vel ingressum, per quem sunt laxatae, initio angustum, latio-
rem deinde efficiunt, atque ita tandem paulatim liberius erumpen-
tes omniaque inundantes magna damna afferunt: sic jurgium a

parvis initiis profectum haud raro fit magna et perniciosa contentio, quae haud facile sedari potest et exstingui; *Et, itaque priusquam* fervidius *exardescat lis, dimitte!* הִתְגַּלַּע quod praeter Ewaldum omnes pro Participio habent nomen est formae הִקְטֵל significans *fissionem,* hinc *proruptionem.* גָּלַע verbo plerique *irritandi, exacerbandi* significatum tribuunt. Quem significatum Ewaldus non negat omnibus locis optime convenire, sed negat posse firmari. Potest vero גָּלַע emollitum est ex גָּרַע, ita ut primaria ejus significatio sit in asperitate posita, prorsus ut in ejusdem etymi et significationis verbo גָּרָה. Rebia impositum הִתְגַּלַּע voci movere te non poterit, ut קָרִיב
15. construas cum נִגְרַשׁ. — *Qui absolvit improbum, et qui condemnat justum, Abominatio Jovae uterque,* et qui sontem absolvit,
16. et qui insontem damnat, utrumque aeque detestatur Jova. — *Cur tandem pretium in manu stulti Ad emendum,* comparandam sibi *sapientiam, et non est intellectus* i. e. quum non sit mens in eo? Quid prodest homini stulto comparare sibi sapientiam, quum careat mente, qua utatur sapientia? Verba לִקְנוֹת חָכְמָה, si discesseris ab Ewaldo, omnes interrogative accipiunt, si secus accipiantur, structuram posterioris membri obscuram esse monentes. Quod quam
17. falsum sit, nostra, opinor, interpretatione ostensum est. — *Omni tempore diligit amicus; Et,* sed *frater in angustiis* ille *nascitur,* sed adverso tempore is tibi fiet frater, non amicus, sed *frater* aderit tibi. Est veri amici imago. cf. Cic. Lael. 64. amicus
18. certus in re incerta cernitur. — *Homo vecors ferit manum,* dextra data fidem pro alio interponit, *Spondet sponsionem,* fidejubet *coram altero,* praesens praesenti creditori vadem se dat. Falsus est Umbreitus, qui membrum posterius: *qui fidejubet pro altero,* nec verior Ewaldus, qui: *qui fidejubet coram amico.*
19. Ceterum cf. 6, 1 sqq. 11, 15. — *Amat delictum, qui amat rixam,* quia multorum delictorum fons est rixa; *Qui altam facit portam suam,* qui fores attollit suas, *quaerit ruinam,* qui se effert, ruit. Noli putare membrorum nullum esse consensum. Nam cum jurgia excitare sit hominis se jactantis et fastuosi (cf. 13, 10.), probe
20. concinunt membra. — *Qui perversi animi est, non invenit,* assequitur *bonum,* bene cum eo agi non potest; *Et qui versutae linguae est,* nisi mavis acquiescere in significatione generali: *et*
21. *qui perversae linguae est, incidit in malum.* — *Qui gignit stultum,* id *ei aegritudini* est, is ex eo moerorem feret, *Nec laetabitur*

pater stupidi. Rosenmüllerus, de Wette et alii membrum prius
sic struunt: *qui gignit stultum, in moerorem sibi* gignit. Sed
recte Ewaldus complemento non opus esse monet, coll. 18, 13.
— *Cor laetum bonam*, felicem *facit mitigationem* doloris, sa- 22.
nationem; *Et*, sed *animus afflictus arefacit ossa*, exhaurit cor-
pus. גֵּהָה quod praeter hunc locum non legitur Gesenius et alii
propr. *remotionem ligaturae* esse putant a גָּהָה repellere, remo-
vere, spec. ligaturam vulneris Hos. 5, 13. Eo tamen loco appo-
situm est מָזוֹר nomen; hic nil nisi גֵּהָה habetur. Videtur
גָּהָה praeter transitivam removendi significationem etiam intransi-
tivam recedendi habuisse, quae est in syr. ܓܗܐ recedere, fugere,
sedari, et in vicino כָּהָה remitti, deficere, eaque a potestate גֵּהָה,
nomen formae Piëlicae, significabit *remissionem, mitigationem*
prorsus ut vicinum כֵּהָה. — *Munus e sinu porrectum improbus* 23.
judex *accipit, Ut flectat*, pervertat *vias juris*. Possunt etiam
hoc modo accipi verba: *Munus e sinu improbus*, qui malae
causae patrocinium quaerit, *sumit*, protrahit, *Ut* cet. i. e. quo mo-
veat judicem ut a jure deflectat. Probabilior tamen prior sensus.
— *Apud faciem intelligentis* i. e. coram eo, ei praesto est *sa-* 24.
pientia; Et, sed *oculi insipientis* sunt *in extremo terrarum*,
sapientiam in ultimis terrae finibus quaerunt, neque inveniunt. cf.
simillima sententia 14, 6. אֶת־פְּנֵי ut Gen. 19, 13 al. Alii: *Cum*,
in *facie intelligentis* est *sapientia* cet. i. e. sapientiam refert vul-
tus intelligentis gravis, constans, quum oculi insipientis ad remo-
tissima quaeque vagentur. In hanc sententiam jam Vulg. in facie
prudentis lucet sapientia cet., item Lutherus quia ein Verständiger
geberdet weislich, ein Narr wirft die Augen hin und her. Sed
certior altera sententia, quippe accommodatior ad verba. — *Aegri-* 25.
tudo, causa aegritudinis, aegritudini est *patri suo filius stultus*,
Et moeror genitrici suae. cf. 10, 1. — *Etiam mulctam impo-* 26.
nere justo, etiam pecunia mulctare justum *non est bonum*, inter
alia nefas est justum pecunia mulctare; *Percutere ingenuos supra
rectum* est, recti fines transgreditur, injustum est. גַּם etiam recte
Rosenmüllerus et alii: „inter alia, quae nequaquam bene et lau-
dabiliter fiunt, est et hoc,“ coll. 19, 2. נְדִיבִים Ewaldus Subjectum
facit. Quo sensus nascitur maxime inconcinnus. Causam affert,
quod נָדִיב quum nusquam exprimat solam animi nobilitatem, *justo*
respondere nequeat. Sed plane sufficit adjuncta notio nobilitatis
animi, eamque notionem vox adjunctam habet et supra vs. 7. Ad

27. עַל־יֹשֶׁר cf. 11, 24. coll. Ps. 16, 2. 89, 8. — *Qui cohibet dicta*
sua, qui verbis parcit, *scit scientiam*, sciens est; *Et qui frigidi*
est *animi* i. e. sedati, moderati, quieti, qui non facile affectibus
aestuat, est *vir intelligens*. Pro וְקַר־רוּחַ Keri habet יְקַר־רוּחַ
qui gravis est *animi* i. e. quieti, ita ut eodem redeat quo Ketib.
Alii יְקַר רוּחַ significare putant *qui rari est animi* (cf. 1 Sam. 3,
1.), idque positum volunt pro *qui parcus* est *verborum*. Quod
28. durius. Quidquid erit, acquiescendum in Ketib. — *Etiam stul-*
tus, cum tacet, sapiens reputatur; Qui claudit labia sua,
reputatur intelligens. Alii posterius comma: *Qui claudit labia*
sua, est *intelligens*.

1. CAP. XVIII. *Libidinem* i. e. suum arbitrium, non nisi quod
sibi lubet, *quaerit*, sectatur *qui se separat* ab aliis, qui sibi soli
vivit alieni moris contemtor fastidiosus; *Contra omne consilium*
se effert, pugnat *animo exacerbato*. בְּקֵּשׁ לְ ut Job. 10, 6. —
2. *Non delectatur stultus intelligentia, Sed eo quod se revelat*
3. *cor suum*, prodendo quod suo in animo gerit. — *Cum venit im-*
probus, venit etiam contemtus, improbum sequitur contemtus,
Et cum ignominia i. e. turpiter factis *opprobrium*. Sine ulla
idonea ratione pro רָשָׁע Umbreitus et alii רֶשַׁע legi jubent. Idem
exprimitur concreto quod abstracto. Quomodo intelligendum sit
קָלוֹן perspicitur ex eo cui respondet, ex רָשָׁע. Intelligendi igitur
4. turpes mores, turpiter facta. — *Aquae profundae*, quae exhauriri
non possunt, sunt *verba oris viri*, sapientis, puta, de hoc enim
cogitari ostendit membrum quod sequitur; *Rivus scaturiens*, co-
5. piose, largiter fluens *fons sapientiae*. — *Habere rationem im-*
probi, temere favere improbo *non est bonum*, *Ad detrudendum*
justum de via justitiae, ad repellendum justum qui vult defendere
causam suam, *in judicio*. De locutione הַטּוֹת צַדִּיק vid. quae ob-
servavimus ad Am. 5, 12. Quo loco quam proposui sententiam
6. suam nunc Gesenius quoque fecit in Thes. p. 877. — *Labia stulti*
veniunt cum rixa, afferunt rixam; *Et os ejus percussiones*, pla-
gas *provocat*, in causa est, ut a verbis ad verbera veniatur. —
7. *Os stulti ruina* est *ei*, suum stulto os ruinae, exitio est, *Et*
8. *labia ejus* sunt *laqueus vitae ejus*, causa perniciei. — *Verba*
susurronis sunt *sicut cupedia*, tam avide percipiuntur, quam
deglutiuntur escae molliculae; *Et descendunt ea in penetralia*
ventris, perserpunt in recessus altissimos animi, ad intimum
usque animum. Quod hoc solo loco et infra 26, 22. ubi eadem

verba repetuntur, legitur מִתְלַהֲמִים videtur *cupedia, escas molli-*
culas, cibos delicatiores, propr. res quae avide deglutiuntur
significare a לָהַם deglutire, avide deglutire; cf. arab. להם ejusdem
significatus verbum et hebr. לָחַם. Quae significatio quanquam
non ita certa est, ut nulla reliqua maneat dubitatio, certior tamen
videtur quam susurrandi, murmurandi significatus excogitatus ab
Ewaldo coll. נָהַם al. — *Etiam qui segnis est*, propr. qui remis- 9.
sum se praebet *in negotio suo*, *Frater est prodigi*, propr. per-
ditoris i. e. ejus qui sua perdit. Germani sunt segnes atque pro-
digi. Ignavus aeque habetur atque rerum suarum dissipator.
— *Turris firma*, munita, id est, praesidium firmum est *nomen* 10.
Jovae i. e. Jova est; *Ad eam currit*, confugit *justus*, *et tutus*
est, propr. in alto loco constitutus. — *Opes divitis* sunt *ejus* 11.
urbs firma, munita, ejus praesidium, *Et ut murus altus ejus*
quidem *opinione*, ut ipse quidem opinatur. Hemistichium prius
iisdem verbis dictum est 10, 15., neque ibi in vituperationem.
Pro בְּמַשְׂכִּתוֹ veterum nonnulli maluerunt בִּמְשֻׂכָּתוֹ legere, in his
Vulg: circumdans eum, quem secutus est Lutherus. Quod otio-
sum additamentum praebere recte monuit Ewaldus. Bene Vers.
Ven. ἐν φαντασίᾳ αὐτοῦ. — *Ante ruinam extollit se cor alicujus*, 12.
ruinam praecedit superbia; *Et ante honorem* est, et honorem
praecedit *animus demissus*. Membrum prius simillimis verbis ex-
pressum est 16, 18.; posterius iisdem verbis 15, 33. — *Qui respon-* 13.
det, priusquam audiverit, intellexerit quid dixerit alter, *Stultitia id*
ei est et ignominia, is stultus habetur et ignominiam refert. cf.
Sir. 11, 8: *πρὶν ἢ ἀκοῦσαι μὴ ἀποκρίνου, καὶ ἐν μέσῳ λόγων μὴ*
παρεμβάλλου. — *Animus viri*, animus viri fortis *sustinet morbum* 14.
ejus, corporis mala; *Et*, sed *animum afflictum*, aegrum, *quis*
ferat eum? Quum animi sit corpus regere, non autem corporis
regere animum, corpus, si fuerit aegrum, sustinebit animus; ani-
mum vero, si afflictus fuerit, nihil est quod ferat. — *Cor*, mens 15.
intelligentis comparat scientiam, *Et auris sapientum quaerit*
scientiam. cf. 15, 4. — *Donum hominis*, donum quod quis in 16.
eo est ut offerat, *amplum ei spatium facit* i. e. ei aditum patefa-
cit ad eos quos adire cupit, *Et ante*, ad *proceres deducit eum*,
viam ad eos ei aperit. — *Justus* est, videtur *prior in lite sua* 17.
i. e. justus videtur qui prior causam suam exponit accusandi ini-
tium faciens; *Venit socius ejus* i. e. is quocum ei lis est, adver-
sarius, *et investigat eum*, ejus dicta, causam. Indicatur, non

esse judici sententiam dicendam, donec et accusati rationes audiverit, quia qui causam prior defert, is facile habeatur justus, quum fortasse non sit. Umbreitus membrum posterius: *si venerit socius ejus, investiga eum*, חֲקָרוֹ Imperativum habens. Cui sententiae vir doctus aliquid roboris addere poterat laudando quod pro יָבֹא Keri legi jubet וּבָא. Sed simplicior et certior prior
18. ratio est. — *Contentiones cessare facit,* iis finem imponit *sors, Et inter potentes separat,* dirimit, ita ut alter ab altero incusando
19. desistat. — *Frater vehementius repugnat urbe munita; Et lites,* inter fratres puta, sunt *instar vectis palatii.* Rosenmüllerus: „*Frater qui perfide deseritur* a fratre, *urbe munita* sc. difficilior est expugnatu. נִפְשָׁע propr. *a quo deficitur* s. *qui defectionem patitur* sc. a fratre, frater defectione fratris offensus et ad odium provocatus. Ad מִקִּרְיַת־עֹז subaudiendum est e posteriore nomine עָז firmus est vel קָשֶׁה durus est vel aliud quid simile. Animus ejus qui a fratre exacerbatus in eum odium concepit ira pertinax et implacabilis est, ut urbs munita citius expugnetur, quam animus iste fraternus. *Et contentiones* inter fratres sunt *veluti vectis palatii.* Sicut repagula foribus palatii objecta introitum alicujus penitus impediunt, ita litigia inter fratres eorumque exacerbatus invicem animus praecludunt reconciliationi aditum." Etiam Umbreitus et de Wette ante מִקִּרְיַת־עֹז tertium comparationis quod dicunt omissum putant, a Rosenmüllero in eo tantum discedentes, quod נִפְשָׁע reflexive intelligendum judicant hoc modo: *fratres a se invicem deficientes*, inter se discordantes. Quo eodem modo verba interpretatur Gesenius: *fratres qui defecerunt unus ab altero*, Winerus et alii. Unus Ewaldus נִפְשָׁע *reniti* significare et נִפְשָׁע quod suppressum putatur Praedicatum efficere existimat. Quae vera mihi interpretatio videtur. פָּשַׁע propr. varicare, divaricare pedes; cf. פָּשַׂק. Hinc in Niph. et in ipso Kal intransitive accepto se divaricare, sich sperren, hinc impropr. reniti, reluctari, adversari, deficere, peccare. Hic igitur totius commatis sensus erit: Frater, cui inimicitiae intercedunt cum fratre, vehementius repugnat urbe munita, et quae sunt lites inter frates unum ab altero arcent ut palatii vectes eos qui volunt introire. cf. Tac. Hist. 4, 15: acerrima ferme proximorum odia sunt. Item illud χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν. Ceterum pro מְדוֹנִים Pl. מָדוֹן vocis Keri habet מִדְיָנִים ex מִדְיָן. מְדוֹנִים nusquam legitur nisi in Ketib; מִדְיָנִים vero tum alias, tum semper in Keri pro

Ketib מְדוֹנִים, si discesseris ab uno loco Prov. 6, 14. ubi est pro
מְדָנִים. — *Fructu oris* hominis *cujusque satiatur venter ejus* 20.
pro › oris sui fructu cujusque satiatur venter; *Proventu labiorum*
suorum satiatur. Sensus: percipit quisque dictorum suorum
fructum. cf. simillima 12, 14. 13, 2. — *Mors et vita in manu* 21.
linguae sunt, mortem et vitam, salutem et exitium habet lingua,
utrumque tribuere potest; *Et quicunque eam amat*, usu ejus delectatur, eam crebrius exercet, *vescitur ejus fructu*, id est percipit suae linguae, id est, sermonum suorum fructum vel bonum vel malum, vel salutem vel exitium. בְּיַד־לָשׁוֹן idem quod esset אֵת לִ׳, עִם לִ׳; cf. Eccl. 5, 13. Esr. 7, 25. Ewaldus pro אֹהֲבֶיהָ scribi jubet אֹחֲזֶיהָ vel potius תֹּמְכֶיהָ coll. LXX. qui *οἱ κρατοῦντες αὐτῆς*. Neque enim quid per se sit *amare linguam* intelligi, nec quid sibi velit hoc nexu. Sic demum absolvi imaginem propositam hemistichio priore. Quam mutationem assensu meo probare non possum. Pro *delectari* aliqua re *amare* aliquam rem dicitur Jes. 56, 10. Jer. 14, 10. Hos. 12, 8., nec video quid alieni hic habeat is significatus. Nequaquam necesse est, ut servetur imago manus. Quid? quod ne elegans quidem esset tenere istam imaginem. Ad LXX autem quod attinet, *αὐτῆς* certe non ad *χειρί*, sed ad *γλώσσης* referendum est. Reliquum est, ut de
אֹהֲבֶיהָ constructo cum Sg. lectores remittamus ad 3, 18. — Si 22.
invenit aliquis *mulierem, invenit bonum*, qui invenit uxorem, invenit bonum, *Et impetravit*, obtinuit *gratiam a Jova*. Docet, conjugem semper esse divinum beneficium. cf. Hesiod. Opp. et Dies 702: *οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον τῆς ἀγαθῆς.* Structurae prioris hemistichii similem vid. 11, 2. Posterius iis-
dem verbis legitur 8, 35. — *Preces loquitur pauper; Et*, sed 23.
dives respondet dura, supplicibus verbis orat pauper, duris re-
spondet dives. — *Vir sodalium est ad sese perdendum*, qui mul- 24.
tis gaudet sodalibus gaudet in sui perniciem; *Et*, sed *sunt amici, qui magis*, firmius *adhaerent fratre*. In verbis רֵעִים לְהִתְרֹעֵעַ eleganter observa paronomasiam.

CAP. XIX. *Melior* est, praestat *pauper incedens in inte-* 1.
gritate sua, integre se gerens, *Eo qui est perversis labiis et stultus*. Recte de hoc loco judicatum est a Gesenio et Rosenmüllero. Prior in Thes. p. 701.: „Sunt qui כְּסִיל coll. 28, 6. *divitem* interpretentur, quod vix licebit, neque opus est. Aegre tibi persuadeas, tantae frequentiae vc. semel alia significatione accep-

tum esse, etsi concedam, a pinguedinis notione (vid. כֶּסֶל et כִּסְלָה) divitias derivari potuisse." Rosenmüllerus: „Pauperi recte viventi opponitur dives perversus, quamvis divitis non expresse mentio fiat." cf. illud Graecorum *καλῶς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν*
2. *κακῶς*. — *Etiam in imprudentia*, inconsiderantia *animi non est bonum*, cum quis non circumspecte et provide, sed incaute et temere agit, id non est bonum; *Et qui festinat pedibus, vestigio labitur*, pede errat, i. e. et qui praeceps est in rebus gerendis, fine suo excidit. cf. Stat. Theb. 10, 699: male cuncta ministrat impetus. De גַּם vid. ad 17, 26. Sunt qui נֶפֶשׁ separent a דַּעַת eique vim *cupidinis*, *studii*, tribuant. Sic Umbreitus: *ubi non est considerantia, nec studium bonum est* („ist der Eifer auch nicht gut"), et de Wette, *nec impetus* („Gier") *sine prudentia bonus est*. Sed simplicior et certior est nostra interpretatio,
3. quae eadem est Rosenmülleri et Ewaldi. — *Stultitia hominis pervertit viam ejus*, sua homo stultitia sibi contrahit mala; *Et Jovae irascitur cor ejus*, ipse vero malorum quae patitur deum
4. accusat auctorem. — *Opes addunt socios multos*, augent sodalium numerum; *Et*, sed *tenuis*, pauper *a socio suo separatur*,
5. sibi relinquitur. cf. simillima 14, 20. et infra vs. 7. — *Testis falsus non impunis erit*, non impune feret; *Et qui efflat*, spirat *mendacia, non eripiet se*, non evadet. Repetitur sententia vs.
6. 9. — *Multi adulantur homini liberali; Et omnes amici sunt viro munifico.* De locutione חִלָּה פְנֵי פ׳ vid. quae observavimus ad Dan. 9, 13. Verba posterioris membri, quum כָּל־הָרֵעַ interpositum habeat Makkeph, vix ac ne vix quidem poterunt sic accipi ut הָרֵעַ efficiat Praedicatum, hoc modo: *et omnis* est *amicus* (propr. *und Jeder* ist *der Freund*), sed eo modo struenda sunt
7. quo supra struximus. — *Omnes fratres pauperis oderunt eum*, pauperem omnes sui fratres, consanguinei oderunt; *Quanto magis socii ejus*, nullo ei consanguinitatis vinculo juncti, *recedunt ab eo*. cf. illud *πτωχοῦ φίλοι οὐδ᾽ οἱ γεννήτορες*. מֵרֵעֵהוּ Gesenius et alii pro מֵרֵעֵיהוּ, Rosenmüllerus, Umbreitus et alii distributive positum putant. Probabilior sententia Ewaldi, qui מֵרֵעַ cum Plur. construi posse judicat, quod propr. sit abstractum. cf. מוֹדַע. Quae sequuntur מְרַדֵּף אֲמָרִים לֹא הֵמָּה praecedentibus hoc sensu jungat aliquis: *Sectatur* ille, pauper, *verba* i. e. fidem habet verbis, quibus amici auxilium promittunt; *non sunt*, q. d. בְּאַיִן, i. e. vana sunt, promissis non statur. Vel si pro לֹא legeris quod Keri dat

לֹו: *sectatur verba; sunt ei* i. e. habet verba, cassa, puta. Sed plus quam probabile est, reliquias haec verba alius sententiae esse, tribus de causis. Quarum una est, quod jungi antecedentibus non sine negotio possunt; altera, quod trium membrorum sententiae ab hac libri parte abhorrent; tertia cernitur in eo, quod Alexandrinus post alia exhibet haec: *ὁ πολλὰ κακοποιῶν τελεσιουργεῖ κακίαν, ὃς δὲ ἐρεθίζει λόγους οὐ σωθήσεται.* In quibus verbis per *ὃς δὲ κ. τ. λ.* nemo non videt translucere hebraicum מְרַדֵּף וְגוֹ. Itaque quae servata sunt verba separata ab antecedentibus sic fere explicabis: *Qui sectatur verba*, qui verbis fidit, *non sunt*, vana esse sentiet. Omissa vero ex mala Graeci interpre-
tatione non restitues. — *Qui comparat intellectum, amat se* 8.
ipsum; Qui servat prudentiam, est *ad inveniendum bonum* i. e.
invenit, assequitur bonum. cf. 16, 20: מַשְׂכִּיל עַל־דָּבָר יִמְצָא־טוֹב
coll. Ges. gr. min. §. 129. adn. 1. — *Testis falsus non impunis* 9.
erit, impune feret; *Et qui efflat*, spirat *mendacia, perit.* cf. vs.
5. — *Non decent stultum deliciae*, stultum in deliciis vivere non 10.
decet; *Quanto minus servum decet dominari principibus.* cf.
30, 21 sq. — *Intelligentia hominis tardat iram ejus*, intelli- 11.
gentia hominem patientem reddit; *Et decus ejus* est *praeterire*,
condonare *delictum*. — *Fremitus ut leonis*, terribilis est *ira* 12.
regis; Et, at *veluti ros in herbas* decidens *favor ejus*, cf. simi-
lia his 16, 14. 15. — *Calamitas*, miseria *patri suo* est *filius* 13.
stultus, Et stillicidium trudens, continuum, in quo gutta guttam
trudit i. e. intolerabilis molestia sunt *rixae mulieris*, est mulier
rixosa. — *Domus et opes* sunt *hereditas patrum*, a parentibus 14.
possidenda accipitur domus, traduntur opes; *Et*, sed *a Jova* est,
datur *mulier intelligens*, sed Jovae donum est uxor intelligens,
proba. — *Pigritia dejicit*, injicit *soporem*, somnolentum reddit 15.
hominem; *Et anima remissa*, et qui segnis, ignavus est, *esuriet.*
cf. 10, 4. — *Qui servat praeceptum*, praecepta, *servat animam*, 16.
vitam *suam; Qui negligit*, non curat *vias suas*, suam agendi ra-
tionem, *morte afficitur.* Pro fortiori יוּמָת Keri praeter necessi-
tatem יָמוּת. — *Mutuum dat Jovae, qui gratificatur tenui*, be- 17.
neficum in pauperem se exhibet; *Et benefactum ejus ei rependet* Jova. — *Castiga filium tuum, dum spes est*, dum corrigi 18.
potest; *Et*, sed *ad necandum eum ne sustuleris animum tuum*, sed eum necare animum ne induxeris, sed cave occidas inter castigandum, cura ut moderata sit castigatio! De locutione נָשָׂא

19. נְקַשׂ אֵל vid. ad Ps. 24, 4. — *Irae properus luit poenam* i. e.
luat poenam; *Nam, si eripueris,* siveris evadere, impunitum eva-
dere irae properum, *iterum facies,* iterum faciendum tibi erit i. e.
denuo necesse habebis sinere evadere, quippe mox relapsurum.
Qui גְּרָל־חֵמָה efferunt גֹּרַל־חֵמָה C. B. Michaelis et Rosenmüllerus
redduntque verba sic: *sors excandescentiae est ut luens quis
sit poenam,* eos confutare non opus esse duco. Legendum sine
dubio גְּדָל־חֵ׳, hoc vero non cum Gesenio, Winero, de Wettio,
Umbreito et aliis dixerim significare *asperum irae*, irae asperae
hominem, sed *praecipitem in iram, irae properum*, nam ira
numquam non est aspera, neque irae asperae hominem, sed pro-
num in iram exspectat qui legit hemistichium posterius. *Prae-
cipitem* vero, *ruentem, properum* quin significare possit גָּרֹל non
est quod dubites, quum גָּרַל, emollitum ex גָּרַר, significet *volvi,
ruere*; et ab hoc significatu גּוֹרָל *lapillum.* Ewaldus גָּרֹל vel
potius גָּרֵל, sic enim effert formam absolutam, *frequentem, cre-
brum* putat significare, coll. arab. גזיל, *s* in *r* mutatum judicans,
quod durissimum. Quod Keri legi jubet גְּדָל־ manifesta emen-
20. datio est verbi non intellecti. — *Audi consilium et admitte dis-
ciplinam, Ut sapias futuro tuo tempore,* futuris vitae annis, in
21. matura aetate. — *Multae sunt cogitationes in corde hominis;
Et,* sed *consilium Jovae, id perstat.* Multa homines animo
volvunt, quae numquam possunt exsequi; sed Jova quod fieri de-
22. crevit, fit. — *Decus hominis est benignitas ejus; Et melior est
pauper,* cujus ad benignitatem pronus animus, *quam homo men-
dax,* qui quas possidet opes tegit, cohibet. תַּאֲוַת accipiendum
23. ut Gen. 49, 26. — *Timor Jovae est ad vitam,* pietas salutem
affert; *Et satur pernoctat,* qui timet Jovam, *non tentatur malo,*
nullum experitur malum. Posterioris membri Subjectum facile
est ad colligendum ex priore. Qui לִין verbo generalem *habi-
tandi, permanendi* significationem tribuunt de Wette, Ewaldus
et alii, pulchram imaginem delent. בַּל Acc. E. gr. min. §. 515.
24. — *Abscondit,* alte immergit *piger manum suam in paropsidem;
Ne ad os quidem suum refert eam,* „adeo torpet, ut cum manum
esuriens ad escam capiendam extenderit, taedeat ipsam cibo re-
pletam ori suo admovere. Belle describitur homo valde iners,
qui edere quidem vult, sed ne minimis quidem perfungi labori-
bus." Ros. Ceterum notum est lectoribus, Orientales in capi-
endis cibis nec fuscinis, nec cultris, nec cochlearibus, sed solis

manibus uti. — *Irrisorem percutias* i. e. irrisorem si percusse- 25.
ris, castigaveris, *simplex fiet prudens*; *Et admone intelligentem:*
intelliget sapientiam, scitum, docilem, sapientiae studiosum si
admonueris, sapientiam discet. הוֹכִיחַ Imperativum habent, eum-
que expressimus nos quoque. Dubia tamen haec Imperativi forma
est. Nam pro הוֹפִיעַ quod est Ps. 94, 1. legendum videtur הוֹפִיעָה.
Itaque nescio an rectius Infinitivum est. esse dicam הוֹכִיחַ, יָבִין
vero Hiphil in hanc, qua structura tantum, non sensus mutatur,
sententiam: *et admonere intelligentem docet scientiam* i. e. et
intelligentem si admonueris docebis illum, discet ille scientiam.
Prioris membri vim et rationem his descripsit Rosenmüllerus.
„Si sannionem, qui profano animo religionem honestatemque om-
nem despicit, et nulla vel dei vel hominum reverentia coercetur,
percutias, severius castiges, haud quidem illum ipsum corriges;
sed hoc tamen efficies, ut simplicior, qui non malo consilio peccat,
poena illi inflicta monitus, prudentior fiat. Nominibus לֵץ et
פֶּתִי A. Schultens unam tantum personam designari existimat hoc
modo: *illusorem percuties, et fatuus* hicce *efficietur prudens.*
„„Gravi,"" addit, „„aculeo ferit conduplicatio in לֵץ *sannio* et
פֶּתִי *fatuus* in uno eodemque homine; talis enim se reliquis mor-
talibus callidiorem et sapientiorem censere solet, quum re vera
sit פֶּתִי *insipiens* et *fatuus* homuncio."" Sed לֵץ et פֶּתִי aperte
distinguuntur 1, 22." Posterius membrum idem sic exposuit:
„Sola verborum objurgatione emendabitur prudens, quem hic
utrique opponit, et illusori, et imperito." In quibus probo equidem
omnia praeter illud, quod נָבוֹן et *irrisori* et *simplici* oppositum
vult. Ita enim sententiae perit concinnitas. Is, cui opponitur
נָבוֹן, est solus פֶּתִי. Qui praeter hunc in priore hemistichio me-
moratur לֵץ non nisi secundas partes agit, ut qui castigari eo tan-
tum consilio jubeatur, ut poena ab illo sumta monitus simplex
fiat prudens. Et recte hoc quidem. Simplicem enim nec ver-
bis recte emendabis, ut quae non intelligat, nec verberibus, quibus
ut afficiatur non est dignus; emendabis vero supplicii exemplo.
Itaque scriptor simplicem, inquit, prudentem redde castigando
irrisore, scitum vero sapientem monendo. cf. 21, 11. —
Perdit patrem, fugat matrem, maximum detrimentum affert 26.
patri, matrem cogit excitatis in domo turbis fuga sibi consulere
vel dissipatis facultatibus ex aedibus fundisque suis excedere
Filius turpis et nequam. Utrumque et מֵבִישׁ et מַחְפִּיר *turpi-*

ter agentem significat. Ad מֵבִישׁ cf. 10, 5. 12, 4. 14, 35. 17, 2.
Umbreitus, Ewaldus et alii: *Qui violenter tractat patrem, fugat*
matrem, Filius est pudore et ignominia afficiens. Qui sensus
multo minus commodus est. Accedit, quod supra expressum
27. verba facilius ferunt. — *Desine, mi fili, audire doctrinam Ad*
aberrandum a dictis scientiae i. e. doctrinam, quae te a prae-
ceptis sapientiae avocet! Umbreitus: *Desine, mi fili, audire*
doctrinam, Et aberrare a dictis scientiae. Qua ratione intel-
lecta verba sensum habent nullum. לִשְׁגוֹת non ut לִשְׁמֹעַ ex חֲדַל
sed ex מוּסָר pendet. Vitandam omnem doctrinam esse monet,
quae a sapientia avertat. Ferri tamen et eorum ratio potest, qui
verba per ironiam dicta habent in hunc sensum: *Desine modo,*
mi fili, audire disciplinam, Ut aberres a dictis sapientiae!
28. Quam rationem secuti sunt C. B. Michaelis et Ewaldus. — *Testis*
nequam ridet jus; Et os improborum devorat iniquitatem, ea
29. totos se replent improbi. cf. simillima imago Job. 15, 16. — *Parata*
sunt irrisoribus judicia, poenae; *Et plagae tergo stultorum.*
1. CAP. XX. *Irrisor* est *vinum, strepitum facit temetum*
i. e. irrisores reddit vinum, strepentes temetum eos, qui alterutro
se inebriant; *Et omnis qui,* quicunque *titubat eo, alterutro, non*
2. *est* vel *fit sapiens.* — *Fremitus ut leonis* est *terror regis,*
quem injicit rex; *Qui irritat eum, fit reus vitae suae,* vitam in
3. discrimen adducit, cf. Hab. 2, 10. — *Honor,* laudi est *viro ces-*
4. *satio a lite; Et,* sed *omnis stultus exacerbatur.* — *Propter*
hiemem, propter asperiorem hiemis auram *piger non arat: Men-*
dicabit in messe, messis tempore, *et nihil adest,* nihil datur.
5. Pro יִשְׁאַל Keri וְשָׁאַל, ne desit copula, qua facile cares. — *Aqua*
profunda est *consilium in corde,* animo *hominis;* difficile est
explorare arcana consilia alicujus; *Et,* sed *vir intelligens illud*
6. *exhaurit,* novit secreta consilia elicere. — *Multi hominum*
praedicant suam quisque benignitatem; Et, sed *virum,* homi-
7. nem *fidum,* qui opere praestet quod jactat, *quis invenit?* — *In-*
cedit in integritate sua, vivit integre *justus: O beatos filios ejus*
post eum, quos relinquit filios! Vel potest sic strui hemistichium
prius: *Qui incedit in integritate sua,* qui integer vitae est *justus*
8. cet. — *Rex sedens in solio judiciali, Ventilat* i. e. secernit
9. *oculis suis* lustrantibus *omne malum.* cf. vs. 26. — *Quis dicat:*
purgavi cor meum, animus mihi purus est, *Mundus sum a pec-*
10. *cato meo!* — *Duplex pondus,* unum justum, alterum justo minus,

duplex modius: *Abominatio Jovae utrumque*, abhorret ab utro-
que Jova. — *Iam puer operibus suis cognoscitur*, *Num pura* 11.
rectaque futura sit ejus agendi ratio. Iam puer suis prodit
actionibus, qualis in ipso sit indoles, qualis evasurus sit vir, num
integer et rectus necne. — *Auris audit et oculus videt*; *Jova* 12.
fecit utrumque. Vel si mavis: *Aurem quae audit et oculum
qui videt*, *Jova* det. Sed certior prior ratio. Quidquid statuis,
non videtur indicari, deo hominem aurem et oculum debere, sed
idem significari videtur quod expressum est Ps. 94, 9. his verbis
*Num qui plantavit aurem, non audiat? An qui finxit oculum,
non videat?* — *Somnum ne ames*, *ne redigaris ad egestatem*, 13.
ne fias egens; *Aperi oculos tuos, satiare pane* i. e. et satiaberis
pane, cf. 3, 4. i. e. vigilans et impiger esto, et habebis unde vivas.
— *Malum, malum est! dicit emtor*; *Et*, sed *abiens sibi*, cum 14.
post rem emtam abit, *tum gloriatur*, „quod mercem adeo pulch-
ram tam aequo obtinuerit pretio. Sententia est de eo quod usu
venire solet, ut emtores rem venalem deprimant, quo vilius emant;
ubi vero emerint, digressi sibi placeant, et sese jactent, quod cal-
liditate sua rem vili pretio sint consequuti. Vidimus plures hu-
jusmodi in hoc libro sententias de eo quid fieri soleat, non quid
debeat; quo tacite admonemur, quid sit faciendum, neque quod
vulgo fit semper sequendum.“ Ros. — *Est aurum et copia co-* 15.
ralliorum; *Et*, sed *vas pretiosum sunt labia scita.* Quibus hoc
sibi vult: Pretiosa res aurum et coralliorum copia; sed pretiosi-
ora auro et coralliorum quantumvis copia sunt labia scita. —
Aufer vestem ejus, *nam spopondit pro alieno! Et loco pere-* 16.
grinorum ab eo cape pignus, et loco peregrinorum pro quibus
ille spopondit, de ipsius sponsoris bonis tibi vindica, eripe pignus!
Perperam Rosenmüllerus membrum posterius: *et* cum quis spo-
ponderit *pro peregrinis*, *pignera eum.* Sed prioris quoque
sententiam turbavit vir beatus. Sic ille: „*Cape vestem ejus,
cum fidejussit* quis *pro alieno*, cape vestem ejus, qui pro pere-
grino fidejussit, q. d. si quis apud te pro ignoto sibi homine spo-
ponderit, ne dubita, si tibi vestem suam aut aliud pignus obtulerit,
accipere. Tacite indicat, non esse quamcunque fidejussionem
improbandam, ut cum pater pro filio, frater pro fratre, amicus pro
amico, quando salus ejus periclitatur, spondet; sed dissuadet te-
merariam fidejussionem pro homine non satis noto, qui non est
probatae fidei. Quod ipsum alterum hemistichium repetit.“

constituere, Praedicatum vero medio loco constitutum esse monet.
Sensus: homini pravo conducunt verbera.

1. CAP. XXI. *Rivi aquarum cor est regis in manu Jovae;*
Quocunque vult, inclinat illud. Quae verba Rosenmüllerus
recte, opinor, sic exposuit. „Aeque facile atque cultores aquas,
deus moderatur flectitque regum animos, non quod etiam cetero-
rum hominum haud regat animos, sed quod in regibus hoc diffi-
cilius videatur ob eorum fastigium et majestatem, quodque magno
ferantur impetu in id quorsum propendent. Itaque pronunciat eos
cohiberi a deo, ne semper quod volunt agant, et tyrannide nimia
opprimant populum.“ Umbreitus quidem ut praeterea aliquid
significetur aquarum rivis postulat. Iis vero gratiam opinatur
significari regis. Sed nihil iis indicari praeter hoc, quod possint
quoquo velis derivari, indicat quod additur *in manu Jovae* et he-
2. mistichium posterius. — *Omnis via alicujus recta* est *in oculis*
ejus, sua cuique agendi ratio recta videtur; *Et*, sed *ponderat*
corda, examinat animos *Jova.* Eadem simillimis verbis legimus
3. 16, 2. ad quem loc. lectorem remittimus. — *Facere quod rec-*
tum est et justum, Magis placet Jovae quam sacrificium. —
4. *Elatio oculorum*, altum supercilium, superbia, *et latitudo cordis*,
animus tumidus, inflatus, fastuosus, *Lucerna improborum*, sunt
peccatum i. e. superbia, fastus, quo gloriantur improbi, est pecca-
tum. Quae hemistichio priore continentur Subjectum efficiunt,
חַטָּאת Praedicatum. Cum Subjecto appositione cohaeret נֵר
רְשָׁעִים. נֵר i. q. נִיר, נִר lucerna, h. l. de eo quo quis gloriatur,
gaudet, cf. נֵר 2 Sam. 21, 17. Similia his leguntur Ps. 101, 5:
גְּבַהּ־עֵינַיִם וּרְחַב לֵבָב אֹתוֹ לֹא אוּכָל *elatum oculis*, superbum *et*
latum corde, tumidum, inflatum, fastuosum, *eum non possum*
ferre. Umbreitus חַטָּאת *lapsum* significare putat. Qui signifi-
catus nullo potest firmari loco. Facilius inducatur aliquis ut נִר
novale existimet significare coll. Hos. 10, 12. Ita haec prodibit
sententia: *Superbia et fastus, Novale improborum*, est *pecca-*
tum i. e. qui ab improbis paratur et colitur ager superbiae et fas-
tus, fructum fert peccatum. cf. 10, 16: *Merces justi ad vitam*,
merces quam refert justus, salutem affert; תְּבוּאַת רָשָׁע לְחַטָּאת
proventus improbi ad peccatum, improbitatis fructus peccata
sunt. Durior tamen ista imago videtur. Accedit, quod veteres
omnes נֵר expresserunt. Itaque acquiescendum putamus in signi-
ficatione *lucernae*, eoque magis, quod *lucerna improborum*,

quanquam alio sensu, et supra 13, 9. et infra 21, 20. nec non Job. 21, 17. memoratur. — *Consilia*, instituta *seduli nonnisi ad* 5.
abundantiam sunt, tendunt, bona, opes afferunt; *Et*, sed *quicunque festinat*, quicunque est festinus, praeceps, temerarius in rebus suscipiendis et agendis, *nonnisi ad egestatem* est, tendit, fructum non videbit nisi egestatem. — *Thesauri parti lingua men-* 6.
daci, verbis dolosis, fraudulentis, velut in emtione aut venditione, vel peierando, Sunt *halitus dispulsus*, halitus instar evanescentes, *petentes mortem* i. e. in perniciem rapientes eos, qui hoc modo illos corradunt. Sic explicandam hanc sententiam esse miror inter omnes quos inspicere licuit ne unum quidem vidisse. Plerique, ut C. B. Michaelis, Rosenmüllerus, Umbreitus, de Wette, membrum posterius intrepide sic struunt, ut verba מְבַקְשֵׁי־מָוֶת efficiant Genitivum eorum quae praecedunt, hoc modo: sunt *halitus dispulsus quaerentium mortem*. Sed maximam difficultatem habet ista structura, neque intelligitur, quid hoc nexu sibi velit halitus dispulsus quaerentium mortem. Itaque Ewaldus pro מְבַקְשֵׁי cum LXX. et Vulg. מוֹקְשֵׁי legendum opinatur in hunc sensum: sunt *halitus dispulsus, laquei mortis*. Sed ipse fatetur facilius potuisse מבקשי in מוקשי abire. Nihil mutandum; מְבַקְשֵׁי vero est referendum ad *thesauros* inique partos, qui quum *mortem petere* dicuntur, dicuntur exitium afferre iis, qui illos parant. — *Vio-* 7.
lentia improborum abripit eos, sua improbos abripit, perdit violentia, *Quoniam nolunt facere quod justum est*. יְגוֹרֵם est Impf. K.
גָּרַר verbi. cf. Hab. 1, 15. — *Qui tortuosae*, curvae *viae* est *vir*, qui 8.
curvam incedit viam, *recedit* a via recti verique, a deo; *Et*, sed *purus*, probus qui est, *rectum* est *factum ejus*, ejus facta sunt recta, is rectam viam sequitur in agendo. Ad וָזָר Gesenius in Thes. p. 399 sq. „וזר rad. Hebraeis inus. arab. וזר *portavit*, unde וזיר *Wezirus*, propr. negotiis publicis onustus (cf. *bajulus*, ap. medii aevi scriptores de legatis regiis, *chargés d'affaires*, unde nostr. *baillif*, ital. *bailo*), metaph. portavit onera aliena, poenas luit Cor. 6, 164. 35, 19. 39, 9., pass. crimine gravatus est, peccavit Conj. VIII. crimen commisit, וזר (wizr) crimen. Peccatum enim Semitis onus est improbo homini impositum (Ps. 38, 4. Jes. 53, 11.), unde et נָשָׂא, αἴρω tollo, pro condono. Hinc וָזָר *crimine onustus* Prov. 21, 8: *tortuosa est via viri criminibus onusti*. Ita post Lud. Capellum, Alb. Schultens, I. F. Schelling, Umbreitus al. (quibus e recentioribus se adjunxit Ewaldus) et recte quidem. Vocabulo

rariore paroemiastes usus esse videtur ob paronomasiam inter וָזָר
et זַךְ in altero membro. Rabbini, quos sequuntur ex nostratibus quicunque offendunt in nomine a Waw incheante (sed v. וָזָר) reddunt: *tortuosa est via viri et aliena* i. e. haud recta, sed vereor ut זָר de via recte dici possit, et magis etiam dubium num *vir* h. l. de viro impio recte accipiatur." In quibus quae Rosenmüllerum ceterosque qui Rabbinos sequuntur impugnant verissime disputata sunt. Sed rejicienda est etiam quam Gesenius sequitur interpretatio, ea quidem de causa, quod nunquam ad longinqua et peregrina est confugiendum, ubi satisfaciunt in vicinia posita et domestica. Ea autem satisfacient hoc loco, simulatque sic explicaveris verba: *tortuosus viae vir, is recedit* i. e. qui tortuosae viae est vir, recedit, ita ut הֲפַכְפַּךְ דֶּרֶךְ אִישׁ, accentus causa, qui est in הֲפַכְפַּךְ, positum pro אִישׁ הֲפַכְפַּךְ דֶּרֶךְ, efficiat Subjectum, וָזָר Praedicatum, hoc vero compositum sit ex copula Praedicati indice ut infra 23, 24. 31, 28. al., et זָר 3. Perf. זור verbi, *recedere* autem absolute positum pro recedere a recto, a deo, prorsus ut Ps. 58, 4. Quo eodem modo, nisi me omnia fallunt,
9\. verba jam intellexit de Wette, elegantis judicii interpres. — *Melius est sedere*, commorari, habitare *in angulo tecti, Quam mulier rixosa et domus communis.* פִּנַּת־גָּג *angulus* interior *tecti*. Recte Rosenmüllerus: „etsi eo loco sis coeli injuriae, vento, imbribus, aestui et frigori expositus. Cogitandum vero de planis et pavimentatis domorum tectis, qualia etiamnum sunt in Orientis terris." Verum quod idem quae sequuntur מֵאֵשֶׁת וגו' dicta putat pro מִשֶּׁבֶת עִם אֵשֶׁת, id praeter necessitatem est. De מִדְוָנִים Ketib
10\. et מִדְיָנִים Keri vid. ad 18, 19. — *Animus improbi appetit malum; Non benigne habetur in oculis ejus ipsius amicus*, nemo apud eum consequitur gratiam, ne amicus quidem. Itaque: Hic
11\. niger est, hunc tu Romane caveto! — *Ubi mulctant irrisorem*, cum mulctatur irrisor, *sapit*, illius damno monitus *simplex; Et ubi docent sapientem*, sapiens, intelligentia praeditus cum docetur, instituitur, *accipit*, admittit *scientiam*, eo fit sapientior.
12\. Eadem simillimis verbis expressa legimus supra 19, 25. — *Attendit justus* (deus) *ad domum improbi; Dejicit*, praecipites dat *improbos in malum*, calamitatem. Ad prius hemistichium Rosenmüllerus: „attente considerat justus impii familiam, ut aliquamdiu floreant, dum alios opprimunt." Posterius vero idem sic interpretatur: „*est qui pervertat impios in malum*, et videt eos in

malum protrudi tandem a deo, quum ipse stabilis et incolumis permaneat. Quisnam sit qui impios in malum, infortunium conjiciat, nemini dubium esse potest, et expresse dicitur infra 22, 12., ubi praemisso in priori hemistichio Jovae nomine in altero additur וַיְסַלֵּף דִּבְרֵי בֹגֵד. Non est igitur cur offendamus in eo, quod nomen Jovae hic non est expressum. Eandem ellipsin vidimus supra 10, 24. Explicat h. l. membrum posterius, quomodo pius ab improbi domo documentum divinae justitiae capiat, ab infelici quippe ejus casu, qui serius ocius sit consequuturus." Verum non potest מְסַלֵּף reddi *est qui dejiciat*; sed ea est membrorum ratio, ut מְסַלֵּף omnino debeat ad eundem referri, ad quem pertinet מַשְׂכִּיל, id est, ad צַדִּיק. Quare qui posterioris membri Subjectum facere vult deum, deum debet et *justo* significari putare. Atque ad deum sane referenda videntur verba, quum quae posteriore membro habentur solum in deum recte conveniant. In eadem sententia est Ewaldus, qui conferri jubet 23, 11. et Job. 34, 17.
— *Qui claudit aurem suam a clamore* i. e. clamori, ad clamo- 13.
rem *tenuis*, pauperis, *Etiam ipse clamabit*, opem implorabit,
neque exaudietur. — *Donum in occulto* i. e. occulte datum *de-* 14.
primit, sedat *iram*; *Et munus in sinum* clam illatum *aestum vehementem*. In explicando כָּפָה verbo, quod praeter hunc locum non legitur, fluctuant interpretes, fluctuaruntque jam veteres. Alii enim significatum incurvandi, inflectendi, deprimendi ei tribuunt, coll. כָּפַף al., alii, qui ex illo proficiscitur extinguendi significatum, coll. כָּבָה quod de ira dicitur Jer. 7, 20. Priorem e veteribus liberius expresserunt LXX. ἀνατρέπει, et Syr. *frangit*; posteriorem Chald. Symm. Vulg. *exstinguit*. Uterque bene munitus, aptus uterque. Certior tamen ideoque praeferendus prior. Pro eo enim pugnat chald. כְּפָה, כְּפָא ejusdem significatus verbum, pugnat forma durior per *f* scripta, cui convenientior קף radicis
significatio primaria. — *Gaudium* est *justo facere quod jus-* 15.
tum est; Et, sed *terror maleficis*. — *Homo qui aberrat a via* 16.
intelligentiae, In coetu manium residebit, inter perditos, in
orco commorabitur, dabitur exitio, cf. 9, 18. — *Vir egenus fiet,* 17.
qui amat gaudium, voluptatem; *Qui amat vinum et oleum*, un-
guentum, *non fiet dives*. — *Pretium redemtionis justo*, pro 18.
justo est, fit *improbus*, *Et loco rectorum perfidus*. Quae verba recte explicuisse videtur Rosenmüllerus his: „Juste parcitur, et venit impius in vicem ejus, ad sustinendum quod sceleribus suis

commeruit supplicium, perinde ac si impius [illegible] probi esset.
Quae ipsa sententia supra 11, 8. ita expressa: *Justus ex angus-
tiis eripitur, Ac venit improbus in locum ejus.* „Saepe calami-
tatibus communibus vel aliis, quae videbantur justis etiam immi-
nere, eximuntur ipsi, et in eorum locum involvuntur illis scelesti
homines." Umbreitus in hunc sensum trahit sententiam: Monet,
etiam optimum hominem non omni vacare culpa ideoque poena
dignum esse. Ejus autem loco hic improbum poena affici dici,
ut hujus exemplo monitus magis sapiat probus. Ad quem sen-
19. sum conferri jubet vs. 11. — *Melius est habitare in terra de-
serti,* in terra deserta, *Quam mulier rixosa et aegritudo.* cf. vs.
20. 9. — *Thesaurus pretiosus et oleum,* unguentum *est in domici-
lio sapientis; Et,* sed *homo stultus deglutit illud,* omnia quae
reponere in futuros usus debebat temere dilapidat. „*Sapiens*
h. l. est, qui sua prudenter administrat, sumtus supervacaneos
vitat, et re familiari moderate utitur. Is itaque apud se semper
reposita habebit non tantum quae ad quotidianum victum neces-
saria sunt, verum et quae ad honeste et laute vivendum faciunt."
21. Ros. כְּסִיל אָדָם ut 15, 20. ad quem locum vid. — *Qui sectatur
justitiam et benignitatem, Invenit,* assequitur, obtinet *vitam,*
22. salutem, *justitiam et honorem.* — *Urbem heroum ascendit sa-
piens, Et dejicit robur fiduciae illius,* munimenta quibus confi-
debat. „Similiter Pyrrhus, Epiri rex, referente Plutarcho in ejus
Vita, Thessalum Cineam, oratorem et legatum, plures urbes con-
silio et eloquentia cepisse, quam se armis expugnasse praedicabat,
sapientiae cum robore comparatae principatum ac palmam defe-
rens." Ros. Aptior ad rem locus domesticus est qui habetur
Eccl. 7, 19., ubi *sapientia sapientem fortiorem reddere* dicitur
decem calidis, qui sint in urbe. In universum enim sapientia
potior dicitur fortitudine. Ad מִבְטֶחָה quod attinet, Rosenmülle-
rus: „ה est pron. suff. fem. ad עִיר referendum, licet abeit Mappik,
ut alias haud raro. Praeterea מִבְטֶחָה cum Segol literae ט positum
pro מִבְטָחָה, ut saepius ante ח et ע vocali Kametz instructas."
Prius recte est observatum; posterius non item. מִבְטֶחָה est pro
מִבְטַּחָה cum Dag. forti implicito, cf. Ges. gr. min. §. 27. adn. 2,
b. Eadem forma habetur in מִבְטֶחָם Jer. 48, 13. Cf. מִבְטַחִי
23. Job. 31, 24. al. — *Qui custodit os suum et linguam suam, Cus-
todit,* tuetur, defendit *ab angustiis animam suam,* se ipsum. cf.
24. 13, 3. — *Insolens, elatus, irrisor* est *nomen ejus,* irrisor est,

cui sanctissima quaeque ludibrio sunt; *Agit cum abundantia in-*
solentiae i. e. insolentia immodica. Ad יָהִיר quod attinet, recte
Gesenius in Thes. „יָהִיר *elati, tumidi* significationem habuisse
videtur, vic. הַר, הָרָה. Arab. תיהור prominens arenarum cumu-
lus. Inde יָהִיר *tumidus*, inde *superbus, arrogans.*" Sed pri-
maria הר radicis vis quaenam? Fervendi haud dubie et aestuandi
vis, cf. חָרַר, עִיר, gähren, a qua facillimus est transitus ad notionem
intumescendi. — *Desiderium pigri occidit eum*, perimit suum 25.
pigrum desiderium, *Nam nolunt manus ejus operari*, nam sem-
per desiderat tantum, nec quidquam facit, ut id consequatur, cu-
jus desiderio tenetur. cf. 13, 4. — *Totum diem*, toto die *cupi-* 26.
dine flagrat is de quo supra, piger; *Et*, sed *justus*, honestus,
sedulus *dat nec cohibet*, parcit. Sensus: perpetuo ille piger de-
siderio cruciatur; honestus vero sedulusque homo tantum abest
ut suis ipsius desideriis quae satisfaciant non habeat, ut de suis
facultatibus largiatur aliis. Umbreitus et alii hemistichium prius:
omni die avet aviditas, ita ut תַּאֲוָה efficiat Subjectum, הִתְאַוָּה
תַאֲוָה vero sit constructio sensu congrua, non voce, aviditate po-
sita pro avido ideoque constructa cum verbo masculino. cf. Vers.
Ven. πάσῃ τῇ ἡμέρᾳ ὀρεχθήσεται ὄρεξις. Cui interpretationi obstat
quod reliquis quibus legitur locis Num. 11, 4. Ps. 106, 14. הִתְאַוָּה
תַאֲוָה significat *cupere cupidinem.* Itaque hanc rationem ineun-
dam putavit Rosenmüllerus: „Homini insatiabili et sordido oppo-
nitur honestus et liberalis. *Toto s. omni die*, semper *concu-*
piscit concupiscentiam, ardenter concupiscit se. מִתְאַוֶּה concu-
piscens, avidus, aut רָשָׁע impius, quod ex opposito צַדִּיק in altero
hemistichio subaudiendum, unde et Graecus Alexandrinus huic
versui ἀσεβὴς praeposuit. Qui vero continuo plura corradendi
cupiditate tenetur, idem immisericors nihil egenis elargitur, *jus-*
tus vero" etc. In qua eadem sententia esse videtur Gesenius,
qui in Thes. p. 584. b.: „*perpetuo cupidine flagrat* impius."
Rejiciendam tamen et hanc interpretationem putamus ejusque loco
ponendam eam quam expressimus supra, quia qui pigrum Sub-
jectum facit hemistichii prioris, ei nullo opus est complemento.
Quod saepe in universum hominem probum, *honestum* significat
צַדִּיק hoc loco hominem indicat qui quae ad vitam necessaria
sunt honeste i. e. sedula manu comparat. Ad pigrum priora verba
de Wettius quoque et Ewaldus referenda putarunt. — *Sacrificium* 27.
improborum abominatio est, res detestabilis, cf. 15, 8.; *Quanto*

magis si cum consilio pravo, de scelesto facinore perpetrando
cogitans *illud offerat* aliquis. יְבִיאֶנּוּ impersonaliter positum est,
28. vel si mavis, Subjectum est רָשָׁע. — *Testis mendax perit; Et*,
sed *vir qui audivit*, testis auritus, qui non nisi quae ipse audivit
testatur, testis verax, *in perpetuum loquetur*, dabitur ei semper
facultas testandi, nunquam obmutescet, hoc vero est, is florebit.
Habet aliquam difficultatem hemistichium posterius. Nonnulli, in
quibus Umbreitus: *et*, sed *qui audit veritatem*, testis amans veritatis,
loquetur, non confundetur, coll. ad נֶצַח Hab. 1, 4. Sed
dubia est *veritatis* significatio eo loco, id quod ostendimus ad
illum ipsum. Contra maxime usitata *perpetuitatis* significatio,
inprimis in לָנֶצַח. Accedit quod accentus ut construas לָנֶצַח יְדַבֵּר
postulant. Quod si non multum, tamen aliquid ponderis habet,
quum ostendat, separasse שׁוֹמֵעַ a לָנֶצַח Masorethas quoque. Separa
igitur eoque quem indicavimus modo intellige. Qui ipse alicui
rei interfuit a nobis aliisque vocatur *testis auritus*. Haud improbabile,
eundem Hebraeos עֵד שֹׁמֵעַ et simpliciter אִישׁ שֹׁמֵעַ vocasse.
Ewaldus שֹׁמֵעַ *audientem* eum esse docet, qui admittat
disciplinam et monita salutaria, ita ut sceleribus se abstineat tam
29. aliis omnibus quam falso testimonio. — *Obfirmat improbus faciem
suam*, perfrictae frontis est improbus; *Et*, sed *rectus, is
dirigit vias suas*. Perfricta fronte improbus divina omnia et
humana襲 ferociter contemnit; probus vero suam agendi rationem componit
ad pietatis morumque praecepta. הֵעֵז בְּפָנָיו propr. *obfirmate
facere in vultu suo*. Aliter 7, 13., ubi פָּנִים facit Objectum. יָכִין Umbreitus:
confirmat, quod oppositum putat הֵעֵז verbo. Non male.
Plerumque tamen *dirigere* significat הֵכִין sequente דֶּרֶךְ, צַעַד al.
Neque opus est, ut verbum verbo respondeat; modo respondeat
sententia sententiae. Ceterum pro יָכִין Keri legit יָבִין, et דְּרָכָיו
30. pro דַּרְכּוֹ. — *Nulla est sapientia, et nulla intelligentia, Et
nullum consilium coram Jova*. Nihil valet humana sapientia,
31. nihil intelligentia, nihil consilium contra Jovam. — *Equus paratur
ad diem pugnae; Et*, sed *Jovae est*, a Jova proficiscitur *victoria*.
Nihil proficit apparatus bellicus, nisi Jova concedat victoriam.

1. CAP. XXII, 1—16. *Praestantius est nomen bonum divitiis
multis; Argento et auro gratia*, quam tibi exhibent alii, *melior*.
שֵׁם *nomen*, bonum nomen, bona fama, ut Eccl. 7, 1. Umbreitus
et de Wette hemistichium posterius: *et* praestantior *argento et*

auro gratia bona. Ita et Rosenmüllerus, qui: „vocem טוֹב sunt qui ad comparationem referant. Sed praestat repeti נִבְחָר, et טוֹב ut Adjectivum epitheton jungi cum חֵן.“ Sed vellem dixisset etiam, cur praestet. Praestat alterum potius, quum otiosum sit טוֹב junctum חֵן voci. Ceterum cf. ad membrum prius illud Publ. Syr. Vs. 6. bona opinio hominum tutior pecunia est. —
Dives et pauper sibi invicem occurrunt, obvii sunt; *Conditor* 2.
illorum omnium est *Jova.* „Hinc neuter debet alterum sive ob divitias odisse, sive propter paupertatem contemnere.“ Ros. cf. 14, 31: *Qui opprimit tenuem, probro afficit conditorem ejus*
cet. — *Prudens,* cautus *videt malum et occultat,* abdit *se,* donec 3.
praeterierit periculum; *Et,* sed *simplices,* imprudentes, inconsiderati *praetereunt,* malum, puta, non decedunt malo de via, non vitant periculum, *et poenas dant* suae inconsiderantiae. Ad ויסתר Rosenmüllerus: „Pro וְיִסְתָּר, Futuro Cal, quod neutraliter capiendum, ad marginem וְנִסְתָּר Praeteritum Niph. legi jubetur, nulla sensus differentia.“ Sed ויסתר, cujus puncta pertinent ad Keri, nullo modo est וְיִסְתָּר sed וְיִסָּתֵר efferendum, ut sit Impf. Niph. Ceterum cum עָבַר etiam significet *procedere, pergere,* עָבְרוּ etiam reddi potest *pergunt,* securi a malo quod imminet,
quod eodem redit. — *Merces,* praemium *animi demissi, timoris* 4.
Jovae, pietatis Sunt *divitiae et honor et vita,* salus. Verba יִרְאַת יְהוָֹה neque appositione cohaerent cum praecedentibus, nec, quae est Umbreiti interpretatio, Nominativum Praedicati efficiunt, q. d. *merces animi demissi* est *timor Jovae.* Est ejusdem naturae pietas, cujus est animus demissus, ideoque עֲנָוָה יִרְאַת יְהוָֹה *ἀσυνδέτως* posita putanda sunt pro: merces *animi demissi* et *timoris Jovae.* In eadem sententia sunt Rosenmüllerus, de Wette,
Ewaldus. — *Spinae, laquei* sunt *in via perversi* i. e. perniciosa 5.
est via eorum qui perverse agunt; *Qui servat animam suam,* qui consulit saluti suae, *longe discedit,* curat ut procul absit *ab illis,* spinis et laqueis. צִנִּים פַּחִים *ἀσυνδέτως* posita, ut vs. superiore עֲנָוָה
יִרְאַת יְהוָֹה. — *Edoce puerum secundum viam ejus* i. e. secun- 6.
dum vitae viam, pro ratione indolis; *Etiam cum senuerit, non*
recedet ab illo, quo eum institueris. — *Dives pauperibus im-* 7.
perat; Et servus est *qui mutuum accipit ei qui mutuum dat.* —
Qui serit pravitatem, metet calamitatem, qui prava facinora fe- 8.
cerit, mala inde referet; *Et virga insolentiae ejus,* virga qua insolentia ejus castigabitur, *parata est.* Ad עֶבְרָתוֹ cf. 21, 24.

Eodem fere quo nos significatu עֶבְרָה accipit Rosenmüllerus; כָּלָה
vero is existimat significare *aboleri*, ut hic prodeat sensus: „*et*
virga furoris ejus, virga qua in imbecilles saeviit, *abolebitur*.
Conferri jubet Jes. 14, 5. 6: *fregit Jova baculum improborum*,
שֵׁבֶט מֹשְׁלִים *virgam tyrannorum*; *quae percutiebat populos*
בְּעֶבְרָה *cum furore*. Gesenius in Thes. p. 686. a. et 987. a.
„*virga irae ejus*, qua sontes castigat in ira sua, *parata est*,“ suf-
fixum ad deum referens, quum sine dubio referendum sit ad im-
probum. Si *paratum* est redditur יִכְלֶה, *iram* עֶבְרָה significare
non potest nisi ita, ut suffixo, quod additum est, vis tribuatur pas-
siva, ut *ira ejus* sit pro poena ejus divina i. e. poena divinitus ei
infligenda, quae est Umbreiti, de Wettii et Ewaldi explicatio. Sed
9. durior haec mihi videtur. — *Qui est benigni oculi*, qui alios be-
nigne respicit, misericors, *is fortunatur*, *Quia dat de pane suo*
tenui, pauperi. Ei qui est טוֹב עַיִן oppositus רַע עַיִן 28, 22. —
10. *Expelle irrisorem*, qui quum alios ludibrio habeat lites excitat,
et exibit rixa, *Et cessabit lis et ignominia*, qua se mutuo affi-
11. ciunt qui rixantur. — *Qui amat puritatem cordis*, animi integri-
tatem, *Cujus gratia* i. e. gratiosa sunt *labia*, *amicus ejus*, ejus
amicus *rex* est. טְהוֹר hic vim habet nominis substantivi. Pro
טְהוֹר Keri habet טְהָר־, ut Job. 17, 9. Verba ultima רֵעֵהוּ מֶלֶךְ
Ewaldus significare jubet: est *ejus*, *regis amicus*, coll. 13, 4, 24.
14, 13. Quod nemo probabit assensu suo, quum ea structura
12. praeter necessitatem non sit admittenda. — *Oculi Jovae tuentur*
scientiam, rectorum sincerum sapientiae studium; *Et pervertit*
13. *verba perfidi* fraudulenta. — *Dicit piger*: *leo foris* est; *In me-*
diis plateis occidar. Risui exponitur piger, qui, quo se remo-
14. veat a negotiis, pericula fingit, ubi nulla sunt. — *Fovea profunda*
est *os alienarum*, perniciosa sunt verba blanda quibus quae alius
est i. e. adultera, meretrix utitur; *Cui irascitur Jova*, *incidit eo*,
in illam. Cogitandum de fovea, qualis paratur ad capiendas feras,
15. זָרוֹת ut 2, 16. — *Stultitia alligata*, adnexa, affixa, *cordi pueri*,
Virga castigationis removet eam ab illo. Rosenmüllerus: „*sto-*
liditas ligata est cum corde pueri, puerilis aetas prona est ad
petulantiam et coeco ruit impetu quocunque agunt cupidines, sed“
cet. Qui non est sensus verborum. Dicit potius: etiamsi animo
pueri stultitia sit conjunctissima, si intimis in visceribus pueri
inhaereat stultitia, tamen inde eam expellet virga castigatrix. cf.
16. ad locutionem hemistichii prioris Gen. 44, 30. — *Opprimit*

aliquis *tenuem*, pauperem *ad augendum ei*, ad augendam ejus rem; *Dat aliquis diviti tantummodo ad egestatem* i. e. qui opprimit pauperem, haud raro eo eventu opprimit, ut res ejus augeat, quum eo ille excitetur ad contendendos nervos; similiter qui plura semper accipit dives facile fieri potest ut eo ipso redigatur ad egestatem, quia qui cumulatim habet haud raro vitae otiosae se dat et sua temere dilapidat. Rosenmüllerus: „*qui opprimit tenuem ad multiplicandum sibi*, ut rem suam augeat et opes cumulet, *dat* i. e. ut recte Vulgatus, dabit, dare cogetur, *diviti tantummodo ad defectum*, egestatem i. e. eo eventu, ut opum non incrementa capiat, sed insignia decrementa patiatur et ad incitas tandem redigatur. Potentiorum exactionibus ita vexabitur, ut facultatibus omnibus exuatur. Poena describitur, quae iis, qui tenues opprimunt, saepe obtingit, ut, quae per vim rapuerunt pauperibus, vicissim iis eripiantur a ditioribus et potentioribus. In priori hemistichio sunt, qui לוֹ non reciproce capiant, sed ad *tenuem* referant hoc modo: *qui tenuem opprimit*, erit id *ad multiplicandum ei*, tenui, q. d. tantum abest, ut inde imminuatur pauper, ut potius illius res augeatur, cum detecta injuria, quae ei illata erat, ei non modo sua restituentur, verum etiam ob acceptam injuriam plura accipiet, quam ipsi erepta erant.“ Quae interpretationes quam sint quaesitae, miror virum beatum non vidisse. Prior autem non solum quaesita, verum etiam maxime violenta est, quod non opus est ostendere pluribus. Eodem modo quo nos verba interpretatus est Umbreitus, eodemque certe struxerunt de Wette et Ewaldus.

CAP. XXII, 17—XXIV, 22. Pars tertia, complementum primum continens, cf. supra p. 371. Insunt, ut in prima parte, praeter generalem sapientiae commendationem praecepta varii argumenti. Ea tamen iis quae superioribus partibus continentur cedunt. Rara enim in hac parte ingeniose et breviter dicta. Pleraque per aliquot commata vinculo quodam juncta sunt, ita ut etiam in hac re differat haec libri pars tam a prima, in qua pleraque per singula capita cohaerent, quam a secunda, quae sententias singulis versibus absolvit. Parallelismus negligitur, quanquam non negligitur omnis. Oratio haud raro incondita et impedita.

CAP. XXII, 17—29. Quae vs. 17—21. continentur sunt prooemium. *Inclina aurem tuam, et audi verba sapien-* 17
tum, Et animum tuum adverte ad doctrinam meam! — Nam 18

jucundum erit, *si servaveris ea in pectore tuo*; *Si parata fue-*
19. *rint omnia in labiis tuis.* — *Ut sit in Jova fiducia tua*, *Doceo*
te hodie, *te*, *inquam.* Ad hemistichium posterius cf. Ges. gr.
20. min. §. 119, 2. — *Nonne scripsi tibi jam pridem De consi-*
liis et scientia? i. e. en, jamdudum literis mandavi, quae ad
consulendum tuis rebus atque ad augendam tuam scientiam fa-
ciant. Possint ad ea haec referri, quae continentur libris supe-
rioribus. Sed quae subjiciuntur ostendunt, ad hunc ipsum librum
referenda esse, ita ut dudum a se parata esse quae docenda sint
dicat scriptor. Pro שִׁלְשׁוֹם Keri legit שָׁלִישִׁים, quod recipiendum
putarunt Rosenmüllerus, de Wette, Ewaldus et alii in hunc prioris
hemistichii sensum: *en, scribo tibi principalia*, generosa, exi-
mia, egregia, coll. נְגִידִים 8, 6. „שָׁלִישִׁים proprie genus quoddam
ducum militarium denotat. Hinc ad dicta translatum denotabit
talia, quae communibus et vulgaribus praestantiora sunt prudentia
et sapientia, qualia supra 8, 6. נְגִידִים *principalia* dixerat. Idem
Graecus Venetus suo *τρισμέγιστα ter maxima* videtur voluisse.“
Haec Rosenmüllerus, qui idem monet, quod Ketib exhibeat שִׁלְשׁוֹם
nunquam seorsim legi absque praecedente תְּמוֹל vel אֶתְמוֹל.
Praeterea veteres omnes Keri expressisse, quamvis non eodem
sensu. Quae omnia ut a Ketib recedam movere me non possunt.
Nunquam enim ab eo recedendum est nisi summa urgente neces-
sitate. Hic vero nihil est quod urgeat. E contrario receptam
scripturam tuentur quae in inscriptione partis quintae 25, 1. le-
21. guntur similia his. cf. etiam 31, 1. — *Ut doceam te fidem dicto-*
rum veritatis, dicta, praecepta vera et fida, *Ut referas dicta*
vera ei qui miserit te; ut recte te gerere discas, si quis tibi
negotium mandaverit. De קֹשְׁטְ vid. ad Ps. 60, 6. לְהָשִׁיב pen-
det ex hemistichio priore. אֱמֶת posterius appositione cohaeret
22. cum אֲמָרִים. De שֹׁלְחֶיךָ vid. ad 10, 26. — Sequuntur jam prae-
cepta singula. *Ne diripias tenuem*, *quoniam* est *tenuis*, i. e.
ne propterea quod est tenuis et injuriam propellere non potest,
diripias tenuem, vel: *Ne diripias tenuem*, *nam tenuis* est i. e.
ne diripias pauperem satis miserum, cum jam sit in miseria;
Neque opprimas afflictum in porta, in foro, loco judicii! —
23. *Nam Jova agit causam eorum*, *Et spoliat spoliatores eorum*
vita, et vita spoliat eos qui illos, pauperes suis spoliant facultati-
bus. קָבַע Fürstius: „sicut קָבַב nectere, hinc, pervulgari transla-
tione, insidiari, defraudare, fallere, bevortheilen, überlisten, unde

neohebr. קַבְּצָן, fraudator; quare significationes rapiendi vel furandi et irascendi (Targ.) mera commenta sunt." ע literam completivam esse putat, ita ut ejusdem etymi sint קבע et עקב. Sed periculosa mihi ista videtur etymologia, quae ad arbitrium amputata nunc prima, nunc altera, nunc tertia litera truncum radicem declarat! Idem קָבַע esse quod עָקַב ad Mal. 3, 8. docui et ego. Id vero non nisi de significatu intellectum volui. Sed ne significatu quidem convenire verba videbimus infra. Ewaldus: „קבע, arab. id. q. קבץ, קפד propr. retrahere, subtrahere, hinc fallere subtrahendo, furtim rapere." Quae explicatio et ipsa confundit diversas radices. Gesenius, quocum consentiunt Winerus, Rosenmüllerus ad Mal. l. l., Umbreitus et alii, postquam de vi primaria קָבַע verbi recta docuit ad eamque retulit קוֹבַע et קֻבַּעַת nomina, addit haec. „Ab his, inquit, nominibus, quae cuncta res designant *tegendo* inservientes, proficiscitur *abscondendi* potestas (arab. קבע abscondit, ut caput veste, florem in calyce), et inde translate est *decepit, defraudavit* aliquem (cf. בָּגַד) Mal. 3, 8. 9., seq. dupl. acc. *spoliavit* aliquem aliqua re Prov. 22, 23." Sed abscondendi significatus ad significatum decipiendi aliquem non sine negotio transfertur. Res haec est. קָבַע primum significat incurvatum, cavum et gibbosum esse, quippe compositum ex radicibus קב, in qua est vis cavi et gibbosi, et בע, quae intumescendi significatum habet (ex duabus radicibus innumera verba conflata esse ostendet Lexicon meum amplius); hinc קוֹבַע galea et קֻבַּעַת calix; deinde active incurvare, invergere, inclinare, deprimere, hinc arabice demittere, retrahere, abdere al., hebr. vero demutilare (kippen, abkippen), praecidere, diripere, *privare, spoliare* cum acc. et pers. Mal. 3, 8. 9. et rei ibid. vs. 8. et cum dupl. acc. *spoliare* aliquem aliqua re hoc qui prae manibus est loco. — *Ne familiaritatem* 24.
contrahas cum homine iracundo, Et cum fervido, cum eo cujus fervidior est animus, *ne consuetudinem habeas:* — *Ne discas vias* 25.
ejus, ejus agendi rationi, ejus moribus assuescas, *Et accipias,* referas *laqueum animae tuae,* in vitae discrimen te inferas. —
Ne sis inter eos qui feriunt manum, qui dextra data fidem pro 26.
aliis interponunt, *Inter eos qui spondent,* fidejubent *pro debitis.* cf. 6, 1 sqq. 11, 15. 17, 18. — *Si nihil tibi fuerit ad solven-* 27.
dum: Quare auferant lectum tuum quod sub te est, cur tua culpa committas, ut, si solvendo non sis, lectus tibi tuus subtrahatur? Ad rem cf. 20, 16. יִקַּח impers. de creditore. — *Ne re-* 28.

moveas terminum antiquum, Quem fecerunt patres, majores
tui. cf. 23, 10 sq. Deut. 19, 14. 27, 17. nec non Hos. 5, 10. Job.
29. 24, 2. — Si *videris virum strenuum in opere suo,* in obeundis
negotiis: *Coram regibus sistet se,* regibus adstabit minister, *Non
se sistet coram obscuris,* ignobilibus i. e. scito, ejusmodi viri
non inter ignobiles sed inter eos, qui sunt dignitate illustres, pro-
vinciam esse. חָזִיתָ omisso כִּי vel אִם ut 29, 20.
1. CAP. XXIII, 1—14. *Cum sedes ad comedendum cum domina-
tore,* si mensae regiae assides, *Probe considera* eum *qui* est *ante
te,* probe considera, quem coram te habeas. אֶת־אֲשֶׁר veterum non-
nulli; id *quod.* Ita et Ewaldus, qui verba ad appositum cibum
referenda putat, quae est inelegans interpretatio. Ceterum cf. ad
2. vs. 3. — *Et admove cultrum gulae tuae,* et cohibe gulam tuam
veluti cultro ei admoto, *Si avidus fueris,* si te nimium incesserit
concupiscentia appositi cibi. Umbreitus et Ewaldus hemistichium
prius: *cultrum admovebis gutturi tuo* i. e. in vitae discrimen
te inferes, *Si* cet. Rosenmüllerus vero et de Wette nostram
rationem sequuntur, idque jure optimo. וְשַׂמְתָּ manifesto est
Praeteritum relativum, quo qui praecedit Jussivus continuetur.
3. Ceterum cf. ad vs. 3. — *Ne concupiscas cupedias ejus,* regis,
Quum sint *cibus fallax.* Quam fallaciam Ewaldus inepte eo re-
ferendum existimat, quod cupediae illae eo ipso momento, quo
capiantur, effugiant! Clarissimum qui his tribus versibus contine-
tur locum eo turbarunt interpretes quod non distinxerunt inter
imaginem et rem quae imagine significatur. Quid? quod alia
proprie, improprie alia intellexerunt. Dicit scriptor, si tibi con-
tingit, ut rex te familiariter utatur, probe considera, cujus in prae-
sentia verseris, ne quid festinantius agas, quum periculosa sit
regia familiaritas. Hic est totius loci sensus. cf. Sir. 9, 13—15:
*μακρὰν ἄπεχε ἀπὸ ἀνθρώπου ὃς ἔχει ἐξουσίαν τοῦ φονεύειν, καὶ
οὐ μὴ ὑποπτεύσῃς φόβον θανάτου. κἂν προσέλθῃς, μὴ πλημμελήσῃς,
ἵνα μὴ ἀφέληται τὴν ζωήν σου. ἐπίγνωθι ὅτι ἐν μέσῳ παγίδων
διαβαίνεις, καὶ ἐπὶ ἐπάλξεων πόλεων περιπατεῖς.* — *Ne labores*
4. *ditescere; Ab* ista *tua prudentia,* qua praeter omnia id agis, ut
opes colligas, *desiste,* abstine! Non male Vulg. membrum poste-
5. rius: sed prudentiae tuae pone modum. — *Num volabit oculus
tuus in illud, et evanescit,* quum evanescat i. e. num in divitias
avide oculos conjicies, quum subito evanescant? *Nam facit,
facit sibi alas, Aquilae instar et avium coeli* i. e. nam velut

alis sibi factis avium instar in auras avolabunt divitiae. Pro הֲתָעוּף Kal Keri legi jubet הֲתָעִיף Hiph. in hanc sententiam: *num volare facies oculos tuos.* Quam scripturam secutus est Rosenmüllerus. Sed nulla est causa, cur ab eo quod receptum est recedas. Hoc vero non uno modo intelligunt. Gesenius עוּף transitive positum existimat, ut idem significet quod Hiph. In eadem sententia videntur esse de Wettius et Umbreitus. Certe uterque: *num volare sines.* Sed nusquam alias reperitur vis transitiva. Rosenmüllerus: *an volabit* uterque *oculorum tuorum.* Temere. Ewaldus: *num volabit obtutus* (oculus) *tuus*, ita ut תָּעוּף עֵינֶיךָ sit constructio quae dicitur ad sensum. Quae ferri potest quam facillime atque nobis quoque videtur locum habere. Restat tamen et alia structurae expediendae ratio, quam miror in mentem non venisse ante me aliis. Potest תָּעוּף haberi secunda Persona, עֵינֶיךָ vero Accusativus esse instrumenti hac sententia: *num volabis oculis tuis.* Cujus structurae exempla dabit Ges. gr. min. §. 135, 1. adn. 3. Sed elegantior est sensus, si ipsi oculi volare dicuntur. Quorsum referendum sit בּוֹ, id colligitur ex versu superiore, qui ostendit, referendum esse ad עֹשֶׁר divitias. Quod subjicitur וְאֵינֶנּוּ a praecedentibus non debebat separare de Wettius. Sic ille: *num volare sines oculos tuos in illud? Brevi non est amplius.* Qua ratione quod adest וְ supprimitur, quod non adest *brevi* suppletur. Construenda sunt verba, sed non eo modo quo struxit Umbreitus, hoc puta, *num volare sines oculos tuos in id quod nihil est,* quem modum leges grammaticae ferre nequeunt, sed illo quo supra struximus. וְ sententiae adversativae est praemissum, ut saepissime alias. Exemplum in vicinia positum habes vs. 7. עָשׂה יַעֲשֶׂה *faciet*, crede mihi! certo *faciet.* Pro וְעוֹף *et aves* (perperam Rosenmüllerus וְעִיף) Keri: יָעוּף in hanc sententiam, quam suam fecit Rosenmüllerus: *aquilae instar avolabit ad coelum.* Qui sensus commodior et plenior est altero. Nihilo secius acquiescendum puto in Ketib. Ubi alae, ibi volatus. Nihil igitur desiderabis. Observa etiam saepe alias memoratas עוֹף הַשָּׁמַיִם *aves coeli.* Ewaldus nescio qua negligentia in interpretatione sequitur Ketib, in iis vero quae praeterea adnotavit Keri. De Wette et Umbreitus: nam facit sibi alas *aquilae instar, Et avolat ad coelum.* Qui quomodo legerint non intelligo. Neque enim Ketib nec Keri haec refert interpretatio. Num fortasse וְעוֹף legerunt, עוֹף habentes Infinitivum absolutum? — *Ne come-* 6.

das panem ejus qui est maligni oculi, ne cibum capias apud hominem invidum; *Nec concupiscas cupedia ejus.* Ei qui est רַע עָיִן oppositus טוֹב עַיִן 22, 9. Membrum posterius iisdem ver-
7. bis legimus supra vs. 3. — *Nam ut sordidus est in animo suo, sic est* i. e. noli eum invitantem aestimare ex benignis quibus utitur verbis, nam ut intus illiberalis est, ita revera est; *Ede et bibe, dicit tibi, et cor ejus non* est *tecum*, quum animo a te sit alieno. שָׁעַר Gesenius: „1) *fidit, scidit.* Arab. intrans. תֿעַר fissus est, rimam egit, תֻּֿעְר apertura, rima . . . Inde שַׁעַר porta. 2) *aestimavit, pretium constituit* (verba enim findendi ad judicandi potestatem transferuntur) Prov. 23, 7. Arab. שער II. pretium constituit, שִׂעְר pretium frumenti, chald. שַׁעֵר id. Inde שַׁעַר modus, mensura.“ In eadem sententia Winerus. Item Fürstius, qui: „v. tr. dividere, secare, scindere, findere, cogn. תָּעַר (תַּעַר novacula), arab. תֿער (תֻּֿעְר fissura, rima), hinc trop. decernere, definire, aestimare, metaphora perusitata, aram. שַׁעֵר, arab. שער (unde שִׂעְר neohebr. שַׁעַר pretium), quae significatio in lingua neohebraica perfrequens est multorumque derivatorum parens.“ Nec non Rosenmüllerus, cujus haec sunt verba: „שַׁעֵר Chaldaeis in Piel *aestimare, putare* denotat, unde שִׁיעוּר ipsis est *aestimatio, mensura*, et serioribus (recentioribus) Hebraeis כֹּחַ הַמְשַׁעֵר est *facultas animae aestimativa, divinatrix.* Arabibus consonum שער est *percepit, intellexit, animadvertit*, et in Conj. X. *concepit animo.* Supra 17, 28. eo verbo utitur Arabicus in Polyglottis interpres ad exprimendum Graecum *λογίζεσθαι*, et Act. 17, 29. graeco *νομίζειν* respondet. Quibus significationibus proxime adfinis est *cogitandi* notio, quam hic locus paene flagitat. Propriam verbi significationem expressit Symmachus: *ὡς εἰκάζων ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ, sicut aestimat in anima sua.* Et Graecus Venetus: *ὡς γὰρ ἐμέτρησεν ἐν ψυχῇ οἱ, οὕτως ἐστίν, quemadmodum enim in sua anima aestimat, ita est.*“ Eundem significatum expresserunt Umbreitus et de Wette. Vides, magnum de hac voce recentiorum maxime consensum esse. Unus Ewaldus vim primariam, eamque intransitivam verbo tribuendam putavit, hac sententia: *nam quasi fissus sit in anima sua*, quasi fissa ei anima sit, quasi duas habeat animas loco unius *sic est.* Quas interpretationes qui examinaverit, statim, opinor, intelliget, quaesitam et insulsam esse Ewaldi, commodam vero eorum quos primo loco memoravimus explicationem. Neque tamen ita illa mihi commoda vide-

tur, ut non desiderem commodiorem. Nexus enim ita comparatus
est, ut aptius quam activum videatur verbum neutrum. Quid igi-
tur, si, quum שָׁעַר etiam idem significet quod שָׂעַר, *horrere*, et
inde שַׂעַר, שַׁעֲרוּר, שַׁעֲרוּרִי sit *horridus, teter, foedus*, si, in-
quam, quod hic habetur שֹׁעֵר significet *sordidum*, illiberalem *esse*
(cf. etiam apud nos filzig, schmutzig sensu eodem)? — *Frustum* 8.
tuum quod *comederis, evomes illud*, evomes quam comederis
buccellam i. e. summum taedium tibi creabit assedisse mensae
hominis tam sordidi; *Et perdes verba tua suavia*, quicquid ver-
borum suavium cum eo inter comedendum habueris. אָכַלְתָּ sen-
tentia relativa; וְשִׁחַתָּ Praet. rel. — *In aures stulti*, audiente 9.
stulto *ne loquaris; Nam contemnit prudentiam verborum tuo-
rum.* — *Ne dimoveas terminum antiquum; Et in agros or-* 10.
phanorum ne ingrediare! Hemistichium prius iisdem verbis ex-
pressum est 22, 28. — *Nam vindex eorum*, Jova, est *fortis*, 11.
potens; *Is aget causam eorum tecum.* — *Affer*, admove *ad dis-* 12.
ciplinam cor, animum *tuum, Et aures tuas ad dicta scientiae!*
— *Ne cohibeas a puero disciplinam; Si percusseris eum virga*, 13.
inde *non morietur*. Sunt qui postrema verba ita intelligant, ut
qui castigetur puer tutus ab interitu, qui maneat improbos, futu-
rus dicatur. Id vero exprimitur versu proximo. Umbreitus ut-
rumque sensum subesse posse suspicatur. Quod miror. —
Virga tu percutis eum, Et animam ejus ex orco eripis. Vid. 14.
ad vs. superiorem.

CAP. XXIII, 15—35. *Mi fili, si sapuerit cor tuum*, 15.
mens tua, *Laetabitur cor meum, meum, inquam.* cf. ad 22, 19.
— *Et exsultabunt renes mei, Cum loquentur labia tua quae* 16.
recta sunt. Hemistichium posterius Ewaldus: *cum recte*, probe
defendes res tuas („wenn deine Sachen redlich du vertheidigst").
In quem sensum verba nemo alius trahet. cf. potius 8, 6. et si-
milia. Arcte cum praecedente cohaeret versus. Illo gaudebo,
inquit, si tibi mens sapuerit, hoc se laetaturum dicit, si labia
sapuerint discipuli. Utrumque est sapientis. — *Ne invideat cor* 17.
tuum peccatoribus, conspectis eorum rebus secundis, *Sed* sit
in timore Jovae omni tempore, sed perstet in pietate; illorum
felicitate ne moveatur, ut eorum agendi rationem sequatur, sed
Jovam pie colat semper! Hemistichium posterius Rosenmüllerus:
sed sis, perstes *in* cet. Sed simplicius est, posterioris membri
idem Subjectum facere, quod est prioris, לִבְּךָ. Umbreitus quod

in priore membro est יְקַנֵּא trahit ad posterius quoque. Verum
ita necesse est, ut verbo alium significatum tribuas in priore,
alium in posteriore membro, in illo invidendi, in hoc studendi
significatum. Quod durius videtur, quanquam non prorsus reji-
18. ciendum. — *Minime, sed est eventus* felix, *Et spes tua non delebi-
tur, peribit. Noli invidere improbis res prosperas, quasi te nullum
maneat virtutis praemium (vs. 17.), sed veniet exitus optatus quo spes
tua implebitur. cf. 24, 14. 20. כִּי אִם eodem modo quo praecedens
interpretamur, ad eandem utrumque negationem (vs. 17.) refe-
rentes. Ita et de Wette et Ewaldus. Alii אִם ad solam senten-
tiam יֵשׁ אַחֲרִית referunt, ut utraque particula vim suam propriam
retineat in hunc sensum: *Nam si,* quodsi enim *aderit finis, Spes
tua non peribit.* Sic Rosenmüllerus: „*nam si adest finis*, tan-
dem, *spes tua non succidetur*, quum contra spes impiorum sit
peritura. Particulae כִּי אִם h. l. non eo, quo versu antecedente,
sensu usurpari patet, sed proprio suo significatu, ut כִּי *nam*, אִם
si valeat, ו vero nomini תִקְוָתְךָ praemissum apodosi indicandae
inserviat, ut alias saepe, si Particula conditionalis praecedit.“
Eodem modo struit Umbreitus. Quidquid statueris, vix poteris
non agnoscere h. l. certam spem immortalitatis, quum plurimo-
rum improborum res floreant, contra proborum miserae sint us-
19. que ad finem vitae. — *Audi tu, mi fili, et sape, Et recta duc,*
dirige, *in via cor tuum,* cura, ne in via vitae tuae deflectas a
20. virtutis tramite. — *Ne sis inter eos qui potant,* ingurgitant
vinum, Inter eos qui prodigi sunt corporis sibi, corporis sui,
qui libidinibus, voluptatibus dediti sunt. זָלַל effundere, profun-
dere i. q. זוּל, hinc *prodigum esse.* Rosenmüllerus membrum
posterius: „*inter prodigentes carnem sibi,* qui cibos lautos intem-
perantius devorant . . . Cum potatoribus aptius conjunguntur
heluones, qui זֹלְלֵי בָשָׂר *prodigentes carnem,* immodice carnem
devorantes vocantur. cf. Deut. 21, 20. זוֹלֵל וְסֹבֵא *gulosus et po-
tator. Carne* comprehenduntur cibi lautiores omnis generis et
cupediae, quae potissimum ex carnibus sive quadrupedum cicu-
rum et ferarum, sive volatilium, sive aquatilium parari solent, ad-
hibitis variis condimentorum generibus.“ Sed simplicior et cer-
tior est sensus quem nos fecimus, et qui corporis sui prodigus
est et ipse apte jungitur potatori, nam vini comes lascivia
21. est. cf. quae in hoc ipso capite habentur vs. 29—33. — *Nam
potator et prodigus ad egestatem redigitur,* rediguntur, *Et*

pannos laceros induit dormitatio. — *Ausculta, obtempera* 22.
patri tuo, qui te genuit; Nec contemnas, cum senuerit, ma-
trem tuam. זֶה vim suam propriam retinere possit: *hic te ge-*
nuit. Probabilius tamen loco Pronominis relativi est positum,
ut Ps. 104, 8. al. — *Veritatem eme nec vendas, Sapientiam* 23.
et disciplinam et intelligentiam! Sensus: eas quocunque modo
poteris tibi compara, neque eas semel paratas alienes! — *Ex-* 24.
sultat pater justi; Qui genuit sapientem, is laetatur eo. Pro
גִּיל יָגִיל Keri: גִּיל יָגִיל. Causa est, quod illa quae exhibet Ketib,
praeter hunc locum non leguntur. In membro posteriore Prae-
dicato praemissum est וְ ut alias. Quem struendi modum Maso-
rethae delerunt sic scribentes יוֹלֵד חָכָם יִשְׂמַח בּוֹ, copula prae-
posita יוֹלֵד voci. — Quod cum ita sit, da operam, ut parentibus 25.
laetitiam crees. *Laetetur pater tuus et mater tua, Et exsul-*
tet, quae te genuit! — *Da, mi fili, cor tuum mihi,* animum 26.
tuum mihi, doctrinae meae totum da et quasi consecra, *Et oculi*
tui viis meis, quas te doceo ineundas, *delectentur!* תִּרְצֶנָה de-
fective scriptum (ut תַּעֲשֶׂנָה Job. 5, 12. Ges. gr. min. §. 74. adn.
6.) a רָצָה, quod constat etiam cum Acc. construi. Keri: תִּצֹּרְנָה.
Quam scripturam praeter alios suam fecerunt Rosenmüllerus,
Umbreitus, de Wette, Ewaldus: *et oculi tui vias meas custodi-*
ant, observent. Nos acquiescendum putavimus in Ketib. E
veteribus quidem Ketib unus Symmachus expressit et Graec.
Ven.; ceteri omnes Keri, idque etiam libri exhibent haud pauci.
Sed difficilior scriptura praeferenda. — *Nam fovea profunda* 27.
est *meretrix, Et puteus angustus,* unde non emergas, *mulier*
peregrina. cf. 2, 16. 22, 14. — *Plane illa praedonis instar* 28.
insidiatur; Et perfidos inter homines, perfidorum inter homi-
nes numerum *auget,* adolescentes suis irretiens illecebris. חֶתֶף
quanquam praeter hunc locum non legitur, tamen vix dubium est
quin propr. significet rapinam, hinc concr. *raptorem, praedo-*
nem ab חָתַף rapere Job. 9, 12., ad quod cf. ejusdem etymi et
significatus verbum חָטַף. Posterius hemistichium Umbreitus sic
explicandum putavit: *et perfidos inter homines ad se rapit.*
Quae explicatio quo nitatur non video. Ewaldus: *et eos, qui*
caedes ex insidiis inferunt hominibus, auget, sicariorum nu-
merum auget, ita ut בְּ non sit *inter* sed ad ipsum pertineat בֹּגֵד
verbum. Non male. — Ebriositatis damna 29—35. *Cui o?* 29.
cui vae? Cui rixae? cui querela? Cui vulnera sine causa?

Cui caligatio oculorum? לְמִי אוֹי ***cui*** est ***o***, cujus est o i. e. quinam exclamat o? אוֹי ut reliquis quibus legitur locis est interjectio, sed h. l. substantivi instar posita. Idem valet in אֲבוֹי voculam, quae neque ab ipso אָבָה est derivanda, nec denominativa habenda est ab אֶבְיוֹן, ut significet paupertatem s. miseriam, sed et ipsa interjectio est augmentatione conformata ex אוֹי, quae est Kimchii, Fürstii et aliorum sententia. Simillimum est graec. *αἰβοῖ*. Praeter hunc locum non habetur. De מִדְיָנִים et מִדוֹנִים vid. ad 18, 19. פְּצָעִים חִנָּם ***vulnera sine causa***, absque ulla urgente necessitate, ultro accepta, inter rixandum, puta, ab iis, qui cum vino ardent verba fundunt contumeliosa. Ad חַכְלִלוּת עֵינַיִם cf. Gen. 49, 12: חַכְלִילִי עֵינַיִם מִיָּיִן ***caligans oculis ex vino***. Ad חָכַל Gesenius in Thes. p. 471. b. allatis verbis Kamusi, „apparet ex his, inquit, verbi potestatem esse in *obscuritate* tum soni, tum sermonis, tum nuncii" (quae quidem omnia eodem redeunt), „dici etiam, modo genuina est scriptura Calcuttensis, de oculo caligante ebrii; et haud scio an cognatum sit verbo כָּחַל denigravit." Vere haec quidem. Sed superest, ut etymo firmetur significatio. Obscuritatis significatio primaria esse nequit. Propius eam est ***confusum esse*** in ipso Kamuso ex ipsius Gesenii interpretatione expressum. Certo certius mihi est, primam חָכַל verbi significationem positam esse in ***intorquendo, contorquendo, constringendo***, contrahendo, cf. inprimis עָקַל hebr. et arab., à quo facillimus est transitus ad confusionem et obscuritatem. Conflatum est verbum ex radicibus חק, חך, in qua est vis curvandi, torquendi se (cf. חוק, חָבַק, חוּת, חוג, חָגַג, חָגָה, עוק, עגג al.) et כל, גל eum vi volvendi se (גָּלַל al.). cf. earundem radicum stirpes חָגַל, אָגַל, עָגַל. Si quis forte maluerit ל formativum habere, ita ut sola remaneat חך radix, non vehementer repugnabo, quum *l* litera, ut ceterae liquidae, saepe inserviat complendis triliteris, sive initio posita, sive in medio, sive in fine. Sed vis primaria manet
30. eadem. — Respondet jam. ***Iis qui morantur super vino***, qui
vino immorantur, ad multam noctem potant, ***Iis qui veniunt ad***
explorandum, gustandum ***vinum*** aromatibus ***mixtum***. Ad he-
mistichium prius cf. Jes. 5, 11. Quod in altero est חָקַר non
31. caret sale. — ***Ne intuearis vinum***, ne capiat te pulcher adspectus
vini, ***cum rutilat, Cum facit in poculo bullulas suas, Subitque***
recta i. e. facillime. כִּיס quod alias semper marsupium, cramenam significat, hoc loco idem quod כּוֹס, quod ipsum quum sit

usitatum legi jubet Keri, significare, ostendit nexus. Utrumque
et marsupium et poculum dictum a cavitate. Neque enim a כָּנַס,
quae est Gesenii et aliorum sententia, sed a כּוס derivanda videntur כּוֹס et כִּיס, neque occulere, in qua sententia est Fürstius,
sed excindere, excavare significare videtur כּוס. cf. praeter alia
קָסַס, קָשָׂה (nisi mavis קוס) et ab hoc ipso קֶסֶת vasculum, phiala,
nec non חָרִיט loculus, marsupium ab חָרַט. עַיִן hoc loco transl.
de *bullula* vini ferventis, ut apud nos Auge. Pariter atque hoc
loco בְּמֵישָׁרִים, Cant. 7, 10. dicitur לְמֵישָׁרִים eodem nexu. Non
male Vulg. *ingreditur blande.* — *Exitus ejus serpentis instar* 32.
mordet, Et viperae instar pungit. De Wette et alii: *in exitu
suo*, ita ut אַחֲרִיתוֹ sit Acc. temporis, Subjectum vero ipsum vinum. Quod quominus probem tum Suffixum me impedit, tum
quod elegantius ipse exitus dicitur mordere. Praeter omnem necessitatem Umbreitus et Ewaldus יִשָּׁךְ et יַפְרִשׁ relative posita volunt omisso אֲשֶׁר. — *Oculi tui dispicient*, circumspicient *alie-* 33.
nas, adulteras, meretrices; *Et cor tuum loquetur perversa.*
Rosenmüllerus: „verbis prioribus fere hoc dici volunt, ebrios
libidine incensos alienas mulieres i. e. inhonestas, meretrices
quaerere. Venter enim mero aestuans cito despumat in libidinem, uti ait Hieronymus in ep. ad Oceanum. Et רָאָה *dispicere,
circumspicere* rem aliquam significat Gen. 41, 33. Jes. 41, 28.
Sed malumus זָרוֹת neutraliter capere *aliena, absurda*, imaginationes absurdas, videberis ebrius tibi absurdissima videre, ut
versu proximo declarat (?). Ambrosius de Elia et jejunio cap.
16: vanae imagines ebriis, incerti visus, instabilis gressus; umbras transiliunt saepe sicut foveas, nutat his cum facie terra, subito inclinari et erigi videtur cet. Recte Graecus Venetus זָרוֹת
ἀλλόκοτον inusitatum, absurdum reddidit. Absurdis visis apte
subjunguntur absona dicta. Quum perversae sint cogitationes
ebrii, ob copiam vaporum ascendentium in cerebrum turbata
mente, non poterit non perversa loqui.“ In eadem opinione est
Ewaldus. Non negamus posse זָרוֹת neutraliter capi, *aliena* vero
pro absurdis esse. Sed nusquam alias hic reperitur significatus,
quanquam ab eo non longe abest qui Jes. 28, 21. est significatus
novi et *inauditi*. Contra mulieres *alienas*, adulteras זָרוֹת in
hoc ipso libro semel atque iterum significant: 5, 3. 20. 22, 14.
cf. 2, 16. 7, 5., ita ut maxime probabile sit, eum significatum hic
quoque locum habere. Quod hemistichio posteriore dicitur *et*

cor tuum loquetur perversa, nemo non videt etiam in hunc significatum convenire. cf. 2, 12. 14 sq. coll. vs. 16 sqq. Sic quidem aliud ebriositatis damnum describitur hoc versu, aliud eo qui sequitur. Sed non necesse est, ut unum idemque describatur. E contrario magis conveniunt plura. De mulieribus inho-
34. nestis זָרוֹת intelligunt etiam de Wettius et Umbreitus. — *Erisque ut qui dormiat in corde maris,* in medio mari, *Et ut qui dormiat in capite funis mali* i. e. in corbe malo affixa, in specula nautica. Sensus: in maximo insciens versaberis periculo. לֶב־יָם ut infra 30, 19. Exod. 15, 8. De חִבֵּל quod hoc solo loco reperitur alii alia docent. Gesenius in Thes. „*malus nauticus,* ita dictus a funibus quibus religatur . . . כְּשֹׁכֵב בְּרֹאשׁ חִבֵּל *sicut cubans in capite mali nautici* i. e. in carchesio. Ita R. Saadias apud Kimchium, Schultensius, Rosenm. al. Possit etiam *funis magnus, funis ancorarius* intelligi, ut חִבֵּל sit forma intensiva pro חֹבֵל, חֶבֶל, et sententia sit: *eris ut jacens in capite funis ancorarii,* sed illud magis placet. Kimchius: „„R. Jona interpretatur rem (int. sedem pensilem) ex funibus factam, natantem super aqua, ubi bituminant navem, et ex qua agnoscunt locum bituminandum: qui in ea jacet, in magno periculo est.““ Veteres interpretes omnes liberius reddunt.“ *Malum* intelligunt etiam Winerus, de Wette, Fürstius. Contra Umbreitus et Ewaldus *gubernaculum.* Aptissima ad rem *mali* significatio; sed minus probabile est, malum a funibus dictum esse. Incerta igitur significatio. Contra *funis ancorarii* et *gubernaculi* certiores significatus (cf. ad gubernaculi significatum חֹבֵל et תַּחְבֻּלוֹת), sed minus apti. Ego ut dicam quod sentio, quum חִבֵּל sit forma intensiva, *funem mali* i. e. funem malo tollendo et tenendo intelligendum puto, quo admisso significatu רֹאשׁ חִבֵּל *capite funis mali* significabitur id quod aptissimum est, corbis affixa malo, specula nautica. Fortasse tamen sedes pensiles ex funibus factae erant veterum corbes nauticae. Quod si statueris, חִבֵּל ipsa illa *corbis* esse poterit. Quid? quod חִבֵּל, quum sit intensivum, in universum *armamenta navalia,* malum cum antennis, funibus velisque potest significare, das *Takelwerk,* quippe quod funibus maxime constet. Ceterum Rosenmüllerus his verbis non periculum, in quo inscii versentur ebrii, describi, sed dici ebrios omnia moveri putare existimat. Umbreitus vero stuporem ebrii
35. pingi putat. Is vero proximo versu describitur. — *Percutiunt*

me, non doleo; feriunt me, non sentio. Quando expergiscar? Denuo id quaeram. Describitur ebrius, qui, cum crapula oppressus jacet, nihil curans quae accipit verbera id unum in votis habet, ut quam primum e crapula expergefactus ad compotationem redeat. מָתַי Gesenius in Thes., Rosenmüllerus h. l. praeter interrogationem positum volunt. Quo vis verborum nulla urgente necessitate deletur. מָתַי *quando?* hic est ejus qui optat, morae impatiens est. Suffixum in אֲבַקְשֶׁנּוּ referendum ad יַיִן vs. 30—32. Quod quamquam longius abest, tamen ponitur merum Suffixum, ut indicetur, nil nisi vinum cogitare heluonem.

CAP. XXIV, 1—22. *Ne invideas hominibus malis,* quos rebus 1.
secundis uti vides, *Nec desideres esse cum iis,* eorum uti societate.
Simillima leguntur 3, 31. 23, 17. — *Nam exitium,* quod aliis afferant, 2.
meditatur, machinatur *cor eorum, Et aerumnas,* quas creent
aliis, *labia eorum loquuntur.* — *Sapientia aedificatur domus,* 3.
Et intelligentia stabilitur, confirmatur. *Domum* omnem rem
familiarem esse docet res ipsa. — *Et scientia promtuaria re-* 4.
plentur Omnibus opibus pretiosis et jucundis. — *Vir sapiens* 5.
est *fortis,* potens, fortitudine, potentia valet, *Et vir scitus con-*
firmat vires, in diem magis pollet viribus. De בְּעוֹז vid. ad Ps.
29, 4. Ad rem quod attinet cf. supra 21, 22. — *Nam consiliis* 6.
sanis geres tibi bellum, Et salus est *in multitudine consulto-*
rum. Hemistichium prius sumtum ex 20, 18., posterius ex 11,
14. — *Excelsa,* sublimis, ardua, altior quam ut ad eam pertin- 7.
gere possit, est *stulto sapientia; In porta,* foro, loco judicii,
ubi sapientia opus est ad dicendam sententiam, *non aperit os*
suum, non audet loqui. Rosenmüllerus hemistichium prius: „*ex-*
celsae sunt *stolido sapientiae.* Utitur Plurali ob insignem sa-
pientiae ambitum et varietatem." Quod non recte est judicatum.
חָכְמוֹת nomen singulare esse ostensum est ad 1, 20.; רָאמוֹת vero,
i. q. רָמוֹת, Pluralis quidem est, sed vim habet nominis substan-
tivi, ita ut propr. significet *altitudinem,* loca edita. — *Qui cogi-* 8.
tat malefacere, qui machinatur, molitur maleficia, *Eum virum,*
hominem *insidiosum vocant,* is vocatur homo insidiosus. cf. 14,
17. — *Consilium stultitiae,* stultorum i. e. improborum est 9.
peccatum, improbi non nisi nefas moliuntur; *Et abominatio,*
detestabilis *hominibus* est *irrisor,* eum qui sanctissima quaeque
ridet detestantur omnes. זִמַּת אִוֶּלֶת Ewaldus: *ignominia stul-*
titiae. Qui significatus probari nequit. זִמָּה hic idem significat

Quanquam vero haud raro significat *deficere*, nusquam tamen
significat deficere a deo vel a lege divina. Clarissimum vero
ejus quem fecimus sensus indicium nexus est, quo verba conti-
nentur cum iis quae praecedunt. בְּרָעָה nonnulli: *in malum*,
17. minus convenienter ad membrum prius. — *Cum ceciderint*, in-
ciderint in calamitatem, *inimici tui*, *ne laeteris*, *Et cum corru-
erit* qui est ex inimicis tuis, *ne exsultet cor tuum!* Alii, ut
Ewaldus: *De casu inimicorum tuorum ne laeteris, Et de ruina*
cet., ita ut בְּ utroque membro sit praepositio quacum struatur
verbum. Quod ferri potest et ipsum. Ceterum pro אוֹיְבֶיךָ Ma-
sorethae legi jubent אוֹיִבְךָ conformandi studio ducti, quum in
posteriore membro sit suffixum singulare. Id expresserunt Ro-
senmüllerus, Umbreitus, de Wette, alii. Sed vix monitu opus,
18. acquiescendum esse in Ketib. — Redditur ratio. *Ne id videat
Jova et malum* sit *in oculis ejus*, id ei displiceat, *Et avertat ab
illo*, tuo inimico, *iram suam*. Ad postrema verba Rosenmülle-
rus: „scil. עָלֶיךָ *super te*, in te retorqueat, qui ita inhumanus es in
alium etsi inimicum, ut illi in suo infortunio insultes.“ Idem
statuere video Umbreitum et Ewaldum. Id vere suo statuunt
arbitrio, ea haud dubie de causa, quod, si verba accipiuntur ut
sonant, scriptor eo ipso momento, quo de gaudio ex inimici malis
dehortatur, ejus malis gaudere videtur ipse. Sed interpretari,
non sublevare et defendere scriptorem officium est interpretis. —
19. *Ne indigneris de maleficis, Ne invideas improbis*, conspecta
felicitate, qua fruuntur. cf. vs. 1. et Ps. 37, 1: *Ne indigneris de
maleficis, Ne invideas prave agentibus*, iisdem verbis, si exce-
peris ultima; item ibid. vs. 7: *Ne indigneris de eo cui omnia
prospere procedunt, De homine qui exsequitur consilia per-
20. niciosa.* — *Nam non erit eventus*, exitus optatus *malo*, neque
enim habebit malus optatum exitum; *Lucerna improborum ex-
stinguitur.* Ad hemistichium prius cf. vs. 14. et 23, 18.; ad
21. posterius 13, 9. 20, 20. — *Time*, cole, reverere *Jovam, mi fili,
et regem; Cum novantibus ne conferas te in societatem!* שׁוֹנִים
mutantes, *mutatores*, qui cito animum mutant, novarum rerum
studiosi, qui modo has partes sequuntur modo illas, jam novos
22. penates, jam novum regem inducunt. cf. Jer. 2, 36. — *Nam
subito surgit pernicies eorum; Et exitium utriusque*, qui vel
deum vel regem non veretur, *quis novit?* i. e. superveniet iis non
opinantibus. Verba postrema Umbreitus et de Wette: *et poena*

utriusque, et dei et regis, quae a deo et rege infligitur poena, *quis novit* eam? Ad deum vero et regem Suffixum in שְׁנֵיהֶם ne tum quidem recte referretur, si quod non significat, *poenam* significaret פִּיד. Referendum enim ad eosdem est, quos spectat Suffixum in אֵידָם. Eodem modo quo nos verba intelligunt Rosenmüllerus et Ewaldus. מִי יוֹדֵעַ (exitium) *quis novit*, praevidet? id est nemo praevidet, venit inopinato id. quod פִּתְאֹם. vid. ad Ps. 35, 8.

CAP. XXIV, 23—34. Pars quarta, inscripta: גַּם אֵלֶּה לַחֲכָמִים *Haec quoque* sunt *sapientum*. cf. ad Ps. 3, 1. Nonnulli, in his Umbreitus: *haec quoque sapientibus* i. e. sapientiae studiosis, int. dicta vel scripta sunt. Sic jam LXX. *ταῦτα δὲ λέγω ὑμῖν τοῖς σοφοῖς ἐπιγινώσκειν*, Chald. et Syrus: *etiam haec sapientibus dico*, item Vulg. *haec quoque sapientibus*. Sed recte Rosenmüllerus: „Malim eam Grotio et aliis ל nomini חֲכָמִים praemissum pro nota Genitivi sive auctoris habere, ut frequenter in singulorum Psalmorum et librorum inscriptionibus, ut vertendum sit: *haec quoque sapientum* scil. sunt dicta s. sententiae. Sunt enim quae usque ad Capitis finem leguntur addita *dictis sapientum*, דִּבְרֵי חֲכָמִים, quorum supra 22, 17. mentio facta, tanquam appendicula quaedam. Nec obstat, quod Capiti proximo inscriptum est: *etiam haec sunt proverbia Salomonis*, quasi inde sit colligendum, quicquid sententiarum in hoc libro praecessit, speciatim has vss. 23—34., non esse aliorum sapientum, sed ipsius Salomonis. Sed inscriptio 25, 1. praemissa spectat ad totius hujus libri inscriptionem 1, 1., ad significandum, quae inde sequuntur serius esse libro adjecta.“ cf. supra p. 371. Idem Rosenmüllerus mox: „Ceterum ante eam, quae hoc ipso versu (23.) in fonte hebraico sequitur sententiam, in Graecis Alexandrinae versionis inserta sunt Versuum paria quinque, quorum nihil hebraice exstat. Inde sequuntur Capitis 30. sententiae priores 14. De qua harum partium trajectione memorabili Jaegerus in universum monet hoc, si quis eam accidisse incuria librariorum graecorum vel bibliopegorum etiam, scissa voluminum folia locis non suis glutinantium existimet, prohiberi eam conjecturam ab hoc loco graeco per ipsam verborum inter se copulatorum compagem. Verba enim *τάδε λέγει ὁ ἀνὴρ — καὶ παύομαι*, quae expressa sunt e Cap. 30, 1., et *ταῦτα δὲ λέγω ὑμῖν, τοῖς σοφοῖς*, quae ad hujus Capitis vs. 23. referuntur, ita inter se per Pronomina *τάδε* et *ταῦτα δὲ* structa atque connexa sunt, ut, nisi antecedentibus illis, sequi haec plane

non possint, adeoque appareat, ab ipso interprete hunc ordinem
constitutum, vel acceptum esse ab exemplo hebraico quo utebatur." Ceterum qui statim post vs. 22. a Graeco inseruntur quinque versus hi sunt: *λόγον φυλασσόμενος υἱὸς ἀπωλείας ἐκτὸς ἔσται, δεχόμενος δὲ ἐδέξατο αὐτόν. μηδὲν ψεῦδος ἀπὸ γλώσσης βασιλεῖ λεγέσθω, καὶ οὐδὲν ψεῦδος ἀπὸ γλώσσης αὐτοῦ οὐ μὴ ἐξέλθῃ. μάχαιρα γλῶσσα βασιλέως καὶ οὐ σαρκίνη, ὃς δ' ἂν παραδοθῇ, συντριβήσεται. ἐὰν γὰρ ὀξυνθῇ ὁ θυμὸς αὐτοῦ, σὺν νεύροις ἀνθρώπους ἀναλίσκει, καὶ ὀστᾶ ἀνθρώπων κατατρώγει, καὶ συγκαίει ὥσπερ φλὸξ, ὥστε ἄβρωτα εἶναι νεοσσοῖς ἀετῶν.* Tale additamentum
vidimus etiam supra 19, 7., et similia habentur aliis locis, ut 13, 13.
23. *Agnoscere faciem* i. e. respicere personam, rationem habere
alicujus, temere favere alicui *in judicio non* est *bonum*, nefas
est. Eadem simillimis verbis leguntur 28, 21. cf. etiam 18, 5.
24. — *Qui dicit ad improbum: justus tu* es, qui sontem dicit insontem esse, qui sontem absolvit, *Eum exsecrantur populi, detestantur eum nationes.* cf. 17, 15: *Qui absolvit improbum, et*
25. *qui condemnat justum, Abominatio Jovae uterque.* — *Et*, sed
iis qui puniunt, suave, bene *est*, cum iis vero qui sontes puniunt
judicibus bene agitur, *Iisque supervenit adprecatio boni*, eos
piis votis prosequitur quicunque rectus est et probus. בִּרְכַּת טוֹב
26. alii ut Rosenmüllerus: *adprecatio felicitatis.* — *Labia osculatur, Qui refert verba recta*, gratum acceptumque se reddit, qui recta respondet. „Judex, qui aequa et recta judicat, vel alius quivis, qui recta, veritati et virtuti consentanea loquitur, osculabitur hominum labia, et illi vicissim ipsum exosculabuntur, erit omnibus carissimus. Nam osculum est mutui amoris signum. Sic Absolomus fixo accedentibus osculo in Israelitarum animos sese insinuabat, 2 Sam. 15, 5 sq." Ros. Similiter Ewaldus. Malumus verba de recte respondendo in universum intelligere. Quomodo sit respondendum, quam pulchrum sit scite responsum, opportune dictum, saepius docetur in hisce sententiis, velut 15,
27. 23. 25, 11. cf. et 18, 13. — *Cura*, administra *foris negotium tuum, Et para*, dispone *illud in agro tibi: Postea, tum aedificabis domum tuam.* Rosenmüllerus: „Praeceptum oeconomicum de ordine rei familiaris administrandae, ita ut praecedant magis necessaria, sequantur vero ea, quae ad ornatum solum majoremve commoditatem aut oblectationem quomodocunque faciunt. Monet igitur, externi i. e. rustici operis, ut agriculturae et rei

pecuariae primum habendam rationem, ut inde habere possis, unde tibi et tuae familiae victum prospicias." Idem mox membrum tertium docet non tam accipiendum de externa structura, quam de instruenda domo rebus necessariis, ad quam rem prius oporteat parare in agris ea, unde vivas domi. Nimis restringere haec verba Jarchium, qui ea de gignendis liberis danda opera intelligat, quamvis non possit negari, aedificare domum alias de sobolis propagatione dici. Sed de solo amplificando et ornando בָּנָה dubito an possit intelligi. De ipso aedificando autem si accipitur, verba non quadrant. Nam ante omnia domo opus est. Itaque non temere rejicienda videtur interpretatio Jarchii, eoque minus, quum optimum hunc sensum praebeat, liberis procreandis operam dandam non esse, priusquam habeas, quae ad vitam sint necessaria. Quem eundem sensum fecit Ewaldus. De structura verborum אַחַר וּבָנִיתָ inania verba fecerunt superiores interpretes. cf. Exod. 16, 6: עֶרֶב וִידַעְתֶּם *vespera, et* i. e. tum *scietis* al. coll. Ges. gr. min. §. 124. adn. 1. — *Ne sis*, existas 28.
testis temere, temerarius i. e. rei vel falsae vel incertae testis *in socium tuum! Et num decipies labiis tuis?* pudeat te decipere labiis, ne decipias! פִּתָּה בִשְׂפָתָיו ut פִּתָּה בְּפִיו Ps. 78, 36. Pro וַהֲפִתִּיתָ Ewaldus וְהִפְתֵּיתָ legi jubet, quod hunc putat efficere sensum: Ne sis testis temere, sine causa, nulla urgente necessitate, in socium tuum, *Ut aperias, prodas* aliquid labiis tuis. Possis etiam cum Syro legere וַהֲפִתּוֹתָ (a פָּתַת): *ut comminuas* labiis tuis, coll. דִּכָּא פ׳ בְּמִלִּים Job. 19, 2. Negari non potest, si ה sit interrogativum, pro Perfecto exspectari Imperfectum. — *Ne dicas:* 29.
quemadmodum fecit mihi, sic illi faciam; Reddam cuique secundum opus suum. Frustra laborant, ut hoc quod seorsum accipiendum est comma nectant praecedenti. cf. 20, 22. — Quae sequuntur quinque commata pigritiae stultitiam pingunt.
Juxta agrum viri pigri transivi, Et juxta vineam hominis 30.
vecordis. — *Et ecce, ascenderat tota herbis spinosis*, tota in 31.
herbas spinosas abierat, *Tecta erat superficies ejus urticis, Et maceria ejus lapidea erat diruta.* De צָלַח constructo cum Acc. vid. Ges. gr. min. §. 135. adn. 2. — *Et spectavi ego* illud, 32.
adverti animum meum; Vidi, accepi disciplinam, discenda ex his didici. Quaenam illa sint, dicit duobus qui sequuntur versibus. — *Paulum somni, paulum dormitationis! Paulum compli-* 33.
cationis manuum ad cubandum, ad quietem. Vid. ad 6, 10.

33 *

34. ubi eadem. — *Ita venit ut miles excurrens paupertas tua, Et inopia tua ut vir clypeatus.* vid. ad 6, 11. ubi eadem, si exceperis, quod pro כִּמְהַלֵּךְ Part. Pi. cum particula comparandi hic habetur מִתְהַלֵּךְ Part. Hithp. appositione cohaerens, quamvis nomini praepositum, vi eadem; item quod pro singulari מַחְסֹרְךָ hic est plur. מַחְסֹרֶיךָ. Videntur verba ex loco dicto in hunc profecta esse, non ex hoc in illum. cf. 6, 10. cum vs. 9.

CAP. XXV—XXIX. Pars quinta, in qua quae continentur et ipsa Salomonis dicuntur esse, Hiskiae regis cura et instituto
1. collecta. Sic enim inscripta haec pars. *Hae quoque sunt sententiae Salomonis, quas congesserunt viri Hiskiae, regis Judae,* viri quibus hoc negotii injunxit Hiskias, rex Judae. Verba priora respiciunt inscriptiones 1, 1. et 10, 1. אֲשֶׁר הֶעְתִּיקוּ propr. *quas transtulerunt, transscripserunt,* ex aliis libris, in quibus illae sententiae dispersae erant, in hunc qui prae manibus est librum. LXX. ἐξεγράψαντο, Vulg. *transtulerunt.* „Quae hac parte continentur sententiae sensus fere sunt abstrusioris et magis ad aenigmaticam rationem compositae quam quae in partibus prioribus leguntur, praecepta maximam partem moralia formandis animis ad pietatis et virtutis studium inservientia." Ros. Permulta insunt graviter, acute et eleganter dicta, ut quae hic leguntur maximam partem non indigna videantur aurea aetate. Parallelismus nunc strictior, nunc solutior et liberior.

2. CAP. XXV. *Gloria dei,* gloriosum deo est *occultare rem; Et gloria regum,* regibus gloriosum, *investigare rem.* „Deo gloriam et admirationem illud conciliat, quod in rerum omnium gubernatione suum tantummodo idque secretum consilium sequitur, ita ut suae administrationis arcanae rationes mortalium nulli pateant; regibus gloriosum est, sagacitate sua explorare ardua, quae ad officium pertinent regium, potissimum ad justitiae administrationem in causis dubiis, ut diligenter inquirant in ea quae
3. ipsis proponuntur." Ros. — *Coelum qua altitudinem, et terra qua profunditatem, Et cor regum, nulla investigatio.* אֵין חֵקֶר etiam ad prius membrum pertinet; וְ vero praemissum membro posteriori est quod vocant Vav adaequationis, cujus exemplum jam supra 11, 16. vidimus, ut hic sit sensus: quemadmodum impervestigabilis est altitudo coeli, terrae profunditas: sic nemo investiget cor regis, ejus abditos sensus. Plura hujus comparandi
4. modi allata exempla vid. ad l. l. — *Remove,* separa *scorias ab*

argento, Et prodibit aurifici vas. Quod hic et vs. proximo le-
gitur הָגָה *amovere*, Gesenius, Winerus, Fürtius, Rosenmüllerus,
verbo, quos inspicere licuit, omnes diversum habent ab illo הָגָה,
quod significat murmurare et alia. In qua re falluntur viri doctis-
simi. הָגָה primum significat anhelare, hinc *gemere* (cf. הָגַג al.),
murmurare, fremere; hinc *meditari* (submisse secum loquendo)
et quae ab hoc significatu proficiscuntur alia. Deinde transitive:
anhelare facere, in Athem setzen, hinc agitare (cf. נָהַג, נָהָה, ἄγω,
ago), *propellere* Jes. 27, 8., et cum מִן *amovere, separare* hoc
loco. Infinitivus abs. ut saepissime alias vim habet jubendi. Quo
spectent verba, ceteroqui per se clara, ostendit versus proximus.
— *Remove improbum coram rege,* qui versatur in conspectu, 5.
coram, cum rege, i. e. arce a rege improbos consiliarios, mini-
stros, *Et stabilietur justitia solium ejus.* Itaque quemadmodum,
inquit, ab aurifice vas purum et nitidum confici nequit nisi sepa-
ratis ab argento scoriis: ita quod justum et firmum sit imperium
cogitari non potest nisi remotis a rege improbis ministris. — *Ne* 6.
te ostentes, ne glorieris *coram rege, Et in loco magnatum ne*
stes, neque iis te immisceas! cf. quae statim sequuntur. — *Nam* 7.
melius est, ut dicant tibi: adscende huc! Quam ut deprimant
te, in locum inferiorem cedere jubeant *coram principe, Quem*
viderunt oculi tui. Recte ad ultima verba Rosenmüllerus: „igno-
miniosum esse dicitur ei, qui se arroganter principi propius ad-
movit, eo conspiciente ab ejus propinquitate amoveri.“ Ceterum
טוֹב אֱמָר־לְךָ וגו' ad verbum sic sonant: *melius est dicere tibi,*
das dir Sagen cet. — *Ne exeas ad litigandum festinanter,* 8.
noli festinantius, temere ad lites proruere, *Ne quid facias in fine*
ejus, litis, ne in fine ejus quid facias quod tibi haudquaquam sa-
lutare aut honorificum sit futurum, *Cum te ignominia affecerit*
alter, adversarius exacerbatus! Suffixum in אַחֲרִיתָהּ neutr. acci-
piendum. — *Causam tuam age cum altero,* adversario, *Et,* sed 9.
arcanum alterius ne detegas, aperias, prodas! „quod de eo re-
scivisti, quodque vel ignominiam vel damnum ipsi creare possit, si
innotescat, ne in publicum emanare sinas. Ita enim evenire fere
videmus, ut ubi animi per iram fuerint concitati atque exasperati,
subito in ignominiam producant evomantque quaecunque probrosa
de adversario resciverunt unquam, quo reconciliatio difficilior fit.“
Ros. — Arcte haec cum superioribus cohaerent. *Ne probro* 10.
te afficiat qui audit alterius arcana revelantem, *Atque* ita *infa-*

mia tua non recedat, nunquam a te recedat, sempiterna tibi inu-
11. ratur nota infamiae. Suffixum in דִּבָּתְךָ est Objecti. — *Mala au-*
rea in figuris argenteis i. e. in opere figurato argenteo, in vasis argenteis figuris artificiose ornatis *Verbum* est *dictum suo tempore* i. e. quam grata et jucunda sunt mala aurea oblata in calathis argenteis artificiose ornatis, tam gratum et jucundum est verbum opportune dictum. cf. 15, 23: *verbum suo tempore,* opportune dictum, *quam pulchrum!* „תַּפּוּחֵי זָהָב וגו' *malis auri,* aureis cet. interpretum nonnulli mala ex auro fabrefacta intelligunt cum argenteis caelaturis. Sed cuinam usui ejusmodi mala destinata fuerint, vix intelligitur. Nil obstat, quo minus vera mala et quidem, cydonia s. chrysomela intelligamus, quae ob colorem aurea vocantur. De iis Virg. Ecl. 3, 71: aurea mala decem misi, cras altera mittam. Haec siquidem mala, quae colore suo alliciunt oculos, odore nares, jucundiora apparent cum afferuntur imposita calathis seu thecis argenteis artificiose cancellatis, ita ut per rimulas splendescant aurea illa poma. מַשְׂכִּיּוֹת כָּסֶף propr. *figurae argenti,* sunt argentea vasa argentarii arte decoris exornatae figuris, cujuscunque generis eaedem fuerint.“ Haec Rosenmüllerus, et recte quidem, quanquam מַשְׂכִּיּוֹת vocis significatum non satis confirmavit. מַשְׂכִּיּוֹת *figurae,* hinc *opus figuratum* quodvis. cf. Num. 33, 52. ubi מַשְׂכִּיּוֹת sunt lapides ornati figuris. Nequaquam igitur necesse est, ut מַשְׂכִּית ipsum *calathum* h. l. significare eumque significatum repetere putetur a שָׂכַךְ. Inter eos, qui interpretantur *mala aurea cum figuris argenteis* i. e. figuris ornata argenteis, sunt Gesenius, de Wette, Ewaldus. Intelligunt sphaerulas sive corollas, quales sunt columnarum (cf. כַּפְתּוֹר), figuris argenteis ornatas. Sed multo aptior et elegantior est imago, si intelligitur res quae per se est, non annexa alii, et quae offertur alicui eique, cui offertur, non opinanti laetitiam objicit. Difficilius est quod in altero hemistichio est עַל־אָפְנָיו. Gesenius אֹפֶן *tempus* docet significare a vertendo volvendoque dictum, coll. דּוֹר, תְּקוּפָה, περίοδος et pluribus vocc. *annum* designantibus, quae omnia proprie orbem indicent, ut *annus,* unde *annulus,* ἐνιαυτός. Hinc דָּבָר דָּבֻר עַל־אָפְנָיו esse *verbum prolatum in temporibus suis* i. e. tempore opportuno. אָפְנָיו esse pro אֳפָנָיו Lehrg. p. 575. Ita e veteribus Symm. Vulg. Abulwalid., qui recte conferat arab. אפאנן *(iffân-on) tempus.* Posse etiam עַל־אָפְנָיו *super rotis suis* explicari, ut sit locutio proverbialis *celeritatem* respondendi

indicans, modo אֹפֶן idem sit quod אוֹפַן *rota*. Ita syr. עגל et בעגל, לעגל *in rota* i. e. *cito*. Priorem rationem praeter alios secuti sunt Rosenmüllerus et Umbreitus. *Rotae* vero significatum voci tribuendum putavit Ewaldus, tum propter עַל, tum maxime propter formam ipsius nominis, quum ea aperte sit Dualis, qui abhorreat a *temporis* significatu, aptus vero sit in nomine *rotas* significante. Itaque דָּבֻר דָּבָר עַל־אָפְנָיו esse *verbum dictum super rotis suis*, hoc autem tale verbum quod velut rota cito vehatur eo quo tendat, quod cito metam attingat. Eadem fere docui in Lex. min., coll. אוֹפַן et ad Dualem vic. אָבְנַיִם. Sed durior nunc mihi ea imago videtur. Redeo ad significatum *temporis* coll. ad אֹפֶן verbis vic. פָּנָה et פּוּן se vertere, ad ipsum אֹפֶן etiam arab. *fain-aton* tempus, momentum temporis, a rad. פין; אָפְנַיִם vero *Dualem* habeo ejus generis, cujus sunt שְׁחֲרַיִם, צָהֳרַיִם, עַרְבַּיִם, hoc est, tempus significare puto, quo uno contineantur duo quae sunt tempora praeteritum et futurum, id est *tempus praesens, momentum temporis;* עַל autem existimo esse *secundum:* ita ut דָּבֻר דָּבָר עַל־אָפְנָיו propr. significet *verbum dictum secundum suum temporis momentum* i. e. convenienter ad illud temporis momentum quo dicitur i. e. tempestive, opportune. — *Annulus* 12.
aureus et monile aureum Est *reprehensor sapiens*, qui sapienter reprehendit, *in aure audiente* (propr. *am* hörenden Ohr), auri audienti, docili, admonitionem admittenti. Sensus: pretiosa res est reprehensio tempestiva ei qui illam admittit. עַל־אֹזֶן שֹׁמָעַת construendum videtur cum membro priore, q. d. reprehensor sapiens est annulus aureus et monile aureum auri audienti. Possit tamen etiam ad ipsum מוֹכִיחַ חָכָם pertinere. Nam qui semper tibi adest sapiens monitor, recte dicetur esse tibi עַל־אֹזֶן. Sed simplicius prius. Rosenmüllerus מוֹכִיחַ חָכָם: *qui arguit sapientem*, sapientiae studiosum. Quae explicatio prorsus rejicienda est propterea, quod delet aliquid, quod aegre desiderabis, epitheton מוֹכִיחַ nominis, ejusque loco ponit quod nemo desideret, quippe jam expressum שֹׁמַעַת voce. — *Ut refrigerium nivis* 13.
die, tempore *messis*, Est *nuntius fidus mittenti eum, Et animam domini sui reducit*, sollicitum dominum curis liberat, recreat. De שֹׁלְחָיו vid. ad 10, 26. Sententiam recte exposuit Rosenmüllerus his. „Minime est dubium, comparationem h. l. depromptam esse inde, quod in terris ad austrum et orientem sitis vinum vel etiam aqua nive refrigerari solet, unde Xenoph.

in Mem. 2, 1, 30: „„Ut suaviter bibas, et vina pretiosa tibi
comparas, et aestate circumcursans nivem quaeris,““ Plin. H. N.
19, 4: „„Hi nives, illi glaciem potant, poenasque montium in
voluptatem gulae vertunt. Servatur algor aestibus, excogitaturque,
ut alienis mensibus nix algeat.““ Plura de hac re dedimus
in libr. d. a. u. n. Morgenl. IV. p. 149 sqq. Hoc igitur dicit
paroemiastes: quemadmodum potus glacie vel nive refrigeratus
hominem aestivo tempore fatiscentem refocillat, ita legatus fidelis,
cum commissum negotium dextre et feliciter expedivit, et reversus
de mandato negotio feliciter gesto refert, animum
14. anxium ejus, qui ipsum misit, recreat.“ cf. 10, 26. — *Nubes et
ventus et nulla pluvia, sine pluvia Est *vir qui gloriatur de
dono mendaci*, nubibus cum vento, quas non sequitur exspectata
15. pluvia, similis est qui multa pollicetur, nihil praestat. — *Patientia
sibi persuaderi patitur princeps, Et lingua mollis frangit
ossa.* Quemadmodum vel ossa frangit, comminuit lingua mollis,
sic patientia valet ad flectendum severi principis animum. Indicatur,
ad flectendum principis animum plus efficere patientiam
16. quam aestum. — *Mel* si *inveneris*, in mel si incideris, *ede quod
tibi sufficit*, quantum sufficit ad sedandum appetitum, *Ne satieris
eo et evomas illud.* Rebus quibusvis oblectantibus moderate
utere, ne immodicus earum usus nauseam creet. „Quod mellis
reperti hic fit mentio, pertinet ad mel sylvestre, quod apes vel
in nudo solo, vel in cavis arborum, vel in fissuris rupium confe-
17. cerant.“ Ros. — *Rarum fac pedem tuum*, eum cohibens *a domo
amici tui*, ne nimis crebro adeas amicum tuum, *Ne satietur te
et odio te habeat.* In priore membro inest quae dicitur constructio
ad sensum, id est, construitur הוֹקִיר רֶגֶל cum מִן, quia in
illis verbis latet notio cohibendi pedis a. Ceterum cf. allatum
a Rosenmüllero proverbium arabicum „Visita raro, augebis amorem;
item persicum „Homines invisere indecorum non est, modo
18. toties non fiat, ut dicant: sat est.“ — *Malleus* bellicus *et gladius
et sagitta acuta* i. e. perniciosus Est *vir qui testatur in*, contra
alterum testis falsus, qui in alterum dicit testimonium falsum.
מֵפִיץ propr. Part. Hi. diffringens, hinc *malleus* bellicus i. q. מַפֵּץ
Jer. 51, 20. עָנָה constat etiam esse testimonium dicentis,
testari, item עָנָה בְּ plerumque esse *testari in*, contra aliquem.
Sed quod *testimonium* significare putant quod h. l. et Exod. 20,
16. Deut. 5, 18. additur עֵד, in eo falluntur viri docti. *Testem*

ut alias significat his quoque locis; est enim appositio Praedicati, ita ut עֹנֶה בְּרֵ' עֵד שָׁקֶר sit *zeugen wider Jmd als falscher Zeuge.*
— ***Dens fractus et pes abscissus,*** truncatus Est ***fiducia perfidi*** 19.
i. e. collocata in perfido fiducia *die angustiarum,* tempore calamitoso. Sensus: ut dens fractus qui inutilis est ad comminuendum cibum, ut pes truncus, quo nemo facile nitatur, tam anceps est fiducia tempore calamitoso posita in perfido. רֹעָה propr. inf. f. *fractio* a רָעַע. מוּעֶדֶת alii aliter explicant, in eo tantum consentientes, quod sit a מָעַד. Nonnulli, in his Gesenius, positum volunt pro מוֹעֶדֶת, ו correpto in וּ, cf. Lehrg. p. 309. Aliis, ut Kimchio, Rosenmüllero, Ewaldo, est Part. Pu. pro מְמוּעֶדֶת coll. לֻקַּח pro מְלֻקָּח 2 Reg. 2, 10., נֻחָמָה pro מְנֻחָמָה Jes. 54, 11. Aliis, ut Winero, est nomen, *vacillatio,* quod praetulerim. Quid vero, si מוּעֶדֶת sit Part. f. Ho. יָעַד verbi, significetque (pedem) *abscissum, truncatum, truncum* (cf. 26, 6.) a primario hujus verbi significatu *abscindendi?* Hanc autem hujus thematis vim primariam esse atque ab hac demum derivandum esse definiendi significatum meum ostendet Lexicon. cf. etiam arab. ועת *frangi,* de manu. — ***Removens,*** exuens ***amiculum die frigoris,*** die frigido, 20.
Acetum super nitrum, nitro infusum, ***Et cantans cantibus ad cor triste*** i. e. pallium in frigore ponere, acetum nitro infundere et moestis laeta carmina canere, ejusdem sunt rationis i. e. quemadmodum qui pallium in frigore ponit, qui acetum nitro infundit, res sibi contrarias et a se alienas facit, sic intempestive facit, qui laetos cantus canit afflicto. בֶּגֶד *involucrum, tegumentum, stragula*; propr. quod nos dicimus *Ueberwurf, Umschlag* (vid. Lex. nostrum), hinc vestis superior, *amiculum,* quo significatu gaudet hoc loco. נֶתֶר *nitrum, natron* recentiorum, germ. *Potasche,* quo, admixto oleo, saponis instar purgandis vestibus utebantur Jer. 2, 22. Acetum vero cum infunditur, effervescit, solvitur et vim suam amittit. Quod ipsum hoc loco respicitur. Cum A. Schultensio Ewaldus נֶתֶר *vulnus* jubet significare coll. arab. נתר findere. Quo ancipiti significatu facile cares. Plane nihil est, quod sensum postulare dicit, ut significetur aliquid, quod molestum sit *homini,* quod acerbe ferat *homo.* Neque enim in eo qui vel quod moleste fert aliquid, sed in ipso moleste ferendo tertium comparationis positum est. Jam cum nitrum acerbe ferat acetum, quippe contrarium sibi et a se alienum, nemo non videt, aptissimum esse nitri significatum. Fusius, ut solet, sensum

Pluralem כָּבוֹד nominis. Ewaldus: *contemnere honorem eorum, hominum, honor est,* frui nimio honore non solum periculosum est verum etiam dedecus affert; quin verus honor in honore hominum contemnendo potius cernitur. חקר idem significare jubet quod arab. חקר *contemnere,* ־ָם vero in universum ad homines referendum existimat. Quae interpretatio omnium maxime displicet. Ut taceam ־ָם relatum ad eos qui non adsunt (ex Ps. 4, 8. nihil in hanc rem efficies), contemnendi significationis in hebraico חקר nec vola nec vestigium est. Egregie fallitur vir doctus, cum existimat, ejus verbi radicem (imo duae sunt radices) propr. significare *minutum esse,* hinc active comminuere scrutando, hinc *scrutari,* et parvi facere, *contemnere.* Vid. Lex. a me editum. Praeterea quaesita est quae ex hac interpretatione prodit sententia. Gesenius in Thes. p. 515, b. *„comedere nimium mellis non est bonum,* וְחֵקֶר כְּבֹדָם כָּבוֹד, quae ad verbum esse possint *et investigatio honoris* i. e. nimium honoris studium (cf. חֵקֶר Job. 28, 3. et similem usum Job. 3, 21.), non est *honor* (negandi particula ex superioribus repetita Lehrg. p. 832). Sed molestum est Suffixum in כְּבֹדָם, et praestabit vocibus aliter divisis scribere: חֵקֶר כָּבֹד מִכָּבוֹד *nimium studium honoris* est *sine honore.* cf. ad מִן Gen. 27, 39. Jes. 14, 19. Job. 11, 15. 21, 9.“ Sed audacior haec mutatio et duriuscula interpretatio. Nos pro כְּבֹדָם legimus כְּבֵדִים quae mutatio sensum praebet quem supra expressimus aptum. Sic enim membra ita sibi respondent, ut priori posterius sit oppositum. *Difficilis, arduus* כָּבֵד est Exod. 18, 18. Num. 11, 14. et in specie difficilis ad intelligendum Ez. 3, 5. 6. Qui maluerit etiam כָּבוֹד voci significatum tribuere *difficultatis,* is eadem facta mutatione sensum habebit hunc: *et investigatio difficilium difficilis* est. Sed nusquam alias eum
28. significatum habet כָּבוֹד. — *Urbs perrupta sine muro* Est *vir cujus animo non est cohibitio.* Ut urbs privata muris, sic qui nescit animum coercere, se defendere nequit sed plurimis obnoxius est damnis.

1. CAP. XXVI. *Ut nix aestate, atque ut pluvia messe* tempestiva non est, id quod complendum ex altero membro, *Sic non decet stultum honor.* Ut nix aestati et pluvia messi, sic honor stulto non convenit. Rosenmüllerus: „Pluvia messis tempore in Palaestina ita est insolita, ut miraculi loco haberetur, quod ad Samuelis vocem tempore messis triticeae decideret pluvia 1

Sam. 12, 17 sqq. Et Hieronymus ad Am. 4, 7. se in fine mensis Junii sive in mense Julio in illis provinciis, maximeque in Judaea, nunquam pluvias vidisse scribit." Verum hoc loco non quod fieri solet, sed quod decet fieri, spectatur. Quemadmodum, hoc est quod vult, nix decidens aestate et pluvia messis tempore damnum afferunt terrae frugibus, sic perniciosus honor est stulto. Causa in promtu. — *Ut passer ad vagandum* est, *ut hirundo* 2.
ad volandum, i. e. ut passer amat, solet temere vagari, hirundo volare, *Sic exsecratio immerita non evenit*, nullum habet eventum. Sensum eleganter descripsit Aurivillius his: „Uti solent aviculae temere vagari, celerique volatu aliorsum tendere, sic maledicta sine causa et injuste in aliquem conjecta huic non ferient, in tenues dilabentur auras." Monet Rosenmüllerus, dicere Arabes, teste Schultensio, *sedit*, resedit *avis ejus*, in fausta comprecatione, quae effectum sortiatur, et in partem alteram, de homine levi et temerario, quales esse soleant qui male dicant, *volant passeres ejus*. Quae dictiones utrum hic respiciantur nec ne, definire non ausim. Certe illis non opus esse puto. Quod pro לֹא in Keri est לוֹ, expressum quoque in nonnullis libris, sensum fundit nullum. — *Flagellum equo, frenum asino,* 3.
Et virga dorso stultorum. Ut flagellum equo convenit, frenum asino, sic virga competit dorso stultorum, qui cum verbis non possint, debent verberibus emendari. cf. 10, 13. et 19, 29. —
Ne respondeas stulto secundum stultitiam ejus, Ne similis illi 4.
evadas tu quoque. „Convitiis cum stulto certare non debes et maledictis agere, ut agit ille, nec nugis nugas reponere, ne dum tete cum eo committendo ad similem abripi te sinas ineptam scurrilitatem, contentiosam dicacitatem et indomitam iram, ei similis efficiaris." Ros. cf. ad vs. proximum. — *Responde stulto* 5.
secundum stultitiam ejus, pro ratione stultitiae ejus i. e. ita ut ejus convincatur, *Ne sit sapiens in oculis suis*, ne sibi sapiens esse videatur. Observa, eleganter eadem verba alio sensu dici superiore, alio hoc versu. Supra enim *respondere stulto secundum stultitiam ejus* est stulto stulte respondere, hic vero stulto respondere ita, ut suae ille stultitiae convincatur. Ineptiunt igitur qui verba mutare volunt. — *Abscindit*, amputat *pedes,* 6.
truncat sibi pedes, *injuriam bibit, Qui mittit verba,* mandata *per manum stulti* i. e. nihil proficit in rebus suis, e contrario injuriam accipit cumulatam, ingerit sibi noxia quaeque, qui stulto

nuntio utitur. Hic est sensus loci. Quod in verbis מְקַצֶּה רַגְלַיִם non expressum est *cui*, indicio est, pedes intelligendos esse ipsius truncantis. Quod si reputasset, scripturam non mutasset Ewaldus. Jam qui *pedes sibi amputat*, is facultate se privat eundi et agendi. Itaque amputare sibi pedes proverbialiter dictum pro: se ipsum aliquem impedire quominus proficiat in rebus suis, nihil proficere in rebus suis. Quem eundem sensum cum voluptate video fecisse Winerum quoque in קָצָה. שֹׁתֶה חָמָס *bibere injuriam* est injuriam accipere pleno modio, cumulate. cf. Job. 15, 16. al. Aliorum interpretationes ne desint, has habeant lectores. Ac Rosenmüllerus quidem: „*Praecidit pedes, violentiam bibit, Qui verba, res mittit per manum stulti* i. e. qui stulto legationem aliquam aut opus peragendum committit provinciamque delegat, perinde est ac si ei pedes praecideret, qui ad legationem obeundam sunt necessarii. Destituitur enim iis facultatibus, quae fideliter, recte, sedulo et dextre obeundae legationi sunt necessariae, prudentia, industria, acumine et consilio, quae sunt veluti pedes in legatione“ cet. Ewaldus pro מְקַצֶּה legit מִקָּצֶה, quod praeter necessitatem fieri supra monuimus. Gesenius, quocum facit Umbreitus: „*Qui abscidit pedes* i. e. cui pedes abscissi sunt, is *bibit*, patitur *injuriam*, Sic *qui verba mittit per manus stulti* i. e. qui stulto nuntio utitur.“ De Wette: *Pedes truncat, injuriam patitur, Qui* cet. Quae utrum Rosenmülleri
7. an nostram interpretationem referant dici nequit. — *Laxa*, languida *dependent crura a claudo, Et sententia in ore stultorum* i. e. quemadmodum laxa dependent crura a claudo, sic languida dependet, languida, inepta est sententia in ore stultorum, dicta a stultis. Eundem sensum fecit Redslobus meus in Annal. philol. IV. 2. p. 219. fecitque de Wette. Similiter Gesenius et scriptor Lex. quod prodiit Grimmae. דַּלְיוּ pro דָּלְיוּ, דָּלוּ esse putamus a דָּלָה coll. Ges. gr. min. §. 74. adn. 4. 11. Certe in pluribus libris scriptum reperitur דָּלְיוּ. Haud quidem temere rejicienda est sententia Gesenii, qui veram habet sententiam nonnullorum Rabbinorum, דַּלְיוּ explicantium דָּלְלוּ, ut sit a דָּלַל, quum littera semivocalis geminata nonnunquam mollius et ita prolata esse videatur, ut pro altera geminata j audiretur, pariter atque in lingua italica, hispanica, gallica, in qua quidem postrema haec pronuntiandi ratio peculiari verbo *mouiller* exprimatur. Conferri inter se jubet *filia, fille, figliuola; familia, famiglia, famille* al.,

et in graecis latinisque *φύλλον* et *folium*, *ἄλλος* et *alius* al., item
in hebraeis דְּרִיוֹשׁ Esr. 10, 16. pro דְּרוֹשׁ. Sed quae ipsius in
Grammatica locis laudatis allata sunt exempla magis favere viden-
tur sententiae superiori. Fürstius nihil definit. Ewaldus דָּלְיוּ
legit, praeter necessitatem, opinor, quum דליו neque in Pausa
neque ante Pausam positum sit. Idem מִן comparandi particulam
esse docet in hanc sententiam: *languidiora sunt crura, quam
quibus utatur claudus* i. e. inutilia crura claudo sunt; aeque inu-
tile sententiose dictum in ore stultorum. Quod eodem redit, quo
nostra interpretatio, sed longiore et impedita via. Winerus et
Umbreitus: *Tollite,* auferte, tanquam rem inutilem *crura a
claudo, Et sententiam in ore,* quae est in ore *stultorum* q. d.
quid prosunt crura claudo? Similiter nihil prodest sententiose
dictum in ore stulti. דַּלְיוּ Imperativum Pi. דָּלָה verbi positum
pro דַּלּוּ habent. In qua interpretatione nolo equidem cum Ge-
senio in dubium vocare auferendi significatum, nam cum דָּלָה
significet haurire, exhaurire, propr. Exod. 2, 16. 19., impr. Prov.
20, 5., in Pi. vero extrahere, eripere, liberare Ps. 30, 2., vides
haud ita incertum esse significatum auferendi; sed quod displi-
cet mihi hoc est, quod extrahere, auferre crura claudo, senten-
tiam ori, inculti et duri quid habet, neque satis commodum est ad
id quod debet significari. Agmen claudat Rosenmüllerus, qui:
„*Elevatio crurum,* saltatio, quae *a claudo* fit i. e. claudi, *Et
parabola,* sententiose dictum *in ore stultorum* i. e. quam ridi-
culum se praebet claudus cum saltare tentat, tam risum movet
cordatis cum audiunt stultum sententiose, acute et ingeniose ab
aliis dicta proferre, quorum neque sensum, neque usum et appli-
cationem assequitur, sed ineptissime iis abutitur." In eandem
interpretationem jam inciderat Geierus; item Lutherus, qui: *Wie
einem Krüppel das Tanzen, also steht dem Narren an von
Weisheit reden.* דַּלְיוּ nomen habent pro דַּלְיוֹת coll. מַלְכוּ pro
מַלְכוּת. Sed incertior elevandi significatus, durior structura. —
Ut scrupulus lapidis, ut lapillus *in funda* i. e. ut qui lapillum 8.
ponit in funda, ut eum inde excutiat, vel quod praeferendum vi-
detur: *Ut torquere* i. e. ut qui torquet i. e. vibrat, emittit, excutit
lapidem funda, Sic est *qui dat,* tribuit *stulto honorem.* Sensus:
projicitur qui stulto tribuitur honor. צְרוֹר vel nomen est, idem
significans quod 2 Sam. 17, 13. Am. 9, 9., ita ut constructum
cum אֶבֶן notionem efficiat *lapilli*, vel Infinitivus צְרֹר verbi signifi-

cantis constringere, hinc *contorquere, torquere* i. e. vibrare, jacere, excutere, emittere, ita ut אֶבֶן faciat Objectum (latini quoque: contorquere, torquere jaculum, telum, fulmina al.). Utraque ratio et facillima est et sensum fundit maxime idoneum, ut mirari satis non possim, neutram in mentem venisse aliis. מַרְגֵּמָה *funda* est e. רָגַם, רגם jacere, projicere, ut lapides, sagittas. Bene Graecus Alex. (quanquam falsus in reliquis) *σφενδόνῃ*. *Fundam* significare מַרְגֵּמָה existimat Ewaldus quoque. צְרֹר vero is judicat esse *alligare*, hac sententia: *Ut alligare*, ut si quis alligat *lapidem fundae*, *Sic* est *qui dat stulto honorem* i. e. ut cum lapis fundae alligatur, funditori nullum usum praestare potest, sic perduntur honores, qui tribuuntur stultis. Idem jam expressit Graecus Alex. *ὃς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ κ. τ. λ.* quae verba Winerus in v. מַרְגֵּמָה recte est interpretatus. Sed artificiosus et quaesitus mihi hic sensus videtur. Multo autem minus probanda est Gesenii, Wineri, Rosenmülleri, Umbreiti, de Wettii et aliorum interpretatio haec: „*Ut sacculus lapidum* pretiosorum, gemmarum *in acervo lapidum, Sic qui dat stulto*, in stultum confert *honorem*: scil. utroque modo pretiosi aliquid profunditur; perinde facit, qui stulto honorem tribuit, ac si lapidum pretiosorum crumenam in congeriem aliorum lapidum projiciat, ubi ignoretur et proculcetur." Nusquam enim אֶבֶן de lapide pretioso dicitur, nisi ita, ut ea vis aperte indicetur quocunque modo. cf. Exod. 28, 9. 10. 11. 12. 17. 21. 31, 4. 5. 35, 27. 32. 33. Jes. 54, 12. Ez. 28, 13. 14. 16. Prov. 17, 8. Hic vero tantum abest ut gemmae certum reperiatur indicium, ut lapidis vulgaris significatio multo sit aptior. —

9. *Spina ascendit*, prominet *in manu ebrii*, *Et sententia*, sententiose dictum *in ore stultorum* i. e. acute dictum in ore stulti non est nisi ad alios laedendos, spinae instar quam manu tenet ebrius.

10. — *Sagittarius* vel *telum vulnerans omnes* Est *et qui conducit stultum et qui conducit praetereuntes* i. e. sagittario qui, vel telo quod obvium quemque promiscue ferit, similis est qui temere conducit obvium quemque. רַב ut Job. 16, 13. *sagittarius* vel, quod Jobi loco expresserunt omnes veteres, *sagitta, telum*. מְחוֹלֵל Part. PO. חָלַל verbi. Eodem modo verba reddunt de Wette et Ewaldus. Hic vero sensum hunc facit: ut qui obvium quemque temere vulneret sagittarius stulte agat, quia in suum damnum id faciat, ita stulte et in suum maximum detrimentum agere eum, qui proximum quemque conducat. Sed multo est

simplicius et aptius ponere tertium comparationis in כֹּל. Ita jam J. F. Schelling: „*Ut sagittarius temere vulnerans omnes, sic conducens stultum, conducens praetereuntem quemvis.* In alia omnia abeunt et antiquiores et recentiorum reliqui. Rosenmüllerus: *Magnus terrore afficit omnes, Et conducit stultum, et conducit transgressores.* „*Magnus* s. *potens*, eum intellige, qui potentia et opibus suis ad exercendam violentiam, tyrannidem, et lasciviam abutitur, non curat jus fasque, sed *contremiscere facit omnes* . . . חוֹלֵל referendum h. l. est ad *tremoris* notionem, qua verbum חוּל pollet . . . Job. 26, 5. intransitive *contremiscendi* significatu legitur. Hic vero suam vim transitivam obtinet, *contremiscere facere*, terrore afficere. Terrori autem est potentia et opibus abutens maxime eo, quod *et conducit stultum*, dum impios et temerarios homines tanquam suae proterviae administros sibi adsciscit suoque sumtu alit, *et conducit transgressores* praeceptorum divinorum et humanorum. Verbum עֹבֵר nude positum h. l. *transgressionem* notat omisso nomine legis . . . Ostendit hoc dictum tyrannicam magnatum indolem, qua omnibus terrori fiunt, dum nullis sumtibus parcunt, quibus ad alios opprimendos et affligendos adsciscant sibi suae nequitiae socios et administros . . . Alii רַב *magistrum* et peritum in sua arte h. l. designare putant, unde et Rabbinum vocant, quasi doctrina praestantem, מְחוֹלֵל vero *formantem* notare, hoc integri versus sensu: magister, qui in sua pollet arte, peritus artifex, omnia format, et per se sua facit opera, aut si ipse sufficere non possit, nonnisi peritorum opera utitur, *at stultus conducit, et conducit* quidem *transeuntes* i. e. ignavos opifices et contra leges artis delinquentes, vel obiter et quasi in transitu opus facientes et illud corrumpentes . . . Umbreitus רַב et כֹּל neutraliter dictum et se invicem respicere ratus, versum sic explicat: *Multum producit*, comparat, acquirit *omne*, ubi multum adest, ibi feliciter procedunt omnia i. e. qui multa prudentia pollet, omnia perficere et consequi potest; *sed qui conducit stultum, similis est ei, qui conducit praetereuntes*, i. e. nihil consequitur." In quibus interpretationibus ea, quam Rosenmüllerus sequitur, non caret vi, quum desit certa nota, quae indicet, רַב intelligendum esse de homine violento, כְּסִיל de improbo, et temerario, עֹבְרִי vero de tali qui migret legem. Accedit quod חוֹלֵל Job. 26, 5. intrans. *contremiscere* significat. Ad eam, quae רַב

magistrum, qui multum valet in aliqua re, *artis peritum* significare jubet, quod attinet, ea hoc potissimum laborat, quod is significatus nonnisi apud recentiores Judaeos viget. Nihilo secius eam interpretationem Gesenium quoque sequi video, ita tamen, ut hemistichium posterius aliter struat. Sic vir illustris: *Magister creat omnia*, artifex peritus omnia bene perficit; *Et, sed qui stultum conducit, conducit transeuntes.* Quid? quod dudum sic interpretatus est divus Lutherus, qui: *ein guter Meister machet ein Ding recht, aber wer einen Hümpler dinget, dem wirds verderbet.* Quae ab Umbreito proposita est prioris hemistichii
11. explicandi ratio quaesita videtur. — *Ut canis qui redit ad vomitum suum*, ad vorandum id quod evomuit, Sic *stultus* est *qui*
12. *iterat*, pergit agere *in stultitia sua.* — Si *videris hominem sapientem in oculis suis*, hominem, qui sibi sapiens esse videtur, *Spes major* est *stulto quam illi*, scito majorem spem esse, fore, ut sapiat stultus, quam ut sapiat is qui sibi sapere videtur, quum non sapiat. Talis enim doctrinam omnem detrectabit, quum homo incultus eam fortasse sit admissurus. רָאִיתָ accipi-
13. endum ut חָזִיתָ 22, 29. 29, 20. al. — *Dicit piger: leo* est *in via*, *Leo inter plateas.* Ridicula inertiae excusatio. Eandem
14. simillimis verbis legimus 22, 13. — *Janua vertit se super cardine suo*, *Et piger super lecto suo.* Ut janua tarde suo in cardine movetur, non promovetur, sic piger in lecto suo nunc
15. hanc nunc illam in aurem revolvitur, divelli nescius. — *Abscondit*, alte immergit *piger manum suam in paropsidem; Piget eum referre eam ad os suum.* Eadem, paucis mutatis, leguntur
16. 19, 24. — *Sapientior* est *piger in oculis suis*, sapientior sibi videtur piger, *Quam decem qui scite*, prudenter *respondent.* Rosenmüllerus: „quod piger sapientiorem se pluribus judicio et ratione praeditis habere dicitur, pertinet vel eo, quod, quum ipse nihil agat, quae alii instituunt aguntque dijudicat carpitque atque ex eventu externoque aestimat adspectu; vel quod, dum tranquillam inertis otii quietem tanquam summum bonum se reperisse arbitratur, prudentiorem se habet sapientibus, quos perpetuis videt defatigari compellationibus, consultationibus publicisque muneribus obeundis.“ Propius veritatem posterius videtur. Pigritia hic est animi pigritia ejus, qui, quum se satis sapientem opinetur, in eo quod scire opinatur acquiescit. Scite respondere positum pro sapere, quia respondendo potissimum cernitur ju-

dicium. Ad שִׁבְעָה cf. infra vs. 25., supra 24, 16. — *Prehendit* 17.
aures canis, Qui praeteriens irritatur lite non sua i. e. qui in
transitu, non advocatus, praeter rem et causam irritari se patitur
lite aliena, ei se immiscet, similis est illi qui aures vellicat canis
i. e. abs re sibi damnum creat, quia qui canis vellicat aures, eum
excitat ad se mordendum. — *Ut insanus, qui jaculatur malleo-* 18.
los, Sagittas et mortem, — *Sic* est *vir* qui *decipit alterum, Et,* 19.
dein *dicit: nonne jocor ego?* Qui temere fraudat per jocum,
haud minus perniciosus est, quam qui mortiferis telis ludit in-
sanus. Docet igitur, ne per jocum quidem alterum fraudandum
esse, quippe ex quo facile eadem nascantur mala, quae oriantur
ex eo, si insanus telis ludat mortiferis. De מִתְלַהְלֵהַּ Gesenius in
Thes. p. 744.: „לָהַהּ, ut equidem suspicor, i. q. לָהַג, לָהָה pr.
gravissima siti arsit, idque cum canum rabidorum sit, *rabiosus
fuit* canum instar, *insaniit.* Sic intelligo Hithpalp. הִתְלַהְלֵהַּ pr.
siti fatiscens (pingit autem forma geminata crebros anhelitus
canis hominisve celeri cursu et solis ardore confecti), inde *ra-
bidus, insanus fuit* . . . Alii, ut Alb. Schultens, Simonis, J. D.
Michaelis al. coll. arab. لهى *lusit,* interpretantur: *sicut is qui
ludendo jaculatur sagittas:* non inepte ad contextum. Sed
illud praefero, utpote linguae hebraeae veterumque auctoritate
magis firmatum." Praeferenda haud dubie significatio *insaniendi.*
Eam vero simplicius et brevius quam a *fatiscendo siti* derivan-
dam putamus a *balbutiendo* (cf. ad 20, 25.): insanientium enim
lallare est, balbutiente ore edere voces. Fürstius nihil definit.
Ad stirpem vero quod attinet, is negat se videre, quid neotericos
perduxerit, ut participii מִתְלַהְלֵהַּ radicem לָהַהּ et imperfecti תֵּלַהּ
radicem לָהָה dicerent, cum utriusque radix sit לה. Vides con-
fundere virum doctum radicem et stirpem pro more Judaeorum.
Quid sibi vult radix, ubi agitur de stirpe? Utriusque et מִתְלַהְלֵהַּ
et תֵּלַהּ radicem esse לה, nemo negat. Sed eandem utriusque
stirpem esse, hoc negant, et recte quidem, quum in מִתְלַהְלֵהַּ
tertia radicalis sit ה mobile, ita ut stirps sit לָהַהּ, contra in תֵּלַהּ,
in quo non comparet, cum sit Imperf. apoc., quiescens, a לָהָה
(cf. תֵּכַהּ a כָּהָה). — *Ubi deficiunt ligna, exstinguitur ignis, Et* 20.
ubi non est susurro, silet, cessat *rixa.* cf. 16, 28. — *Carbo-* 21.
nes prunis, et ligna igni, Et vir rixosus accendendae liti.
Quemadmodum carbones sunt accendendis prunis, ligna accen-
dendo igni, sic vir rixosus accendit litem. De מְדוֹנִים et מִדְיָנִים

22. vid. ad 18, 19. — *Verba susurronis* sunt *sicut cupedia; Et*
descendunt in penetralia ventris. Eadem iisdem verbis legi-
23. mus supra 18, 8., ubi vid. quae adnotavimus. — *Argentum*
scoriarum, nondum purgatum, *obductum testae* Sunt *labia ar-*
dentia et cor malum. Sermones amorem ardentem testantes,
si sunt conjuncti cum animo malevolo, similes sunt testae ob-
ductae auro spurio, quae aliquam quidem pretii speciem habet,
24. intus vero nil nisi vilis testa est. — *Labiis suis dissimulat osor,*
25. *Et in pectore suo reponit fraudem.* — *Cum gratam reddit*
vocem suam, cum blande loquitur, *ne fidem habeas ei, Nam*
septem abominanda sunt *in corde ejus,* nam innumera in animo
26. recondita habet scelera. — *Tegit se odium simulatione; Rete-*
gitur, palam fit *malitia ejus,* osoris *in concione.* Sensus:
quacunque simulatione clandestinus inimicus odium suum tegat,
tamen aliquando in publico populi conventu inter consultandum
et perorandum palam fiet illius malitia. Rosenmüllerus tamen dici
putat: tegere osorem odium suum callide dissimulando usque ad
tempus opportunum, quo illud tuto prorumpere sinere possit, id
quod exprimi existimat verbis quae sequuntur. תִּכַּסֶּה quod Ge-
senius in Thes. non memoravit, Fürstius vero perperam retulit
inter formas Pielicas, quasi scriptum sit תְּכַסֶּה, est Hithp. pro
תִּתְכַּסֶּה, cf. הִכּוֹנֵן pro הִתְכּוֹנֵן. רָעָתוֹ cum scribit scriptor, in mente
27. habet osorem. — *Qui fodit foveam, in eam cadit; Et qui vol-*
vit saxum, sursum, puta, *in eum* id *redit,* recidit. Similia vid.
Ps. 7, 16 sq. Sir. 27, 25 sq. *ὁ βάλλων λίθον εἰς ὕψος ἐπὶ κεφα-*
λὴν αὐτοῦ βάλλει . . . ὁ ὀρύσσων βόθρον εἰς αὐτὸν ἐμπεσεῖται κ.
28. *τ. λ.* — *Lingua fallax,* homo fraudulentus *odit miseros suos*
i. e. eos quos constituit opprimere, ut si germanice dicas *ihre*
Opfer, Et os laevum, fallax *efficit,* parat *ruinam.* Hemistichium
prius alii aliter interpretantur. Rosenmüllerus: *lingua falsita-*
tis, homo falsiloquus *odit contritos suos,* i. e. eos, quos suis
mendaciis laesit et oppressit, non quod mali quidpiam ipsi con-
tulerint, sed quod existimat, se odio haberi ab iis. Umbreitus:
lingua fallax odit a se atterendos. De Wette: *lingua fallax*
odit eos quos conterit. Gesenio in Thes. p. 338 sq. דַּךְ h. l.
est *contundens,* met. *castigans* verbis, reprehendens (coll. Job.
19, 2.), ut hic prodeat sensus: *lingua mendax,* homo mendax
odit castigantes eum. Sic jam Lutherus: *eine falsche Zunge*
hasset, der ihn straft. cf. LXX. *γλῶσσα ψευδὴς μισεῖ ἀλήθειαν.*

Similiter nos in Lex. minori. Sed reliquis quibus דַּךְ legitur locis constanter *afflictum, miserum* significat. Ewaldus pro דַּכָּיו legi jubet אֲדֹנָיו in hunc sensum: *lingua mendax odit dominum suum* i. e. eum qui illa utitur, ut qui lingua mendaci utitur ipse sibi nocere, perniciem afferre dicatur, quem sensum postulare putat membrum posterius. In eo tamen os laevum nonnisi simpliciter *ruinam parare* dicitur, non dicitur, cuinam. Itaque simplicissimum et tutissimum videtur acquiescere in interpretatione supra prolata, ut homo fraudulentus dicatur odio prosequi quos statuerit reddere miseros.

CAP. XXVII. *Ne glorieris de die crastino,* de gerendis 1.
rebus die crastino, *Nam nescis, quid pariturus sit dies,* quid eo, die crastino sit eventurum! Umbreitus hemistichium posterius: *nam nescis, quid pariturus sit dies hodiernus.* Ita et Ewaldus, monens, per se intelligi, significari diem proximum, hodiernum. Rosenmüllerus vero optionem facit eligendi. „Dies, inquit, intelligi potest vel *hodiernus*, vel *crastinus*, nam alterutro fieri potest, ut aliquid superveniat, quod impediat, ne quod tibi proposueras efficere possis. Notum illud Romanum adagium: nescis quid serus vesper vehat.“ Nos vero, quum יוֹם articulo munitum non sit, non dubitamus, quin intelligendus sit dies qui membro priore memoratus est *crastinus*. *Hodiernum* si intelligi voluisset scriptor, *oppositio* omnino articulum postulasset. Ea ipsa de causa quod dies intelligendus est ante memoratus, Syrus יוֹם posterius non expressit. Ceterum cf. etiam illud Senecae: Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut possit sibi polliceri. Res deus nostras celeri citatas Turbine versat. —
Laudet te alienus, neque os tuum, nec tuum ipsius os, *Pere-* 2.
grinus, nec labia tua, tua ipsius labia! — *Gravitas* est, gravis 3.
est *lapis, et onus arena; Et,* sed *aegritudo stulti gravior utroque.* Hemistichium posterius Rosenmüllerus: *„sed ira stulti gravior,* intolerabilior est *utroque.* Similiter Siracides 22, 17. arenam dicit et salem et massam ferri facilius esse ferendam, quam hominem imprudentem et fatuum.“ Sed hic si sensus est, pro *ira* exspectabas *dementiam, perversitatem* vel simile quid. Vix dubium, quin כַּעַס ut supra 21, 19. et alias significet *aegritudinem, moerorem,* ita ut gravis quidem lapis, gravis arena, sed gravior utroque aegritudo dicatur, qua se cruciari patiatur homo stultus. In eadem sententia Umbreitus et alii. — *Crudelitas,* 4.

crudelis est *furor*, *et effusio* i. e. torrens, torrenti rapido simi-
lis, impetuosa est *ira; Et,* sed *quis consistet coram zelotypia,*
sed zelotypiam quis sustinere poterit? „nemo tolerare potest
fervorem, qui solet violati conjugis esse in suspecta matrimonii
fide. Sententia similis ei, quae supra 6, 34. 35. legitur. Unde
non cum aliis קִנְאָה de *invidia* capiendum censemus, quasi hoc
dicatur, coram invido neminem versari incolumem, illumque non
solum clam aliorum fortunae succensere, verum et de invertenda
eorum felicitate machinari." Recte. Sed certius quam locus
laudatus *zelotypiae* indicium est hujus ipsius quem tractamus
loci natura et color. Neque enim qui est invidi, sed qui est in-
censi propter suspectum amorem animi, solet esse crudelis et
5. impetuosus. — *Melior* est *reprehensio retecta,* manifesta,
Quam amor occultus, qui se non exserit reprehendendo amico,
ubi opus est: nam reprehensio occulta amor occultus. cf. Cic.
Lael. 25: Ut igitur et monere et moneri proprium est verae ami-
citiae, et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter
accipere, non repugnanter; sic habendum est, nullam in amicitiis
pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assenta-
tionem. Senec. Ep. 25: quod ad duos amicos nostros pertinet,
diversa via eundum est: alterius enim vitia emendanda, alterius
frangenda sunt. Utor libertate tota: non amo illum, nisi offendo.
Plaut. Trinum. Act. I. Sc. 2, 57: Sed tu ex amicis certis mihi es
certissimus, Si quid scis me fecisse inscite aut improbe, Si id
me non accusas, tute ipse objurgandus es. Publ. Syr. Sent. 30:
6. amici vitia si feras facis tua. — *Fidelia* sunt *vulnera amici*, ab
amico inflicta, i. e. sincerae sunt asperiores monitiones amici,
Et larga, crebra, multa *oscula osoris*, inimici. Rosenmüllerus
hemistichium posterius: *et,* sed *fallacia* vel *offensiones* sunt
oscula inimici. Quam interpretationem monet offerre consonum
arab. עָתַר *caespitavit, caespitans cecidit*, quod in arabicis Bibli-
orum translationibus et hebraico נָגַף, ut Deut. 1, 42., et graeco
προσκόπτειν saepe respondeat. Hinc participium נַעְתָּרוֹת vel
fallacia (oscula) esse, vel pro nomine positum *caespitationes,
offensiones,* oppositas נֶאֱמָנִים *firmis, fidelibus.* Unde bene hunc
locum Levi Ben Gersom ita explicare: מַרְאֶה לוֹ אַהֲבָה לְהַכְשִׁילוֹ
וּלְהַפִּילוֹ *amorem ei commonstrat* osculis, *ut praecipitem eum
deturbet.* Concinere Hieronymum, qui *fraudulenta* reddat. In

eadem sententia est Ewaldus. Gesenius vero, Winerus, de
Wette, Umbreitus et alii נַעְתָּרוֹת *larga* interpretantur, et recte
quidem. Nam multis modis certior hic significatus (cf. Ez. 35,
13. et עֲתֶרֶת Jer. 33, 6.) nec necessarius alter, quum *osoris* os-
cula non possint non esse fraudulenta. Ceterum in עָתַר quoque
intelligitur, quam longe etiamnum a recta ratione inquirendi in
verborum et significatuum origines absint viri docti. Tria עָתַר
verba ponit Winerus, quorum unum significet supplicare, alterum
abundare, tertium fumare. Duo certe Gesenius et Fürstius, unum
fumandi, hinc supplicandi, alterum abundandi significatu praedi-
tum. Unum tantum est, idque proprie significat *dispergere,*
quippe conflatum ex dividendi et spargendi radicibus. Ab hoc
dispergendi significatu proficiscitur et suffire (cf. קָטַר), hinc
adorare, supplicare, et diffundi, redundare, largum esse (cf. עָשַׁר).
— *Anima satura pedibus calcat favum; Et anima esuriens,* 7.
hanc vero quod attinet, *omne amarum dulce* est. Satur quan-
tumvis grata fastidit, esurienti dulcia sunt quantumvis amara. cf.
Hor. Sat. 2, 2, 38: Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. —
Ut avis quae vagatur procul a nido suo, Sic vir qui vagatur 8.
procul a loco suo i. e. a sede patria, domestica. Multa inania
ad hunc locum protulit Rosenmüllerus. Recte vero Umbreitus
dehortari sententiam dicit de sede patria temere relinquenda. —
Unguentum et suffitus laetitia afficit, exhilarat, suaviter afficit 9.
cor; Et, sed *dulcedo amici sui* cujusque, amici quem quis
habet, est, proficiscitur *ex consilio animi,* ex sincero animi
consilio, quo amicus consulit amico. Sensus: suave est unguen-
tum, suavis suffitus; sed dulcior utroque amicus, qui fidele dat
consilium. Inconcinna et quaesita est Umbreiti posterioris
membri interpretatio haec: *et dulcedo amici quem quis habet*
potior est *consilio sui ipsius,* proprio. — *Amicum tuum et* 10.
amicum patris tui ne deseras, eorum amicitiam conserva; *Et,*
sed *domum fratris tui ne ingrediaris die calamitatis tuae,*
tempore calamitoso. Docet, sincerum amicum tempore adverso
fratri praeferendum esse. cf. 18, 24. Pro רֵעֲה st. cst. ex רֵעָה,
Keri רֵעַ legi jubet, ut concinat cum praecedente רֵעֲךָ. Praeter
necessitatem. *Melior* est *vicinus propinquus, quam frater*
longinquus, qui etsi ad juvandum sit paratior illo, tamen, quum
remotior sit, non poterit tibi justo tempore adesse. Rosenmül-
lerus: *Melior* est enim *vicinus* cet., quasi hoc comma rationem

reddat praecedentium. Sed tantum abest, ut hoc modo haec
cum illis cohaereant, ut pugnent cum illis nec possint nisi sinistra
manu iis adnexa esse. Nam qui vicinum propinquum meliorem
dicit fratre longinquo, is ut concessum sumit, si in vicinia sit
frater quoque, praeferendum fratrem esse, id quod contrarium
est iis quae proxime praecedunt. Quod miror et Umbreitum
11. Ewaldumque et alios fugisse. — *Sapiens esto, mi fili, et lae-
titia affice cor meum, Et respondebo conviciatori meo* i. e. et
habebo quod respondeam exprobranti sobolem male moratam.
וְשַׂמַּח לִבִּי Umbreitus nescio qua negligentia: *et laetatur cor
12. meum.* — *Prudens videt malum* et *occultat se; Simplices,*
imprudentes vero *praetereunt* vel *pergunt,* et *poenas dant.*
Vid. ad 22, 3. ubi eadem iisdem verbis habentur, si discesseris
ab eo, quod pro וְיִסָּתֵר hic legitur נִסְתָּר, item quod ante hoc ipsum
verbum et ante נֶעֱנָשׁוּ hoc loco omissa est copula, praeterea pro
וּפְתָיִים hic פְּתָאִים scriptum est. Quibus mutationibus brevitati
13. et verborum aequalitati consulere voluit scriptor. — *Aufer ve-
stem ejus, nam spopondit pro alieno! Et loco peregrinae,*
meretricis (cf. ad 23, 33.) *ab eo cape pignus!* Vid. ad 20, 16.,
ubi eadem leguntur, nisi quod pro נָכְרִים hic est נָכְרִיָּה, quo sen-
sus loci in eo tantum mutatur, quod hoc loco sponsor spopon-
disse sumitur pro meretrice. Fortasse tamen ne mutatur quidem.
Constat enim, duas voces ejusdem potestatis sed generis diversi
copulatas quandoque significare rei universitatem, ut Jes. 3, 1.
Quare quum נָכְרִי idem significet quod זָר, et quod est in poste-
riore membro נָכְרִיָּה respondeat זָר voci in priore, haud improba-
bilis nostra videbitur conjectura, si conjicimus, voluisse זָר et
נָכְרִיָּה vocibus scriptorem nihil aliud nisi *alienum s. peregrinum*
14. *quemcunque* significare. — *Qui laudat,* salutat *alterum voce
magna,* alta voce *multo mane, Imprecatio,* pro imprecatione id
ei ducitur, „perinde ei habetur, ac si illi, in quem sese nimis
studiosum exhibet, imprecaretur. Dicta est sententia in adulatores
et nimios aliorum laudatores.“ Ros. Similiter statuit Umbreitus
coll. 26, 25. Fortasse tamen superstitiosi quid subest. —
15. *Stillicidium trudens,* continuum, in quo gutta guttam trudit *die
imbris,* pluvioso, *Et mulier rixosa sibi similia sunt.* Simil-
lima habes 19, 13. נִשְׁתָּוָה (pro נִתְשַׁוָּה) Nithp. i. e. forma mixta
ex Hithp. et Niph. a שָׁוָה. Rosenmüllerus: „ad mulierem refer-
tur, per zeugma vero ad utrumque pertinet.“ Verum non femi-

nimum sed masculinum est נִשְׁתָּוָה idque positum pro neutro, ita ut proprie significet *simile est*. Gesenius: *stillicidium tempore pluviae et mulier rixosa metuenda sunt*, coll. chald. שְׁוָה Ithp. *timuit*, spretae aequandi significationis hanc afferens causam, quod nunquam in Proverbiis res comparandae tam frigido comparandi vocabulo inter se jungantur. Sed haud raro ponitur comparandi particula, ut in hac ipsa libri parte 25, 13. 26, 1. 2. 8. 11. 18. 19. 27, 8., quod eodem profecto redit. cf. etiam vs. 20. ubi tertium comparationis bis positum. Adquiescimus igitur in significatu usitato. Jam Vulg. *comparantur*, Graecus Ven. *ἰσοῦται*. — *Qui cohibet eam, cohibet ventum*, qui mulierem rixo- 16.
sam cohibere conatur, ventum cohibere studet i. e. impossibilia tentat, *Et oleum dextra ejus provocat*, arcessit i. e. ejus dextrae oleum opus est i. e. ejus dextra brevi se sentiet unguibus laceratam rixosae mulieris: oleo enim mitigantur vulnera Jes. 1, 6. Hic mihi difficiliorum verborum sensus esse videtur. קָרָא ut 18, 6. Superiorum interpretationes aliae jejunae, contortae aliae, aliae omni carentes sensu. Rosenmüllerus repetito צָפַן et יִקְרָא relative accepto: *„et* abscondere studet *oleum dexterae suae*, quod *clamabit* i. e. perinde agit, ac si unguentum odorificum, quo dextram suam perfudit, occultare vellet, quod tamen suo se odore prodit, et quasi clamat." Idem esse monet, „qui clamandi verbum referant ad virum, qui, cum unguentum, quo se inungere velit, e dextera ejus effluat, illud revocare, vel voce sua sistere conetur, sed incassum: haud magis quicquam proficere eum, qui rixosam mulierem cohibere conetur." Mitto alias ab eodem prolatas superioris aetatis ineptas interpretationes. Umbreitus: *et oleum dextra ejus prehendere* (quod קָרָא nusquam significat) *conatur* i. e. perinde facit, ut si velit oleum manu prehendere. In eundem sensum Ewaldus יקרא efferri jubet יִקְרֶה hac sententia: *et oleo dextra ejus obviam venit*, illud prehensura, quum prehendi nequeat. De Wette, *et oleum dextrae ejus vocat*. Quo sensu? — *Ferrum ferro acuitur, Et alter alterius vultum* 17.
acuit i. e. quemadmodum ferrum ferro acuitur, sic alter alterius iram excitat, sic irati se invicem irritant. *Acuere vultum* alterius: eum irritare, ut vultu torvo et minaci te intueatur. cf. Job. 16, 9: יִלְטוֹשׁ עֵינָיו לִי *acuit oculos in me*, torvis, minacibus me intuetur oculis. De vultu irati פָּנִים dicitur et Thren. 4, 16. Concinit Rosenmüllerus qui: „similitudinem

plerique existimant hoc docere, homines mutua conflicta-
tione, conversatione, colloquio et institutione fieri peritiores
et exercitatiores. Ita Jarchi: discipuli sapientiae exacuunt alii
alios in studio sapientiae. Sed rectius Aben-Esra videtur ad
iram referre, ut quae פָּנִים *vultus* nomine intelligatur, in quo ira
conspicitur, ut sit sensus: sicut ferrum ferro acuitur, sic alterius
aestu acuitur quis ad mutuam contentionem et iram.“ Item de
Wettius. Gesenius vero priorem sensum exprimit: *et vir acuit*
vultum i. e. obtutum, aciem mentis et ingenii *socii sui*. יָחַד
prius Gesenius, Rosenmüllerus, Umbreitus, Fürstius et alii Impf.
Kal habent positum pro יָחוֹד, posterius Impf. Hiph. pro יַחַד. cf.
Ges. gr. min. §. 66. adn. 8. Nobis utrumque Hi. esse, prius
vero pro intransitivo *acutum fieri* sumtum videtur. cf. הִשְׁמִין
pinguem fieri, propr. pinguedinem facere, et alia apud Ges. l. l.
§. 52, 2. Ewaldus praeter necessitatem utroque loco יָחַד legit
18. et פְּנֵי pro לִפְנֵי positum putat. — *Qui servat ficum, edit fructum*
ejus, Et qui custodit dominum suum, honoratur. Ut qui curat
ficum suam, laboris sui praemium feret fructum, sic qui observat
dominum suum hoc diligentis obsequii praemium feret quod ho-
19. nore afficietur. — *Ut aquae* ostendunt *faciem adversus faciem,*
Sic cor hominis adversus hominem est. Membrum prius om-
nes: *ut in aquis* (cf. Ges. gr. min. §. 116. adn.) est *facies ad-*
versus faciem. Praeter rem, opinor. Sensum Rosenmüllerus
hunc facit. „Ut in aquis facies faciei respondet, ita ut eandem,
quam aquis faciem ostendis, illae tibi reddant, ut ridenti respon-
deat ridens, moerenti moerens, austerae austera, sic cor hominis
homini respondet i. e. prout erga alterum se gerit quisquam, eum
vicissim fere experietur, fidelem, si fidelis, amicum, si amicus,
et contra . . . Quod Germani dicunt: qualis ad sylvam vox mit-
titur, talis illinc echo repercutitur.“ Umbreitus describi putat
bellum omnium contra omnes. Nos inspicere in alterum tan-
quam in speculum quemque dici existimamus. In qua eadem
20. sententia est Ewaldus. — *Orcus et barathrum non satiantur,*
Et oculi hominis non satiantur. אֲבַדֹּה exitium, hinc *locus*
exitii. Fürstius et alii אֲבַדּוֹ efferunt, quod ortum putant ex
אֲבַדּוֹן, quod ipsum legi jubet Keri. Sensum bene descripsit
Rosenmüllerus his. „Ut insatiabilia sunt sepulchrum et orcus,
quae quotidie nova, quantacunque imponas, admittunt et devo-
rant, sic hominum cupiditas nunquam expletur; quamdiu vivit,

semper plura appetit. *Oculis hominis* notatur ejusdem cupiditas, per oculos se exserens." cf. Eccl. 1, 8. 4, 8. — *Catinus* 21.
argento et fornax auro, Et quisque ori laudationis ipsius
i. e. quod catinus argento est et fornax auro, id quisque sit laudi
qua afficitur i. e. ut catino argentum, fornace aurum exploratur,
sic suam quisque laudem, laudem qua ornatur ab aliis, diligenter
examinet. Sic jam Gesenius, Winerus, de Wette, Umbreitus. Impeditae sunt quotquot praeter hanc excogitatae sunt interpretationes, velut a C. B. Michaeli: ut argentum et aurum probantur
liquatione, sic *vir* probatur *pro ratione laudis suae* i. e. prout
laudes sibi ab aliis tributas aequo animo ferri potest; a Rosenmüllero: . . . sic *vir secundum laudem suam* i. e. secundum
pretium ejus rei quam ipse laudat, quae ipsi placet; ab Ewaldo:
sic *quisque pro ratione ejus quo gloriatur.* Hemistichium
prius iisdem verbis legitur supra 17, 3. — *Si contuderis stul-* 22.
tum in mortario Inter media polenta pistillo, non recedet ab
eo stultitia ejus. Quomodocunque tractaveris stultum, non
patietur se emendari. — Vs. 23—27. elegans agriculturae com- 23.
mendatio. *Diligenter cura,* sedulo lustra *faciem pecoris tui,*
da operam, ut oves tuae et capreae quales sint, qui status earum,
bene noveris, *Adverte animum tuum ad greges.* — *Non enim* 24.
in perpetuum opes, neque enim semper durant opes, incertae
sunt opes, quibus confidunt qui rem pecuariam negligunt; *Num*
diadema in omnes manebit *aetates,* num honorum munerumque
splendidorum nullus unquam erit finis? Pro לְדֹר דּוֹר Keri לְדֹר
וָדֹר. — Sponte terra producit hominum pecudumque alimenta. 25.
Migravit i. e. invectum est in horrea *gramen,* intellige foenum, et
conspiciuntur germina tenella, ejusque loco conspiciendum se
praebet viror novus, *Et colliguntur olera montium* fontibus
irriguorum herbarumque optimarum feracium (cf. Ps. 147, 8.).
— *Agni* sunt *vestimento tuo,* vestiunt te ovium lana et pelles, 26.
Et pretium agri sunt *hirci,* et hirci tibi sunt, quorum venditorum pretio emere agrum potes. cf. Ez. 27, 21. — *Et satis lactis* 27.
caprini est *Ad cibum tuum, ad cibum domus tuae Et* ad *victum*
vel *et victus* est *puellis,* ancillis *tuis.*

CAP. XXVIII. *Fugiunt, et nemo persequitur,* etsi nemo 1.
persequatur, *improbi,* acti mente male sibi conscia, *Et,* sed *justi*
leonis instar securi sunt, nihil sibi timent. In priore membro
Singularem cum Plur., in posteriore Pluralem cum Sing. con-

structum vides. Causam dabit Ges. gr. min. §. 143, 1. et 4. Ewaldus et alii יִבְטַח non ad צַדִּיקִים sed ad כְּפִיר referendum pu-
2. tant. — *In defectione*, rebellione *terrae* alicujus, cum rebellionem facit regio aliqua, *multi* sunt *principes ejus; Et*, sed *ubi homines*, cives sunt *intelligentes, prudentes: sic*, sic si est, hac conditione *diuturnus est* princeps, diu regnat princeps. Omissum יַאֲרִיךְ verbi Subjectum nullam habet difficultatem, quum *principem* esse statim intelligatur e verbis parallelis רַבִּים שָׂרֶיהָ. כֵּן Umbreitus *rectum* existimat significare (cf. ad 15, 7.), ita ut construendum sit cum יֹדֵעַ in hanc sententiam: *sed ubi homines* sunt *prudentes, intelligentes rectum*, quod rectum est: *diuturnus est* princeps. Languere judicat כֵּן, si signum sit apodoseos. At non merum apodoseos signum est כֵּן, sed conditionem cum vi repetens, ita ut nihil hic languidi sit. Nihilo secius non valde repugnabo, si quis maluerit voculam ea ratione, quam secutus est Umbreitus, struere cum יֹדֵעַ, hac de causa, quod quanquam non necessarium, aptum tamen complementum efficiet, praesertim quum יֹדֵעַ cum מֵבִין non sit junctum copula. In omnia alia abiit Rosenmüllerus. Is: *Per defectionem terrae* alicujus *multi* sunt, existunt *principes ejus, Et*, sed *per hominem intelligentem providum*que *status* rerum *durat*, ut haec dicat sententia: „multis simul regnum affectantibus per defectionem a legitimo principe, respublica turbatur et dissolvitur; sed per unum virum prudentem vel principem, vel alium magnae auctoritatis virum, qui principem aut populum salutaribus consiliis curat, servatur et diuturnus redditur status regni felix et tranquillus. Ad prius hemistichium supplendum est ex posteriore hemistichio id quod contrarium est diuturno statui rerum felici.“ Verum nec *statum* usquam significat כֵּן, nam locis allatis a Rosenmüllero Jes. 33, 23. Gen. 40, 13. aliisque nunc *basis* nunc *locus* est, nec, quod ipse sensit vir beatus, sic membrorum justa est aequalitas, quum ex nostra interpretatione optime respondeant verba verbis. Ex ea enim concinunt בְּפֶשַׁע אֶרֶץ et בְּאָדָם מֵבִין יֹדֵעַ, item רַבִּים
3. שָׂרֶיהָ et כֵּן יַאֲרִיךְ. — *Vir pauper et opprimens tenues Est pluvia verrens* sive *radens*, abripiens, *et non est panis*, ut deficiat panis. Qui pauper pauperes opprimit, eos, quum ipse versetur in egestate, plane exedit, perdit. Alii, ut Rosenmüllerus sic explicant, „homo qui pauper fuerat, sed ex paupertate sua emersus, opprimit egenos, vel justitiam de-

negando, vel eorum facultates quocunque modo ad se pertrahendo, quem tamen meminisse oportebat pristinae suae conditionis, ita ut pauperibus tanto magis compateretur atque succurreret, quanto tristiorem pauperum statum ipse expertus cognoverat, talis est velut“ cet. Verum *homo* qui *pauper fŭerat* גֶּבֶר רָשׁ non potest haberi, nisi vim facias verbis. Possit רוּשׁ hic idem significare quod vicinum רָשַׁשׁ confringere, hinc *conficere, opprimere* (cf. eadem translatio in דָּכָא et aliis). Quid? quod ille ipse confringendi significatus videtur primarius esse רוּשׁ verbi atque ab hoc demum, mutato activo verbo in neutrum, deducendus esse usitatus qui est *egenum esse* significatus. Eadem translatione est דַּךְ afflictus, miser a דָּכַךְ contundere, conterere. Hac ratione hic prodibit sensus: *vir qui conficit*, affligit *et opprimit tenues* cet. Vel possit גֶּבֶר hoc loco eandem vim habere, quam habet גִּבּוֹר Ps. 52, 3., *tyranni*, inquam, ut haec sit sententia: *tyrannus pauperis*, qui violenter tractat pauperes *et qui opprimit tenues* cet. Sed malumus acquiescere in usitatis significationibus. Cogitandum est de homine, qui opus facit per pauperes, sed, quum ipse egenus sit, pauperum, quibus utitur, operam pessimo pretio pensat. Nonne talis homo apte comparabitur pluviae abripienti, quae alimenta non suppeditet? Tam apte profecto, quam magister opificum, qui operariis quod debet ad diem solvit, comparabitur pluviae irriguae multarumque feraci
frugium. — *Qui deserunt legem*, divinam, puta, *laudant impro-* 4.
bum; Et, sed *qui servant legem, irascuntur iis*, improbis. Rosenmüllerus: „Non sufficere ait sibi solique deo pie vivere, sed oppugnandos quoque esse pietatis hostes, ne suo exemplo alios corrumpant.“ Minime vero. Laudare unumquemque sui similem, posse ex laudibus vituperationibusve, quibus aliquis afficiat improbum, qualis ipse sit colligi, hoc est quod vult sententia,
quodque bene vidit Umbreitus. — *Homines mali non intelligunt* 5.
jus, quid juris sit; *Et,* at *qui quaerunt Jovam*, Jovae studiosi, *intelligunt omnia*, int. quae pertinent ad jus. Hic quoque a vero Rosenmüllerus aberravit. „*Homines mali*, sic interpretatur, *jus non intelligunt*, ut aliis reddant. Non facere autem, etsi scias, perinde habetur, ac si nescias. *At qui quaerunt Jovam, norunt omnia*, quidquid sibi agendum est; inde et erga deum et homines sese, ut par est, gerunt.“ Vides, ad facta verba retulisse virum beatum. Sed accipienda sunt ut sonant. Revera enim mentem

divini et humani juris nonnisi ii perspiciunt, qui illud exercent
6. et toti vivunt in eo. — *Melior*, praestantior est *pauper*, *qui in-
cedit in integritate sua*, integre vivit, *Eo qui se vertit in dup-
lici via*, modo huc modo illuc se vertit, declinans jam ad sini-
stram, jam ad dextram, *eoque divite*. Membrum prius iisdem
verbis legitur 19, 1., similibus ibidem posterius, ad quod prae-
terea cf. infra vs. 18. nec non Sir. 2, 12: *οὐαὶ . . . ἁμαρτωλῷ
7. ἐπιβαίνοντι ἐπὶ δύο τρίβους*. — *Qui observat legem*, *filius* est
intelligens; *Et*, sed *qui delectatur*, familiariter utitur *prodigis*,
ignominia afficit patrem suum. רֹעֶה ut 13, 20. al., זוֹלֵל ut
8. 23, 21. — *Qui auget opes suas usura et fenore*, *Benefico in
tenues*, ei qui beneficum in pauperes se exhibet, *colligit eas*.
Sapientissimo dei consilio saepe fieri indicatur, ut opes fenore
partae eorum tandem in manum deveniant, qui eas pauperibus
erogent. cf. 13, 22. Pro וּבְתַרְבִּית Keri: וְתַרְבִּית omissa praepo-
9. sitione, quippe jam expressa in בְּנֶשֶׁךְ. — *Qui avertit aurem
suam ab audienda lege*, legem ne audiat, qui legem divinam
spernit, *Etiam preces ejus*, ejus etiam preces sunt *abominatio*,
ab ejus etiam precibus Jova abhorret. Impii non acceptae preces,
cf. 15, 8: *Sacrificium improborum abominatio* est *Jovae*, *Et*,
10. sed *preces rectorum deliciae ejus*. — *Qui errare facit*, avo-
cat *rectos in viam malam*, qui recte viventes ad talia commit-
tenda pellicit, quae ipsis perniciem parant, *In foveam suam*, a
se factam illorum in perniciem, *ipse cadet*; *Et*, sed *integri*, qui
a virtutis tramite se avocari non patiuntur, *possidendum acci-
pient bonum*, virtutis praemia ferent. Ad primum et secundum
11. membrum cf. 26, 27. — *Sapiens est in oculis suis*, suo judicio,
vir dives, singulari sua prudentia suas sibi parasse divitias opi-
natur; *Et*, sed *tenuis*, pauper, *intelligens perscrutatur eum*,
bene novit, neutiquam, ut Euripidis utamur dicto, *τὸν εὐτυχοῦντα
12. πάντ᾽ ἐπίστασθαι καλῶς*. — *Cum exsultant* i. e. cum prospera
fortuna utuntur, cum florent *justi*, *magnus* est *splendor*, vestibus
splendidis ornati incedunt cives, plena sunt laetitia omnia; *Et*, at
cum surgunt, evehuntur, florent *improbi*, *abdunt se homines*.
13. Similia vid. 11, 10. 29, 2. — *Qui tegit delicta sua*, *rem non
bene geret*, ei non bene id cedet; *Et*, sed *qui fatetur et omittit*,
14. *misericordiam consequitur*. — *Beatum hominem*, *qui pavet
continuo* i. e. qui perpetuo abhorret a malo! *Et*, sed *qui obfir-
mat cor*, animum *suum*, ut non vereatur migrare legem, *incidit*

in malum. cf. 14, 16. — *Leo fremens et ursus avidus* Est *do-* 15.
minator improbus in populum tenuem. — *Princeps carens* 16.
intelligentia, is multus est *oppressionibus*, in suum ipsius dam-
num; *Quicunque odio habet lucrum*, qui cives non opprimit in-
tolerabilibus ab iis exigendis tributis, *diu vivet.* Offensioni est
interpretibus copula praemissa רַב voci. Eam Rosenmüllerus
etiam jubet significare, Umbreitus *at.* Nos non dubitamus, quin
eadem ejus hic ratio sit, quae est supra 22, 24. Ewaldus verba
exclamantis esse putat: *o princeps, qui es carens intelligentia
et multus oppressionibus!* Quaesite. Ad יַאֲרִיךְ — שֹׂנְאֵי vid.
Ges. gr. min. §. 143, 4. Keri structuram faciliorem reddit legendo
שֹׂנֵא. — *Homo oppressus sanguine animae*, homo sanguine 17.
alicujus fuso, caede a se commissa tanquam onere gravatus, *Us-
que ad foveam*, sepulchrum *fugit*, velut furiarum agitatus ver-
beribus, *ne se prehendant*, ne prehendatur *verens.* Verba
אַל־יִתְמְכוּ־בוֹ Rosenmüllerus, de Wette et alii: fugiet, ei fugien-
dum est, *ne prehendant eum*, אַל idem quod פֶּן־ esse judicantes.
Umbreitus vero et Ewaldus seorsum: *Ne prehendant eum!* quippe
quem satis angat mens conscia culpae. Utrique falsi sunt. Nul-
lum potest אַל pro פֶּן־ positi certum exemplum proferri. Um-
breiti vero et Ewaldi explicatio non pugnat cum vi voculae, sed
quaesita et minus commoda est. אַל est negatio subjectiva ipsius
fugientis, ejusque verentis ne prehendatur. — *Qui incedit inte-* 18.
ger, qui integre vivit, *servabitur*, salvus erit; *Et*, sed *qui se
vertit*, torquet *in duplici via*, modo hanc modo illam sequitur,
cadet in una earum. תָּמִים videtur vim Substantivi habere in
Acc. positi. vid. ad Ps. 15, 2. Potest tamen etiam Adj. haberi,
quod appositione cohaereat cum Praedicato. Ad membrum po-
sterius cf. vs. 6. — *Qui colit agrum suum, satiatur pane; Et*, 19.
sed *qui sectatur* homines *inertes, satiatur paupertate.* Eadem
iisdem verbis, exceptis ultimis, leguntur 12, 11. ad quem vid. —
Vir fidus, qui candide et sincere agit, neminem decipit, *multae* 20.
erit prosperitatis; Et, sed *qui properat ditescere, non impu-
nis erit*, non impune feret. Nam „dives qui fieri vult, Et cito
vult fieri; sed quae reverentia legum, Quis metus aut pudor est
unquam properantis avari?“ Juv. Sat. 14. רַב־בְּרָכוֹת Rosenmülle-
rus: *multus erit benedictionum*, ei homines bona quaeque ap-
precabuntur. Parallelismus tamen postulat, ut בְּרָכוֹת hic habea-
tur *prosperitas, felicitas* divinitus missa, quo significatu constat

21: etiam alias dici. — *Agnoscere faciem*, respicere personam, ra-
tionem habere alicujus in judicio, *non est bonum; Et*, at *ob
frustum panis delinquit aliquis.* Sensus: utut nefas est, te-
mere favere alicui in judicio, sunt tamen, qui vilissimo pretio se
induci patiantur, ut jus violent. Hemistichium prius iisdem fere
verbis legimus 24, 23. cf. etiam 18, 5. Ad posterius vero cf.
simillimum Catonis de M. Coelio, tribuno plebis apud Gell. N. A.
1, 15: frusto panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.
22. — *Festinat ad*, anxie petit, omni quo potest modo comparare studet
opes vir maligni oculi, homo invidus, sordidus, avarus (23, 6.);
Nec novit, cogitat, illam ipsam ob causam *inopiam sibi super-
23. venturam esse.* — *Qui reprehendit hominem*, quempiam, *po-
stea majorem gratiam inveniet*, inibit apud illum, *Quam qui
laevem facit linguam*, quam qui blanditur. „Etsi enim initio ei
molestus erat, postea tamen, cum in bonum suum deprehendet se
ab eo redargutum fuisse, gratias ab eo referet, quum qui adulaba-
tur bono illius et commodo non studeret, sed damno potius.“
Ros. Quod in libris plerisque legitur אַחֲרַי, idem interpretatur:
„*post me* i. e. me measque leges sequutus, vel, qui meo exemplo
et juxta mea monita arguit, quasi Salomon loquens introducatur
tanquam magister, quem discipuli imitari debeant.“ Quod cum
frigeat, statuit legendum esse quod in plurimis libris habeatur
אַחֲרַ֗י, in quo judicio consentientem habet Umbreitum. Friget
utique illud *post me*, ita quidem, ut plane sit intolerabile. Sed
quid tandem obstat, quominus אַחֲרַי habeatur Adverbium אֲבַלַי
formae, ut idem significet quod אַחֲרֵי et אַחַר? Nihil igitur muta-
24. bis. — *Qui diripit patrem suum et matrem suam, et dicit: non
est delictum! Socius is est viro perditori*, hominis nequissimi
qui nihil non audet, quod parat aliis perniciem, is ad alia omnia
25. nefaria facinora perpetranda pronus est. — *Qui lati* i. e. tumidi,
inflati, fastuosi est *animi, excitat litem*, nonnisi lites excitat,
male habebit, non fruetur tranquilla felicitate; *Et*, sed *qui fidu-
ciam collocat in Jova, large satiabitur*, cumulatim habebit,
bonis affluet. רְחַב־נֶפֶשׁ Umbreitus: *homo avidus*, coll. Jes. 5,
14. Hab. 2, 5. Sed certior est significatus, quem nos expressimus,
cf. רְחַב־לֵב 21, 4., nec minus aptus. Bene Rosenmüllerus:
„fidentem deo opponit elato, fastuoso, quod is sapientia sua fre-
tus, deo non confidit, nec ei se submittit.“ יְגָרֶה מָדוֹן ut 15, 18.
Ad totum hemistichium cf. 13, 10. יְדֻשָּׁן ut 11, 25. 13, 4. —

Qui fidit cordi, animo *suo* i. e. qui sui animi sensus et affectus 26.
sequitur in agendo, *est stultus*; *Et*, sed *qui incedit in sapientia*,
qui sapienter vivit, sapientiae praecepta semper audit et sequitur,
is eripietur, evadet ex periculis, salvus erit. — *Qui dat pauperi*, 27.
pauperibus qui largitur, ei *non erit inopia*, is non laborabit ino-
pia; *Et*, sed *qui abscondit*, obvelat *oculos suos*, i. e. qui paupe-
rem videre non vult, auxilium ei denegat, *multus erit exsecra-
tionibus*, ei male precabuntur homines, ei non bene id cedet, is
infortunatus erit. הַעְלִים עֵינַיִם est auxilium denegantis ut Jes. 1,
15. — *Cum surgunt*, evehuntur, florent *improbi*, *se occultant*, 28.
abdunt *homines*, illos ut effugiant; *Et*, at *cum pereunt illi*, *au-
gentur*, florent *justi*. cf. vs. 12. et 11, 10. 29, 2.

CAP. XXIX. *Vir reprehensionum*, reprehensione dignus, 1.
qui obdurat cervicem, qui est obstinatus, contumax, i. e. qui
nullis correptionibus flecti se patitur, qui omnibus quibus emen-
detur reprehensionibus pervicacem opponit animum, *Repente fran-
getur*, peribit, *neque erit sanatio*, ita ut nunquam restituatur.
Verborum אִישׁ תּוֹכָחוֹת tot sunt interpretationes, quot significa-
tiones תּוֹכַחַת nominis. Alii enim, ut Gesenius, Umbreitus, de
Wette: *vir defensionum*, qui, ubi vituperatur, obloqui, se defen-
dere solet, cf. Ps. 38, 15.; alii, in quibus Winerus, Rosenmülle-
rus: *vir reprehensionum*, reprehensione dignus, vel qui saepe
reprehenditur; alii, in quorum numero est Ewaldus: *vir poena-
rum*, poena afficiendus, poena dignus. Qui primam rationem
sequitur, in אִישׁ תּוֹכָחוֹת nihil aliud habet, quam quod statim di-
citur verbis מַקְשֶׁה־עֹרֶף. Plenior vero ex altera et tertia inter-
pretatione sensus prodit. Itaque harum, quae in rei summa eo-
dem redeunt, alterutra eligenda est. Certior vero, quia usitatior,
est significatio *reprehensionis*. Ceterum cf. בֶּן־הַכּוֹת *dignus
verberibus* Deut. 25, 2. Hemistichium posterius iisdem verbis
expressum legimus supra 6, 15. — *Cum augentur*, pollent, flo- 2.
rent *justi*, *laetatur populus*; *Et*, at *cum dominatur improbus*,
gemit populus. רָשָׁע non de principe, sed collective intelligen-
dum esse docet membrum prius, docent loci paralleli 28, 12. 28.
— *Qui amat sapientiam*, *laetitia afficit patrem suum*; *Et*, sed 3.
qui delectatur meretricibus, *perdit opes*. רֹעֶה ut 13, 20. 28,
7. — *Rex justitia stabilit terram*, regnum; *Et*, sed *qui munera*, 4.
largitiones *amat*, *diruit*, perdit *eam*. — *Vir*, homo *qui blandi-* 5.
tur alteri, *Rete expandit gressibus ejus*, insidias ei struit,

Eadem uberius dicta sunt supra 26, 24. 25. מַחֲלִיק hoc loco
absolute pro ה׳ לָשׁוֹן *laevem facere linguam* 28, 23., ה׳ אֲמָרִים
6. 2, 16. 7, 5. — *In delicto viri*, hominis *mali* est *laqueus* i. e.
suis delictis ipse sibi nocet, perniciem affert homo malus; *Et*,
sed *justus vincit*, evehitur, floret *et laetatur*. Ad prius hemistichium Rosenmüllerus: „In codicibus nonnullis verba per accentus ita distinguuntur, ut conjunctis רָע מוֹקֵשׁ ita sit interpretandum: *in delicto viri*, cujuspiam est *malus laqueus*, quo implicatus capiatur pereatque. Ita Graecus Alexandrinus: *ἁμαρτάνοντι ἀνδρὶ μεγάλη παγὶς, peccanti viro magnus laqueus* (qui interpres praeterea pro רָע videtur רַב legisse). Sed in libris emendatioribus רָע conjungitur cum אִישׁ, distinguiturque a מוֹקֵשׁ, quod et Grammatica poscit, quia si *laqueus malus* dici debuisset, Adjectivum consueta Hebraeis syntaxi Substantivo postponendum fuisset, ut supra 12, 3. מוֹקֵשׁ רָע." Nihilo secius Ewaldus רָע construendum existimat cum מוֹקֵשׁ, quia, si construatur cum אִישׁ, supervacaneum sit, contra junctum מוֹקֵשׁ voci, huic vim addat. Grammaticam, quominus sic jungatur, negat obstare, quum non desint exempla, ubi Adjectivum Substantivo suo praemittatur, ut Jes. 28, 21. Ps. 32, 10. Nos non negamus, posse רָע ab אִישׁ abesse salvo sensu; sed idem prorsus valere judicamus in מוֹקֵשׁ, quum laqueus nunquam non sit *malus*. Quare quum sensus quaestionem non solvat, judicium relinquendum est Grammaticae, quae, cum Adjectivum Substantivo postponat (exceptis perpaucis locis, in quorum numerum referam Ps. 145, 7., non referam locos ll. ab Ewaldo, ad quos vid.), ut רָע cum אִישׁ construas postulat. Atque ita praeter Rosenmüllerum aliosque struxerunt Umbreitus et de Wette, e veteribus Vulg. *peccantem virum iniquum involvet laqueus*, Chald. et Syrus: *vir malus peccato suo capitur*. Ceterum רב pro רע legisse Graecum non pro certo equidem dixerim. Videtur liberius tantum interpretatus esse. Ad posterius hemistichium ut veniamus, יָרוּן praeter Umbreitum omnes significatum habere jubent a רָנַן, formam a רוּן. In quam sententiam qui volet discedere, cedat pace mea; sciat tamen, tantum abesse, ut *vincendi* significatus aptus non sit, ut eo sensus plenior reddatur et perfectior. Ita enim non solum laetari justus verum etiam
7. *cur* laetetur dicitur. — *Curat justus causam tenuium; Impro-*
8. *bus nullam habet notitiam*. — *Irrisores*, quibus divina et humana praecepta ludibrio sunt, *sufflant urbem*, seditionem exci-

tant, turbas inter cives movent; *Et*, sed *sapientes sedant iram*,
furoris quo alii in alios saeviunt flammam exstinguunt, civium
concitatorum animos tranquillant. — *Vir sapiens qui litigatur* 9.
cum stulto, Sive irascatur sive rideat, non erit quies, nunquam
litigandi erit finis. Rosenmüllerus: „*vir sapiens qui disceptat
cum viro stulto*, ut stultitiae suae ipsum convincat eumque emen-
det, *sive irascatur sive rideat, non erit quies*, i. e. nunc aspe-
rius cum eo agat, nunc mitius jocando et irridendo eum suae fa-
tuitatis convincere studeat, numquam disceptandi erit finis, num-
quam stultus sanis acquiescit monitis, quin potius iterum iterum-
que inepta obvertet, excipiet, excusabit.“ Indicari igitur, stultos
et morosos homines, quomodocunque in illis emendandis laboret
sapiens, tamen inemendabiles esse. Verum non de emendandis
stultis hic agi videtur, sed de eo, quod stulti nullo modo persua-
deri sibi patiantur, ita ut qui cum stulto litigetur, nec blandis nec
severis verbis rem cum eo possit componere. — *Sanguinolenti* 10.
oderunt, perdere student hominem *integrum; Et*, sed *recti*,
probi *quaerunt* i. e. curant, servare student *vitam ejus*. בִּקֵּשׁ
quod alias in malam partem accipitur, hic dicitur in bonam, cf.
דּוֹרֵשׁ לְנַפְשִׁי Ps. 142, 5. — *Totum animum suum profert*, promit 11.
stultus; Et, sed *sapiens retrorsum compescit eum*, compescit
eum, ut retrorsum eat, ad se redeat i. e. reprimit eum. Sensus:
homo stultus temere promit omnes animi sensus, motus et studia,
inconsiderate effutit omnia quae intus apud se habet, sapiens
vero caute ea reprimit et celat. „Verbum שִׁבַּח quum 89, 10.
(item in Hi. Ps. 65, 8.) de compescendis frementibus maris fluc-
tibus dicatur, sunt, qui רוּחַ h. l. *iram* intelligant, ut Coh. 10, 4.
Job. 15, 13. Zach. 6, 8., quam stultus uno quasi impetu erum-
pere sinat, affectus sui intemperiem coërcere nescius, prudens
vero, habito temporis et loci respectu, reprimat celetve. Sed
malumus רוּחַ hic generalius capere, ut haec sententia sit similis
iis, quae supra 12, 23. al. habentur.“ Ros. In eadem sententia
Umbreitus et de Wette. Probabilior eadem mihi videtur ob prae-
missum כָּל. Inter eos qui *iram* intelligunt sunt Gesenius et
Winerus, nec non Ewaldus. Hic praeterea בְּאָחוֹר *postea* red-
dit, quod plane ineptum. — *Dominator qui attendit ad verba* 12.
mendacia, qui calumniatoribus aurem praebet, *Ejus omnes mi-
nistri* sunt *improbi*, quippe tales illi se exhibere studentes, qua-
les sciunt illi placere. — *Pauper et oppressor*, et qui oppressus 13.

est pauper et qui opprimit dives, *sibi invicem occurrunt*, obvii sunt; *Illustrat oculos utriusque*, utrique vitae usuram commodat *Jova*. Indicat, sua quemque sorte debere contentum esse nec litigandum cum deo esse, quod et bonos et malos vivere sinat, quippe cujus arcana consilia nemo possit perspicere. תְּכָכִים id. quod תֹּךְ *oppressio* s. *vexatio* a תָּכַךְ opprimere, damno afficere. cf. ejusdem significatus verbum aram. תְּכַךְ. Qui significatus non est cum Gesenio a secando coll. arab. ﺣﻜﻚ, sed una cum hoc significatu aliisque derivandus a contundendo, conterendo coll. דָּכַךְ, דָּכָא, דָּכָה, דָּקַק aliisque ejusdem radicis verbis. Est igitur אִישׁ תְּכָכִים *oppressor, vexator*, vel si mavis speciatim *fenerator*, quem significatum e veteribus expresserunt LXX. δανειστής, Vulg. *creditor*, e recentioribus Ewaldus: *Zinsherr*, coll. verbo vicino נָשַׁךְ. Ceterum cf. 22, 2: *Dives et pauper sibi invicem occur-*
14. *runt, conditor eorum omnium* est *Jova*. — *Rex qui judicat recte tenues*, qui tenuibus ex aequo jus reddit; *Ejus solium in*
15. *perpetuum stabit firmum*. — *Virga et castigatio dat sapientiam; Et*, sed *puer missus factus*, sibi relictus, suo arbitrio
16. commissus *pudore*, ignominia *afficit matrem suam*. — *Cum augentur improbi, augetur delictum*; *Et*, sed *justi ruinam eorum intuebuntur*, sed ne propterea animum abjiciant boni, nam
17. oculos pascent illorum ruina. — *Castiga filium tuum, et concedet tibi quietem*, nullos tibi angores, aerumnas nullas concitabit;
18. *Et dabit*, creabit *delicias*, voluptatem *animo tuo*. — *Cum desunt oracula* i. e. sermones virorum divino spiritu tactorum, quibus homines divinae voluntatis moneantur, *effrenus fit populus; Et*, sed *qui servat legem* populus, *beatum illum*, bene illi! Ewaldus עָם non *populum*, sed generatim *homines* significare vel ex eo monet intelligi, quod membrum posterius non expressum habeat Subjectum. Quod quam male judicatum sit nemo non videt. Bene jam Rosenmüllerus: „cum caret populus viris deo edoctis, qui homines suorum officiorum monent, impios poenarum comminationibus a sceleribus committendis absterrent, bonos confirmant eorumque animos demissos feliciorum temporum promissionibus erigunt, dissolutis illa fit, omnia vitia ruet, quo ipso tandem rempublicam dissolvi et corruere necesse est. Sed respublica, cujus cives a prophetis admoniti legis divinae normam et praescriptum ubique sibi proponant sequendum, omnigena gau-
19. debit prosperitate." cf. Jes. 8, 20 sqq. — *Verbis non castigatur*,

emendatur *servus; Si intelligat*, etsi intelligat quod dicis: ***non***
respondet, dicto non est audiens, non obtemperat. כִּי ut 6, 35.
ו est apodoseos, ut alias. אֵין מַעֲנֶה propr. *non est* s. *erit re-*
sponsio i. e. obtemperatio, quemadmodum 16, 1. est exauditio.
Possit etiam Part. Hi. esse מַעֲנֶה, sed prius certius. Rosenmülle-
rus: „tamen *non erit responsum* ejus tibi; vocanti et imperanti
ne respondebit quidem, tantum abest, ut imperata facturus sit."
Sed praestat prior sententia, jam expressa a Graeco Alexandrino
his: ἐὰν γὰρ καὶ νοήσῃ οὐχ ὑπακούσεται. Ewaldus: *sed prudens*
fit absque responso, „sondern verständig wird er ohne Ant-
wort! ohne dass er sich erst weitläufig verantworte und da-
durch die Züchtigung lähme." Quae explicatio nisi ab Ewaldo
excogitari non potuit. — Si *videris hominem festinantem*, prae- 20.
cipitem *verbis*, sermonibus *suis*, praepropere et inconsiderate
loquentem: *Major spes* est *stulto quam illi*, scito, majorem
spem esse, ut sapiat stultus, quam ut emendetur istiusmodi homo.
Nempe sibi sapere videtur homo praepropere loquens. חָזִיתָ ut
22, 29. 26, 12. Hemistichium posterius iisdem verbis legimus
26, 12. — *Qui molliter habet a pueritia servum suum: Finis* 21.
ejus, servi est: *erit filius* i. e. is servus postremo, tandem sese
filium geret, filii sibi vindicabit jura. ו est apodoseos. Suffixum
in אַחֲרִיתוֹ respicit servum. מָנוֹן secundum ipsos Hebraeos i. q.
נִין soboles, hinc *filius*. Belle Lutherus: *so will er darnach ein*
Junker seyn. Consentiunt recentiores praeter Ewaldum qui:
erit ingratus, coll. arab. מנון. — *Iracundus excitat litem, Et* 22.
fervidus multus est delictis, multum delinquit. cf. 15, 18. —
Fastus hominis humilem reddit, deprimit *eum; Et*, sed *qui hu-* 23.
milis, demissi *est animi*, *assequitur honorem*. cf. 16, 18. 18,
12. — *Qui partitur cum fure, odit se ipsum*, exitium sibi affe- 24.
rens; *Exsecrationem audit, nec indicat*, audit diras pronuncia-
tas in eum, qui, quum furem cognitum habeat, non indicet, nec
tamen indicat. Respicitur quae Lev. 5, 1. habetur lex: *si quis*
peccaverit et audierit vocem exsecrationis, quum ipse sit te-
stis, sive viderit, sive aliunde *cognoverit, si non indicaverit*
sustinueritque culpam suam cet. — *Timor hominum* i. e. quem 25.
tibi homines incutiunt, *ponit laqueum*, exitiosus est, quia qui
homines timet facile delinquit aliquid; *Et*, sed *qui fiduciam col-*
locat in Jova, est tutus, propr. in alto loco constitutus. חֶרְדַּת
אָדָם. Rosenmüllerus ambiguum esse monet sitne *timor ab homi-*

nibus incussus, an *timor quo quis angitur*. Qui prius stumant, sic interpretari: *timor hominum*, timor quem tibi homines auctoritate et potentia valentes incutiunt, *dat laqueum*, offendiculum, causam peccati, dum tu illorum metu admittas malum omittasve bonum. Ita 1 Sam. 14, 15. חֶרְדַּת אֱלֹהִים *terrorem dei* esse terrorem a deo incussum. Sed quum אָדָם in statu regiminis ut hic positum alias non objective sed subjective sumatur, ut modo vs. 23., item 12, 14. 18, 16. 19, 3. 11., praestare חֶרְדַּת אָדָם intelligere de nimia anxietate, qua quis sibi timeat et assidue trepidet, qui anxius tremor homini laqueum paret, exitiosus ei fiat, dum intellectum adeo penitus obscuret, ut obliviscatur omnis prudentiae, ut nullum plane reperire queat consilium, quo imminens periculum effugere possit. Verum quod אָדָם constructum cum alio nomine saepe in his sententiis subjective sumitur, id nullius momenti est hoc loco, quum ut objective accipiatur postulare videatur oppositum יְהוָה. In eadem sententia video esse Gesenium, de Wettium, Umbreitum, Ewaldum aliosque. De חֶרְדָּה constructo cum verbo masculino vid. ad 12, 25. ubi eodem modo
26. structum habes דְּאָגָה. יְשֻׂגָּב ut supra 18, 10. נִשְׂגָּב. — *Multi quaerunt faciem dominatoris*, multi adeunt dominatorem, ut ab eo jus obtineant; *Et*, sed *a Jova* est, proficiscitur *jus cujus-*
27. *que*. Itaque ante omnia causam tuam committe deo. — *Abominatio justorum* est *homo pravus*, *Et abominatio improbi* est *qui est viae rectae*, qui recta incedit, probus. Abhorrent probi ab improbis, improbi a probis.

1. CAP. XXX. Pars sexta inscripta *Verba Aguris, filii Jakeh, effatum*. Additur הַמַּשָּׂא, quia sententias suas scriptor ipse dixit נְאֻם. Eadem vox habetur in inscriptione partis septimae 31, 1.

Dictum viri ad Ithielem, Ad Ithielem et Uchalem. נְאֻם de *effato*, *dicto* poetae, ut 2 Sam. 23, 1. הַגֶּבֶר est Agur. cf. Num. 24, 3. 2 Sam. 23. 1. Agur quando vixerit incertum. De vi nominis vid. Lex. meum. Ithiel et Uchal discipuli haud dubie Aguris. Repetitur לְאִיתִיאֵל non, quod forsan et ipse illis temporibus vel ob sapientiam celebris vel primariae tum dignitatis vir esset, ut opinatur Rosenmüllerus, sed parallelismi in gratiam. Egregie falluntur, qui haec verba ad inscriptionem referunt. Ipsum exordium esse sententiarum praeter parallelismum loci docent plane similes Num. 24, 3 sq. 2 Sam. 23. 1. Ewaldus

existimans, vs. 2. 3. 4. non Agurem sed hominem perditum loqui, qui velit ab Agure edoceri, cujusque ad interrogata Agur vs. 5 seqq. respondeat, הַגֶּבֶר illum ipsum hominem esse, אִיתִיאֵל vere et אֻכָל Agurem se dicere opinatur. Similia de prioribus versibus jam Doederlinio venerant in mentem. „Quodsi, inquit, per tria commata priora vir divinus loquitur, equidem quomodo excusari possit abjectus, quem dictis profitetur, de se sensus, non intelligo. Rudem enim se et ab omni sapientia longe alienum profiteri non est hominis lumine divino collustrati, nec esse potest, sed ingenii indocti ac discendi cupidi. Itaque dialogici carminis formam imitari videtur hic locus, qui primum Ithielis meliora edoceri optantis sensus et dicta, dein Aguri, vatis divini, institutionem refert, brevem quidem, sed aptam huic argumento, atque sic institutam, ut aditum ad verae religionis mysteria monstret menti docili et ingenuae.“ Sed rejicienda est omnis dialogi suspicio. Recte hac de re jam judicavit Rosenmüllerus. „Dialogi, inquit, ne vestigium quidem apparet. Agur, quia vs. 4. quaestiones arduas propositurus est, ideo se initio (vs. 2 sq.) admodum extenuat ac dejicit; suo exemplo modestiam commendans. Ostendit autem, non esse hujuscemodi sublimibus quaestionibus, quales mox proponet, quae humanam mentem transcendant, fatigandos animos nostros, sed nobis intra effatorum et praeceptorum divinorum metas esse subsistendum, ea demum investiganda, quae ex illis cognosci queant.“ Praeterea plane intolerabile est
quod Ewaldus Agurem duobus Ithielis et Uchalis nominibus
se appellare opinatur. — Vs. 2. 3. fatetur, alienum se esse 2.
ab omni rerum divinarum scientia. *Sane stupidior ego sum*
quam quisquam, Neque intelligentia hominum i. e. aliorum
mihi est. — *Nec didici sapientiam, Nec cognitionem Sanctis-* 3.
simi novi, et expers sum cognitionis dei, rerum divinarum. Ne-
gatio membri prioris pertinet etiam ad posterius. קְדֹשִׁים ut 9,
10. ad quem locum vid. — Nec mirum: nam *Quis ascendit in* 4.
coelum, ut quid illic agatur intelligeret, *et descendit*, ut edoceret
mortales quid viderit? *Quis collegit ventum pugnis suis? Quis*
colligavit aquas veste? Quis constituit omnes fines terrae? ut
cognitam habeat universi fabricam? cf. Jes. 40, 12. Job. 26, 8.
Quod est nomen ejus? et quod nomen filii ejus? si nosti. Si
quem nosti, qui haec effecerit, dic quod ei nomen aut posteris
ejus! — Hinc acquiescendum esse in doctrina divinitus patefacta, 5.

sincera et salutifera omnibus qui illi confidant. *Omne dictum*
dei est purum, sincerum; *Clypeus,* praesidium *ille* (deus) *est iis*
6. *qui fiduciam collocant in eo.* — *Ne addas ad verba ejus,* serva
ea intacta; noli investigare res quae mentem humanam transcen-
dunt (vs. 4.), ut doctrinam divinitus patefactam inde compleas,
7. *Ne castiget te et deprehendaris fallax!* — Sequuntur duae
preces ad deum vs. 7—9.; has excipiunt sententiae singulae vs.
10 sqq. *Duo peto a te; Ne deneges ea mihi, antequam mo-*
8. *riar,* quoad vivam! — *Quidquid vanum est et verba mendacia*
remove a me; Paupertatem et divitias ne dederis mihi; Sine
me edere panem demensi mei, statum meum victum, tantum
cibi, quantum satis sit ut inde alar. Unum igitur animi, alterum
corporis bonum petit. Prius est, ut procul absit a sectandis rebus
vanis; alterum, ut nec paupertas neque opulentia sed mediocris
9. obtingat fortuna. — Ratio cur mediocrem fortunam petat. *Ne,*
si dives sim, *satier et abnegem,* satiatus abnegem, deum, puta,
et dicam: quis est *Jova? Et,* aut *ne pauper reddar et furer,*
pauper factus furer *et manus inferam nomini dei mei* i. e. dei
mei nomen violem vel pejerando (Exod. 20, 7.), vel deo injusti-
tiae insimulando aut quemodocumque ex impatientia irreverenter
de eo loquendo. Bene Lutherus: und mich an dem Namen mei-
10. nes Gottes vergreiffen. — *Ne calumnieris servum apud domi-*
num suum, Ne male tibi precetur servus, *tuque culpae poenas*
des. Umbreitus non servum sed dominum Subjectum facit יְקַלֵּל
verbi. Sed prius simplicius. Nam qui proximus laeditur servus
est. Ewaldus hemistichium prius: *ne excites servum* i. e. quidam
Jovae cultorem *contra dominum suum,* Jovam, הַלְשֵׁן non *ca-*
lumniari sed *ad calumniandum excitare* jubens significare. Veri
tamen similius est, Hiph. hic idem esse quod Po. Ps. 101, 5.
proprie *linguam facere,* exercere, hinc *calumniari.* Accedit,
quod tutius est acquiescere in verborum עֶבֶד et אָדוֹן significatio-
nibus propriis et proximis. Neque in hanc interpretationem in-
cidisset vir doctissimus, nisi cum praecedentibus quodammodo
11. copulare voluisset non copulanda. — „Quatuor qui sequuntur
versibus totidem proponit hominum summis vitiis laborantium
detestanda genera, ut talia fugere discamus prae aliis." Ros.
Unum *genus* hominum *patrem suum execratur, Nec matri*
suae bene precatur. Impiorum et ingratorum hominum genus.
12. Ewaldus hic et in sequentibus: *o genus!* — Aliud *genus purum*

est *in oculis suis*, purum, sanctum sibi videtur, *Neque est sor-
dibus suis ablutum*, quum non sint sordes ejus ablutae. Eo-
rum hominum genus, qui se probos putant, quum non sint. —
Aliud *genus*, *quam elati*, superbi *sunt oculi ejus*, *Et palpebrae* 13.
ejus quam se extollunt! Fastuosorum genus. — Aliud *genus*, 14.
gladii sunt *dentes ejus*, *et cultri mordices ejus*, *Ad devoran-
dos miseros de terra et pauperes ex hominibus*, hominum
numero. Quod eorum genus est, qui aliorum in fortunas immi-
nent et opprimunt tenues. — Quatuor detestanda excipiunt qua- 15.
tuor insatiabilia. *Sanguisugae* sunt *duae filiae* dictae vel di-
centes: *cedo! cedo!* i. e. insatiabiles. *Tria non satiantur*,
Quatuor non dicunt: satis! עֲלוּקָה quod praeter hunc locum non
habetur, secundum veteres interpretes (LXX. Symm. Vulg. Gr.
Ven. Kimchium) et consonas voces arabicas et aramaicas (arab.
עלק, עלקה, syr. עלקא, עלקתא, עלוקא, chald. et talm. עַלְּקָא, עֲלוּקָא)
est *hirudo*, *sanguisuga* (sec. Gesenium dicta ab adhaerendo,
malo a sugendo coll. לָקַק, לוע al.). Lexicon Kamus inscriptum
arab. עלוק docet esse monstrum muliebre homines opprimens et
discerpens, غول *Ghul* dictum. Neque improbabile est, hic quo-
que cogitandum de monstro esse, ea de causa quod sanguisugae
duae tribuuntur filiae. Intellige igitur monstra muliebria sangui-
suga et insatiabilia, similia vampyris in superstitionibus et fabulis
nostratium. Voces הַב הַב *cedo! cedo!* sintne filiarum nomina
an verba dici nequit. Aptum utrumque. Utroque enim daemo-
num muliebrium aviditas exprimitur. Sensus vero hic est: quem-
admodum Alucarum monstra sanguisuga nunquam satiantur san-
guine, sic insatiabilia sunt quae sequuntur quatuor. Ceterum cf.
ad Am. 1, 3. — Recensentur jam quatuor illa. *Orcus*, qui quo- 16.
tidie novos devorat mortuos, *et conclusio uteri* i. e. mulier ste-
rilis, hinc incontinens, cujus libido non expletur, *Terra quae
non satiatur aqua*, semper parata est novam imbibere, *Et ignis
qui non dicit: satis!* quidquid materiae admoveris absumens.
Ad שְׁאוֹל cf. supra 27, 20: *orcus et barathrum non satiantur*.
— *Oculum* (propr. abs. *oculus*), qui *irridet patrem*, *Et con-* 17.
temnit obedientiam matris, matrique obedire respuit, *Effodient
eum corvi vallis*, *Vorabuntque eum pulli aquilini.* In *oculo*
contemtus se prodit. לִיקְּהַת ut בִּיקְּרוֹתֶיךָ Ps. 45, 10. ad quem
vid. *Corvi vallis*, qui in reductis torrentium vallibus degunt.
Quod ejus qui parentes contemnit *oculi* effodiendi a corvis di-

succinctus nervis Mart. 14, 86. Ita post Junium, Tremellium et Fullerum (miscell. sacr. 5, 12.) Bochartus in Hieroz. I, p. 103., Alb. Schultens ad l., Rosenmüllerus ad Boch. et ad Prov. et recentiores plerique. Ex veteribus intpp. plerique *gallum gallinaceum* intelligunt, ita dictum ab animo acri et alacri, quo militis instar ad pugnam accincti inter gallinas incedat. LXX. *ἀλέκτωρ ἐμπεριπατῶν θηλείαις εὔψυχος*. Aqu. Theod. *ἀλεκτρυὼν νώτῳ*. Vulg. gallus succinctus lumbos, et ita etiam Targ. Syr. Arabs, Josephus Kimchi al. Sed hoc longius petitum. Nec melius, quod alii *canem gallicum* s. *leporarium, vertagum* (Windhund) interpretantur, utpote lumbis constrictis i. e. tenuibus praeditum (Gr. Venet. *λαγωοκύων*, Kimchius, Levi Ben Gerson, Dav. Kimchi, Luth.: Wind von guten Lenden). Alii apud Aben Esram *aquilam*, adeoque *apem*, cujus lumbi cincti i. e. insecti sint. Ludolphus in hist. aethiop. 1, c. 10. p. 150. et Simonis in peculiari exercit. ad calcem Arcani form. p. 688 sqq. *Zebram* intelligunt dictum a striis s. fasciis quibus totum ejus corpus ornatum est, quod tamen animal, utpote interiori Africae proprium, in illo quaternione non exspectaveris, cui accedit quod haec asini silvestris species non lumbos, sed universum corpus habet striatum, et a gressu superbo vix celebrari potest." Haec Gesenius in Thes. s. v. Rosenmüllero adde Umbreitum, qui monet, generosum equum ornatu bellico cinctum in censu animalium superbe incedentium omitti vix potuisse; item de Wettium, Winerum et scriptorem lexici quod prodiit Grimmae. Iis qui *gallum* intelligunt addendus Fürstius, iis qui *vertagum*, Ewaldus. Mirum, inter tot interpretes ne unum quidem vidisse verum, eoque magis mirum, quod primo adspectu et sua sponte se offert significatus verus. זַרְזִיר מָתְנַיִם *succinctus lumbis* est *luctator*. Hic est accinctus, hic corpore decoro beneque composito incedit et gressu majestatem et animositatem et superbiam prae se fert. Viget idem significatus in Talmude (nam in ipsis Bibliis זַרְזִיר praeter hunc locum non legitur). cf. locus allatus a Buxt. p. 692: זה מבקש לנצח זרזירו *hic quaerit*, studet *vincere luctatorem suum*, adversarium in lucta, cum glossa: זרזירו, id est המתאבק עמו *qui luctatur cum ipso*. Sed ne opus quidem est hoc loco quanquam minime contemnendo, quum *accinctum esse* in neminem magis cadat quam in luctatorem, ita ut haec significatio certa sit per se. Errori omnibus interpretibus hoc fuit, quod postulari videbatur animal.

Id vero neutiquam postulari, hujus ipsius versus verba docent extrema. cf. etiam vs. 16., ubi inter orcum et terram comparet mulier sterilis. אוֹ *aut* hic tenet locum *et* copulae. תַּיִשׁ dux gregis. Ad postrema verba quod attinet, interpretes dissentiunt de אַלְקוּם. „Hebraei fere e duabus vocibus אַל קוּם *non surgere* compositum volunt (divisim scriptum reperitur in nonnullis codicibus), et verba sic interpretantur: *et rex non est surgere cum eo* i. e. eum quo s. adversus quem non stare quis potest, ut describatur rex potens et invictus, quem nemo ausit aggredi. Sed multo facilior erit constructio, si cum Ed. Pocockio in Notis ad Specim. hist. arab. p. 207. ed. White, Castello in Lex. Hept. p. 3301. et aliis אַלְקוּם pro ipso arab. אלקום *populus* habeamus, retento Articulo, ut in אֶלְגָּבִישׁ, אַלְגּוּמִּים, אַלְמוֹדָד. Quo admisso hebraea sic erunt reddenda: *et rex quocum est populus* ejus, populo suo stipatus; talem merito iis accenseri qui magnifice procedunt, non est quod moneamus. Eodem ex fundo dubium esse non potest provenisse Graeci Alexandrini δημηγορῶν ἐν ἔθνει. Eodem modo Chaldaeus: *et rex qui stat et loquitur inter populum suum.*" Ros. Eandem quam Rosenmüllerus sententiam defendunt Gesenius, Winerus, Lexicon quod prodiit Grimmae, Umbreitus, de Wettius. Hebraeorum vero sententiam praeter alios sequitur Ewaldus. Non nego, aptum esse regem incedentem in media populi corona. Modo certior esset significatus, quem tribuunt אַלְקוּם voci. Non desunt in hebraeo exempla articuli arabici; sed *populum* quod significet קוּם nusquam reperitur, quum עַם reperiatur sexcenties. Contra qui אַלְקוּם statuunt significare *non surgere*, significatus habent usitatos et formam compositionis, quae firmetur illo אַל־מָוֶת 12, 28. Accedit quod quos prioris interpretationis laudant patronos Graecum Alexandrinum et Chaldaeum tantum non certum est legisse עֲמֹל pro עָמֹל.
— *Si stultus fuisti efferendo te*, si quid per insolentiam stulte, 32
impie facere cogitasti, *Et si mala meditatus es: manum ad os!* i. e. silentium impera ori tuo (cf. Job. 21, 5. 29, 9. 39, 34.), frena te ipsum, quo reprimas consilia tua mala. — *Nam pressio lac-* 33
tis producit butyrum, Et pressio nasi producit sanguinem, Et pressio irae producit litem i. e. nam quemadmodum qui lac premit in utre producit butyrum, qui nasum durius comprimit educit sanguinem, sic qui iram premit i. e. intendit, exacuit, litem excitat.

1. CAP. XXXI, 1—9. Pars septima, continens materna mo-
nita regi cuidam impertita, inscripta *Verba Lemuelis regis, effatum* (30, 1.), *quod docuit eum mater sua.* Vocantur *verba Lemuelis* quae ei dictae sunt sententiae. De Lemuele nihil est relatum. Fictum non videtur nomen. cf. 30, 1.
2. *Quid, mi fili, quid, fili uteri mei,* quem utero meo gestavi, *Quid, fili votorum meorum,* pro quo tot vota feci, si salvum te eniti possem, salvum educare! Repetitam interrogationem, quam Ewaldus non nisi audientiam facere putat, vere Rosenmüllerus et Umbreitus miros matris affectus ostendere monent. Quid? int. tibi dicam? „quibus te praeceptis satis erudire et informare potero, ut vere sa-
3. pias et feliciter regnum administres?“ Ros. — *Ne des mulieribus robur tuum, Et vias tuas* ne des *ad perdendum reges* i. e. studia tua et instituta ne conferas in id, quod exitio est regibus, mulierum immodicum amorem! cf. 5, 9. 7, 26. Sunt qui hemistichio posteriore rei bellicae studium reprehendi putent, ita ut sensus sit: noli id agere, ut bello vineas deleasque reges. In his Winerus est. Sed vere Rosenmüllerus membrorum parallelismi leges, quae in hisce Lemuelis sententiis accurate serventur, postulare monet, ut pertineat hoc hemistichium ad idem quo prius argumentum. לַמְחוֹת pro לְהַמְחוֹת. In eadem sententia Ewaldus est. Servat parallelismum Gesenius quoque; is vero mavult vel מְחוֹת habere Pl. f. cst. nominis participialis מְחָה vel legere מֹחוֹת in hanc sententiam: *ne dedas te corruptricibus regum,* pellicibus. Quod idem expresserunt Umbreitus et de Wettius. מַלְכִין cum chald.
4. Pl. terminatione. — Monitum alterum. *Absit a regibus, o Lemuel, Absit a regibus bibere,* potatio *vini Et a principibus, aut temetum!* Absit omnis a principibus potus inebrians. אַל לַמְּלָכִים וגו׳ propr. *nicht doch Königen ... Wein trinken* cet. Quod in Ketib est אוֹ (cst. ex אַו) Gesenius, Rosenmüllerus (qui perperam effert אַו), Umbreitus, de Wettius et alii hoc loco eum significatum habere putant, a quo proficiscitur usitatus *aut, vel* significatus, *desiderii, appetentiae,* inquam, significatum, in hunc sensum: *et absit a principibus appetentia temeti.* Quum vero quae viget significatio *aut* a loco non abhorreat, eam hic quoque tenendam putamus. Keri: אֵי. Quod alii pro אֵין positum volunt, hoc sensu: *et pro principibus non est temetum,* alii interrogandi particulam *ubi* habent, hac sententia: *et absit a principibus dicere ubi temetum?* Sed nusquam alias אֵי pro אֵין *non est!*

dictum reperitur, *ubi?* vero אֵי non significat nisi junctum
Suffixo aut ה loci. Tenendum igitur Ketib. — *Ne bibat et ob-* 5.
liviscatur, ne si vino se dedat, obliviscatur *statuti*, legis;
Et pervertat jus omnium miserorum, qui praeter omnes
curae esse debent regi. — *Date temetum perdito*, misero potius, 6.
Et vinum iis qui sunt tristis animi! — Bibat et obliviscatur 7.
paupertatis suae, Et aerumnarum suarum non recordetur
amplius! — Tertium monitum. *Aperi os tuum muto*, pro iis 8.
qui se in judicio defendere non possunt, *In causam* i. e. ut causam agas, pro causa *omnium liberorum relictorum*, orphanorum. חֲלוֹף *abitio*, hinc relictio; בְּנֵי חֲלוֹף *liberi relictionis*, relicti a parentibus de vita decedentibus, orphani. cf. arab. חלף II. retro et post se relinquere, max. uxorem liberosve. — *Aperi os tuum*, 9.
judica juste, Et causam age afflicti et pauperis.

CAP. XXXI, 10—31. Pars octava, laudes praedicans probae mulieris sententiis dispositis ad ordinem alphabeti.

Mulierem probam quis inveniat? difficillimum est inve- 10.
nire; *Et pretiosius coraliis* est *pretium ejus*. De פְּנִינִים vid. ad
Thren. 4, 7. — *Fidit ei cor*, animus *mariti ejus*, *Nec carebit* 11.
lucro. Curam rei domesticae ei relinquit, nec deerunt opes illius convectae diligentia. Commentarii instar ad hunc et eos qui sequuntur versus sit locus hic Columellae in Praef. ad l. 12. de re rustica: Apud Graecos et mox apud Romanos usque ad patrum nostrorum memoriam fere domesticus labor matronalis fuit . . . Erat enim summa reverentia cum concordia et diligentia mista, flagrabatque mulier pulcherrima aemulatione studens negotia viri cura sua majora et meliora reddere . . . In commune conspirabatur, ut cum forensibus negotiis viri matronalis sedulitas et
industria rationem parem faceret. — *Afficit eum bono, nec malo*, nil 12.
nisi bona confert in eum *Per omnes dies vitae suae*. — *Tractat* 13.
lanam et linum, Et opus facit manibus suis lubentibus, volentibus. דָּרְשָׁה Rosenmüllerus, Umbreitus, Ewaldus, de Wette al. *quaerit*. Sed multo aptior est *tractandi* significatio, quae proxime abest a primaria. Etenim propr. דָּרַשׁ est tundere (cf. syr. דרש, arab. דרש contundere, conterere, triturare, et stirpes simplices דּוּשׁ, דּוּךְ, טרשׁ), hinc contrectare, terere manibus pedibusve, hinc *tractare* et rel. Eandem potestatem verbo hic tri-
buit Gesenius in Thes. — *Est ut naves mercatoriae; E longin-* 14.
quo affert victum suum. Haud absimilis est navibus mercato-

riis, quae merces ex remotis terris advehunt: quum remotiora
15. quoque scite convertat in usum rei familiaris. — *Surgit, dum
adhuc nox est,* solem antevertit surgendo, *Et dat,* distribuit
cibum domui, familiae *suae, et pensum* diurnum, peragendum
16. per diem opus *puellis,* ancillis *suis.* — *Cogitat agrum,* cogitat
de comparando agro, *et accipit,* comparat *eum,* et voti fit compos;
De fructu manuum ejus, de eo quod lucrata est opere
manuum, *plantat* ille, ejus maritus *vineam.* נטע Ketib Ewaldus
efferendum existimat נֻטַּע *plantatur.* Sed nusquam alias reperitur
Pual. Praeterea simplicius est Kal, quod nihil obstat quo minus
17. referatur ad maritum vs. 11. Keri sublevans: נָטְעָה. — *Cingit
robore lumbos suos, Et roborat brachia sua.* Alacriter et
18. strenue laborem aggreditur. — *Sentit, bonum esse lucrum
suum,* sentit prosperum industriae suae successum; *Non exstinguitur
noctu lucerna ejus,* assidue invigilat operi. Male Umbreitus
hemistichium posterius ad rationem revocat locorum 13, 9. 20, 20. Proprie accipienda esse verba docet res ipsa. Recte jam Rosenmüllerus referenda eo esse monuit, quod mulier bonam noctis partem operi potius et labori quam somno impendat. cf. illud Virgilii Aen. 8, 407 sqq. Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactae Curriculo expulerat somnum; quum femina primum, Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes, Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo Exercet penso. Pro לֵיל Keri usitatius legit
19. לַיְלָה. — *Manus suas admovet colo, Et manus ejus prehendunt
fusum.* Ad כִּישׁוֹר Gesenius in Thes. p. 722, b: *„verticillus* fusi muliebris, pr. dirigens q. d. director fusi . . . Veram sententiam jam Kimchius dixit: hoc est quod appellant (Provinciales) verteil, ita dictum, quod adjungitur fuso extremo, ut dirigatur (certa et aequabilis fiat) netio." Sed non apta verticilli significatio, neque in se spectata, nam verticillo non solet admoveri manus, neque ad nexum, sic enim utroque membro idem fere dicetur. Quum nentes una manu soleant fila deducere de colo, altera versare fusum, *colus* est id, quod exspectas in כִּישׁוֹר. Assentior igitur Fürstio, qui in Conc. p. 577: „rectitudo, erectio (Gradheit, Steifheit), baculus erectus, spec. *colus* (Rockenstock)." *Colum* interpretantur et Rosenmüllerus, Umbreitus, Ewaldus, de Wette, al. Ceterum cf. Catull. Epithal. Pel. et Thet. 312 sqq. Laeva colum molli lana retinebat amictum; Dextera tum leviter de-

ducens fila supinis Formabat digitis; tum prono in pollice tor-
quens Libratum tereti versabat turbine fusum. — *Manum suam* 20.
expandit largiens *afflicto, Et manus suas protendit pauperi.*
— *Non timet domui*, familiae *suae a nive* i. e. ab hyeme, fri- 21.
gore: *Nam omnis domus*, familia *ejus vestita est vestimentis*
coccineis. „Eorum ideo factam mentionem esse, ut opponantur
albedini nivis, putat Eichel. In quam cogitationem et Umbreitum
incidisse miror. Quid, quaeso, ad depellendum frigus color
coccineus? Is praeterea huic loco ideo non congruit, quia pretio-
sior est, quam ut ad integrae familiae, servorum et ancillarum
vestimenta illum adhibere cuique unquam in mentem veniret.
Vix dubium, pro שָׁנִים legendum esse שְׁנַיִם *duplicia*, quod jam
Graecus Alexandrinus expressit suo δισσά. Vulgatus quoque:
omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Duplex
vero vestis est, quae alteri superinduitur, vel duplici filo contexta
adeoque densa et crassa, vel altero panno suffulta, vel quae cor-
pus dupliciter tegit. Ad nostrum locum illustrandum facit quod
e Casauboni annotationibus ad Athenaei Deipnos. 3, 1. attulit A.
Schultens. Laudatur illic proverbium vetus Graecorum τὸν σι-
κυὸν τρώγουσα, γύναι, τὰν χλαῖναν ὕφαινε, *cucumim rodens, o
mulier, laenam texito!* „„Admonebantur, inquit Casaubonus,
hoc dicto mulieres, quarum opera vestes olim confectae, ut quum
sit maturus ὁ σικυὸς, media aestate, de hyeme cogitent et de pa-
randis familiae vestibus hybernis, cujusmodi χλαῖνα, *laena.*""
Eam Hesychius esse dicit ἱμάτιον χειμερινόν, *vestimentum hyber-
num.* Servio ad Aen. 4, 262. *laena* est *toga duplex*, et Varroni
de ling. lat. l. 4. *duarum togarum instar.*" Haec Rosenmülle-
rus, qui jure optimo rejecit ineptam opinionem Eichelii, sed fe-
stinantius ipse abjecit scripturam receptam. Ea enim hunc potest
ferre sensum: nam tantum abest, ut familia ejus careat vestimen-
tis ad depellendum frigus idoneis, ut non desint pretiosiora multo.
Similiter locum jam interpretatus est Umbreitus, cujus verba obi-
ter tantum legisse videtur vir beatus. Verum ne absoluta quidem
hoc versu res est, sed adduntur proximo vestimenta alia, talia
etiam, quibus corpus bene munitur a frigore. שָׁנִים expresserunt
Chald. Syr. Graec. Ven. — *Stragulas* s. *tegumenta facit sibi;* 22.
Byssus et purpura, panni purpurei, confecti ex lana, gossypio
vel lino, sunt *vestimentum ejus.* — *Notus*, conspicuus, celebris 23.
in portis, in foro, loco judicii, est *maritus ejus, Cum sedet cum*

senioribus terrae, in civium senatu. Dum mulier rem dome-
sticam administrat, vir interea vacat officiis publicis beneque de
24. republica meretur. — *Indusia facit* mulier *et vendit; Et cingula*
a se confecta *tradit*, vendita *Cananaeo* i. e. mercatori, cf. ad Jes.
25. 23, 8. — *Virtus et decor* est *vestitus ejus*, virtute et decore
vestita, ornata est; *Et videt diem posterum*, non timet sibi a
26. futuro tempore. — *Os suum aperit cum sapientia*, sapienter,
Et lex gratiae est *in lingua ejus*, sermo ejus est sapiens gratia
27. temperatus. — *Observat vias domus suae*, attendit ad res suas
domesticas; *Et panem pigritiae non comedit*, et quidquid edit,
quidquid est, quo fruitur, suo labore partum est. Ad Ketib הילכות
praetermissum a Gesenio, Winero, Fürstio et al. Rosenmüllerus:
„Iod transpositum indicat, fuisse codices, in quibus defective הֲלִכֹת
scriptum fuerit.“ Quod nihil est. Efferendam הֵילְכוֹת vel
הֵילְכוֹת coll. הֵיְשִׁיר Prov. 4, 25., הַיְשַׁר Ps. 5, 9., הֻיְּדוֹת Neh. 12,
8., nisi mavis scribae errorem esse pro הליכות, הֲלִיכוֹת Keri. —
28. *Surgunt filii ejus, et felicem praedicant eam;* Surgit *maritus*
29. *ejus, et laudat eam:* — Sequuntur ipsa laudantium verba.
Multae filiae i. e. feminae *agunt strenue*, strenuas se praebent;
30. *Et*, sed *tu superas eas omnes.* — Quae sequuntur Umbreitus et
Ewaldus et ipsa mariti et filiorum verba habent. Contra Rosen-
müllerus, qui assentientem habet de Wettium: „Non continuantur
verba mariti, sed sequitur auctoris epiphonema, quo matrisfami-
lias omnibus numeris perfectae encomio finem imponit.“ Mihi
quoque scriptorem magis quam maritum et filios decere verba
videntur. *Fallacia*, fallax est *gratia*, *et vanitas*, vana *venu-*
31. *stas; Mulier timens Jovam*, pia, *ea laudatur.* — *Date ei de*
fructu manuum suarum, percipiat operum suorum fructum, or-
netur eximiis quas operibus suis merita est laudibus! *Et laudent*
eam in portis, locis publicis *opera ejus!* Umbreitus ad מִפְּרִי jubet
cogitando compleri כָּבוֹד, מִן reddi *propter*. Male. Quem de-
siderat *honorem* habet in פְּרִי יָדֶיהָ.